

EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

4. 6. 268

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI GOTHOFREDI

MANUALE JURIS,

SEU

PARVA JURIS MYSTERIA,

ubi quatuor ſequentia continentur.

JURIS CIVILIS ROMANI

I. HISTORIA.
II. BIBLIOTHECA.
III. FLORILEGIUM Sententiarum Juris, Politicarum, & communium Notionum, ex Corpore Juſtinianeo deſumptarum.
IV. SERIES Librorum & Titulorum in DIGESTIS & in CODICE.

Tertiadecima EDITIO, *auctior & accuratior.*

LIPSIÆ
Apud FRANCISCUM GRASSET.
M. DCC. LVIII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO VIRO

D. BASILIO

VICECOMITI FILDINC,

&c.

JACOBUS GOTHOFREDUS.

Lagitabas a me, cum te unà cum ſpectatæ eruditionis, judiciique Viro D. ROBERTO MASSONO, hac in Urbe familiariter uterer, & deinceps per literas Lutetia, illa Virorum doctiſſimorum vagina, perſcriptas, quânam via Juris Civilis ſtudium, quod utique *Politicum*

moras rectè ingredi, mox ubi ad rerum actum olim ventum foret, peritiam ejus, eamque haud vulgarem, præstare liceret. Nam & eò quoque progressa est insignis illa naturæ tuæ bonitas, summaque ingenii felicitas, ut cùm cætera omnia præclarè facias, id quoque velis, id agas, ut ne in hanc tantum partem defeciſſe videâre.

Poteram equidem, quam ipse mihi jam olim muniveram, illico postulanti commonstrare viam: verum quia *commonstrasse* non sufficiebat, nisi *demonstrassem*, demonstrare porro ob repentinum discessum tuum non licuerat, illico animum subiit, hanc explicandæ deinceps paulo prolixius super hac re sententiæ meæ occasionem arripere: Tua primum gratia, qui auctor, incentorque mihi ejusce rei fuisti,

mox

mox in Juris ſtudioſorum uſum, qui hanc tibi gratiam debituri ſunt. Eo maximè, quia animadverterem, quamplurimos hactenus errare graviter in via Juris diſcendi, atque exinde cum ipſi nec quicquam ſeſe fatigarunt, injuſtis querelis ipſam Juriſprudentiam fatigare, & quaſi perplexam atque ἀμεθόδευτον proſcribere: eo quod ignorarent, quot quibuſque *gradibus* ad auguſtum illud Juriſprudentiæ templum enitendum eſſet.

Succurrendum igitur & conſulendum erroribus eorum exiſtimavi: Non quidem, quod in proclivi erat, quodque multi ſuo quique ex ingenio fecerunt hactenus, ut indicinam *Artis* alicujus nudam facerem; verum ut juſtis, quantum res exigit, libellis rem ipſam oculis ſubjicerem. Quantum enim pro-

derat indicaſſe ſingula, ſi in ſingulis adhuc inveſtigandis operosè Juris ſtudioſo allaborandum erat? Poteram equidem in ſummam dicere, juris ſtudium ingreſſuro unà cum Inſtitutionibus tituloque de diverſis Regulis Juris, *Hiſtoriam Juris* prænoſcendam eſſe, ſine qua, veluti ſacula, ſacris his initiari fas non eſſet. Poteram dicere, ut in cæteris artibus, ita in hoc quoque ſtudio, inſtrumenta artis ſuæ ſtudioſum noſſe, atque in parato, ceu inſtructum ſundi alicujus, habere oportere, *Bibliothecam* inquam *Juris*, ſeu recenſum librorum & monumentorum, quæ ſuperiorum temporum injuria e veteri Juriſprudentia Civili reliqua nobis fecit. Poteram dicere, eodem tempore a Catholicis, ſeu generalibus incipiendum eſſe, *i.e. Sententias*

tias totundiores e libris Juſtinianeis a ſtudioſo, ſervato librorum ordine, excerpendas, memoriæque mandandas, quibus videlicet, ceu communibus, ac fermè Politicis notionibus, tyronis ingenium utiliſſimè imbuitur: Ita quidem, ut ipſas Leges, unde ſententiæ illæ deſumptæ ſunt, κατὰ πόδας ſtudioſum ſimul conſuluiſſe velit. Poteram dicere, cujuſque libri titulique per Pandectas & Codicem *Seriem*, certa perpetuaque methodo, tum & ſenſum cujuſque, in pauciſſima verba contracta, tenenda. Hæc, inquam, indicare poteram omnia: Quatuor videlicet, ſic ut dicam *anſas* illas eſſe, quibus Juriſprudentiam noſtram contingi, ſeu contrectari primo pedato oporteret, niſi malæ, irritæ ſaltem tractationis reus peragi quis vellet.

Mox in penetralia juris ſtudioſi animum, iis quæ dixi præparatum atque imbutum, aliis inſuper præceptis munitum immittere poteram; Monuiſſemque, ad decurſum uſumque hujuſce ſtudii ſecundo p:dato potiſſimos Juris *Fundos*, quibus tota ferme Juriſprudentia Romana innixa fuit, noſcendos, præque oculis habendos; *Fundos* voco, illas Juris collectiones, συναγωγὰς, a Romanis ſubinde confectas, qnæ totius Juris fontes ſunt, e quibus ferme Jus Romanum omne fluxit, eductamque fuit: quæque adeò Juris Interpretes potiſſimùm commentariis ſuis, illuſtrate adlaborarunt: unde poſtea etiam ferme Pandectæ concinnatæ ſunt. In hoc cenſu ſunt Quatuor hæc 1. *Leges* XII. *Tabularum*. 2. Lex *Julia & Papia*: Quarum le-

legum reliquias, ſeriemque jam ante plures annos edidi. 3. *Sabinianorum* librorum continentia ſerieſque: id eſt, ſeries ſententiarum, ſeu capitum Juris, deſumptorum ex libris Commentariis Juriſconſultorum ad Sabinum, qui γενικὰ, ſeu Regulas & Sententias Juris Romani, totumque adeò Jus in unum contulerat libris, quos de Jure Civili ſub Imperatore Tiberio ſcripſerat.

4. Eodem in cenſu, & vel potiſſimum ſunt *Edicti perpetui* reliquiæ, ſerieſque genuina, quod ſub Adriano Imperatore a Salvio Juliano conditum, quodque unicus fermè ultimuſque Juris Civilis Romani fundus extitit: quodque adeò Juriſconſulti certatim poſtea commentariis in id ſcriptis, explicare, illuſtrare, exercere cœpe-

runt: e quibus tandem potiſſima Pandectarum capita deflorata ſunt. His ſcilicet quatuor præſidiis ante cognitis, & ad manum ſubinde habitis, genuinus ſingularum legum, quæ per Pandectas occurrunt, intellectus erui facillimè poteſt: ſi eò inquam oculos animumque intentum habere libeat. Quæ & ipſa quatuor ſecundo Enchiridio complecti animus eſt.

Monuiſſem, tertio quoque Manuali, ſeu pedato, quatuor alias λαθὰς requiri: Ac primum quidem *Caſuandi Artem* tenendam, id eſt, quanam ratione genuina cujuſque legis ſpecies, quæ ſæpè in abdito eſt, unà cum rationibus dubitandi & decidendi, educi poſſit, & exinde certa juris principia (quæ perpauca admodum ſunt) in uſus cujuſque ſeponi. Monuiſ-

ſem,

ſem, incumbendum in *Antinomiarum*, id eſt, legum inter ſe pugnantium, conciliationem: Monuiſſem, in tanta legum ſive mole, ſive etiam quorundam hodie ἀχρησία, *Singularibus* & *Practicalibus* legibus inhærendum cumprimis eſſe: Monuiſſem tandem, pro faſtigio hujus, ſic ut dicam, ædificii, inter *Interpretes* Juris & *Pragmaticos*, eos tantum habendos, paucoſque, qui probatæ receptæque apud pleroſque lectionis eſſent. Et hæc quidem etiam quatuor, ſingulari *Enchiridio*, ſeu Manuali complecti animus eſt, quo totidem partes continebuntur: Puta 1. Ars illa, quam dixi, *Caſuandi*, 2. *Antinomicus*, ſeu Conciliatio legum inter ſe pugnantium, ubi pauciſſimis verbis earum quæſtiones, ratioque conciliandi proponetur. 3.

Selectarum & *Practicabilium legum* index, & quæ cujuſque materiæ ſedes ſit. 4. Poſtremo ſequetur Conſilium de *Bibliotheca* rectè a Studioſo inſtituenda, ſive Theorica, ſive Practica, deſignatis ipſiſmet libris. Hæc inquam, jam tum flagitanti Tibi in genere ſuggerere poteram: verùm quia tam facilè ea diffluere poterant, quam juſtum doctorem vel certe tractatum requirunt, ideo aliud in tempus ea ſeponere viſum.

Quare habe Tibi jam Illuſtriſſime Domine, hoc priore Manuali quatuor illa; ubi non conſilium tantum de *Hiſtoria* Juris Romani noſcenda occurret, verùm ipſa, eaque brevis: Non monitum de colligendis veteris Juris Romani reliquiis, verum *Bibliotheca* ipſa, ſeu recenſus earum, quàm fieri potuit

potuit accuratus: Non præceptum de *Sententiis* ex toto Jure colligendis, verùm Florilegium jam decerptum: Non inanis & nudus Librorum & Titulorum Juris Index, quo memoria tantum fatigatur, verùm ipsa *Seriei* atque ἀλληλοχίως ratio, quæ ad memoriam simul & judicium maxime faciet.

Priore isto Manuali, Illustrissime Domine, ceu vino inferior, macte Te nunc esse velim: habereque Te a *Virtutum Tuarum* cultore, quæ jam alios & potiores præcones nactæ sunt, nacturæ plures deinceps. Valeas vigeasque Illustrissime Domine, singulari tum gentis, tum familiæ tuæ ornamento, ac munimento.

TYPO-

TYPOGRAPHUS LECTORI:

HÆC Tertiadecima jam est hujus Manualis Editio, *quam ideo auctiorem & accuratiorem præcedentibus omnibus in lucem prodire curavi: in qua quæ minoribus literis interjecta sunt & expressa, transire & transilire Juris studiosus prima lectione, nullo detrimento poterit, repetitæ aliquando lectioni ea servaturus.*

HISTO-

VIII. 15

HISTORIA,
SEU
PROGRESSUS
Juris Civilis Romani.

JURISPRUDENTIÆ Romanæ (quæ ſeſe apud omnes penè gentes, qua Europa porrigitur, ceu fontem boni & æqui, jam dudum commendavit) operaturo, ante omnia ejus initia, & proceſſum, i.e. a quibuſnam carceribus ad quas metas, per quos paulatim gradus & tramites decurrerit, ſervata temporum lege, noſſe oportet; quod Pomponius *in l.* 2. *ff. de orig. jur.* attigit magis, quàm expoſuit. Duplici fine; ut ita nempe juris ſtudioſus noverit, ex quibus Juris partibus, & ex quorum ſcriptis

tis coaluerit, seu coagmentatum sit corpus illud *Juris Civilis*, quod Justinianum habet auctorem, quodque Jurisprudentiæ fundus hodie est: tum etiam, ut hac historiæ & Chronologiæ facula accensa eò certius & felicius in plerisque pedem de cætero figere liceat. ¶ Igitur, ut cæteroquin ad Reip. statum comparata est omnis Nomothesia, & verò triplicem Reip. Rom. statum, seu tres ætates spectare licet, ita per eas nobis & singulas ducenda hæc inquisitio erit, quantum juris tyroni sufficit, neque ultrà.

Cap. I.

De Jurisprudentia Regiorum *Temporum.*

Prima ætas, seu primus Reip. Rom. Status, Regius fuit: cujus initium consurgit a 750. ferme ante Christum annis; per septem Reges ducta serie, spatio ducentorum 44. annorum. Igitur, ut initio Civitatis omnia manu Regum gubernabantur, ita ab his paulatim leges variæ latæ, unde hæ Leges *Regiæ* dictæ. Ita tamen, ut Reges harum legum apud populum auctores essent: populus ipse in triginta partes seu Curias, mox & in Centurias divisus

visus, eas probaret, sanciret; Unde *Curiatis & Centuriatis* legibus nomen. Eas leges omnes illis jam temporibus unum in corpus compegerat Sex. Papirius, a quo Collectio illa jus *Civile Papirianum* audiit. Exinde postea leges aliquot in 12. tabulas transfusæ: quinimo aliquam adhuc etiam ex his memorat Marcellus, *in leg. 2. ff. de mortuo inf.* De quibus dicam aliquid adhuc in Bibliotheca juris Romani.

CAP. II.

De Jurisprudentia Romana sub LIBERA REPUBLICA.

SECUNDA ætas, seu secundus Reip. Rom. status popularis fuit, liberæ Reip. ducta serie per 500. circiter annos, ad Aug. Imperatorem. Hujus verò ætatis, quod Jurisprudentiam attinet, tres Epochas, tria momenta constituo: puta ἀνομίας, ἑτερομίας, εὐνομίας.

Prima, inquam, Epocha liberæ Reip. Rom. intra *spatium* LX. annorum est νομίας, seu incerti juris. Post Reges quippe exactos, simul & cum his legibus eorum abolitis, ne qua videl. Regiæ potestatis umbra supereſſet, exceptis legg. Servii de Contractibus, quæ paulo ante a Tarquinio Su-

Superbo abolitæ, nunc in uſum revocatæ, a Coſſ. & Tribunis leges de ſtatu quidem publico, & Reip. ad populum perlatæ. Etenim ipſe pop. Rom. in privatis controverſiis incerto magis jure & conſuetudine, quam per latam legem egit: Coſſ. videlicet Patriciis, & potentioribus pro arbitrio ſuo, nullo ſatis legum præſcripto, jura reddentibus, & pauciſſimis tantùm legibus in Pontificum libros relatis: unde ſeditionum & diſcordiarum ſæpe materies enata.

Secunda ita mox ſtatus popularis Epocha ſecuta: ἰσονομία ſc. & ἰσηγορία in æquabilis Juris conſtituti, & fundatæ legibus Reip. Nempe, cum aliquot jam ante annis frequens mentio a Tribunis plebis mota, imo rogatio lata fuiſſet, *de legib. ſcribendis*; tandem A. V. C. 300. agente Romilio, vicit ea ſententia, & quidem vitandæ invidiæ, ut leges ἐπείσακτοι (i.e. adventitiæ vel extraneæ) æquabiles a Græcis peterentur: & ſexennium ferme integrum ea de re abſumptum. Miſſi quippe tres legati ad Græcos, qui triennio poſt reverſi: At anno proximo creati Decemviri, legib. ſcribendis, in his Appius Claudius & Romilius fuere: & præſcriptæ primum ab his decem Tabulæ, accitis & derivatis in eas quæ uſpiam egregia apud Græcos erant, idque opera

Her-

Hermodoti cujuſdam Græci Interpretis. Sed & anno proximo V.C. 304. duæ tabulæ ſuperioribus 10. (aſſumptis nonnullis velut ſurculis ex Regiis legib., tandem & traductis quibuſdam ex veteri jure & moribus ſuis ἐκλὼν ἐθισμῶν ἀγραίων) additæ ſupplementi vice. Sic tandem (anno V. C. 303. poſt Reges exactos annis 60., ante Chriſtum natum annis 440.) 12. Tabulæ in æs inciſæ publicèque propoſitæ fuerunt. Hic fundus jam & fundamentum & penu totius Juris Rom. deinceps fuit; finis Juris æqui, fonsque omnis publici privatique Juris. Quare ob legum iſtarum fontes & capita, non veritus Cic. hunc 12. Tab. libellum omnium Philoſophorum Bibliothecis, auctoritatis pondere, & virilitatis ubertate, præferre: Tandem & evaſerunt in carmen ſolemne, ſic ut foro olim deſtinati a pueris, hoc velut carmen addiſcerent. Atque hæ ſunt duodecim illæ Tabulæ, quarum ut frequentiſſima in jure mentio fit, ita varia ſubinde jura inde derivata ad εὐνομίαν.

Tertium igitur, ſeu poſtremum exinde ſtatus popularis momentum ſequitur, εὐνομίας videlicet poſt leges 12. tabularum ſemel latas, per annos ferme 440. Id eſt, poſteaquam fundata ſemel Reſpub. Rom. legibus fuit, validum juris augmentum & incre-

incrementum accepit. Cujus cauſas fonteſque ſex in univerſum reperio.

I. *Prima* eſt *diſputatio fori*, i.e. Prudentum interpretatio ad leg. 12. tab.: nam quia non omnia propalam his legibus comprehenſa fuerant, neque comprehendi potuerant, interpretatione Prudentum aliud ſubinde ex alio conſequens exinde elicitum, quod videlicet ad eandem utilitatem tenderet: & ad ſimilia procedendo, tritura quadam & exercitatione forenſi, ſine ſcripto ullo in morem & uſum tranſeuntibus. Unde jus illud *moribus* introductum dicitur, vel etiam proprio vocabulo *Jus Civile*. Sic ſpecies hæc juris ex 12. tab. fluxit.

II. Secunda ſpecies & occaſio fuerunt *Legis actiones*, quæ ex lege 12. tabul. proficiſcebantur. Nempe de iis, quæ ea lege comprehenſa erant, certæ & ſtatæ quædam formulæ a Prudentib. compoſitæ fuerunt, quibus inter ſe homines diſceptarent, eæque in uſum forenſem deductæ: unde *legis actiones* dictæ, quæ hodie *ſtyli* appellationem merentur: eaſque a collegio Pontificum peti tum oportebat. Verum 100. fermè poſt annis ab Appio Claudio Centumano in formam & librum redactas legis actiones, ſcriba ejus Cneus Flavius *evulgavit*, & toti foro expoſuit: ac gratiſſimum id munus populo viſum, ma-

magnoque penſatum. Inde pars hæc juris, *Jus civile Flavianum* dictum eſt. Sed enim adauctum mox a Sexto Ælio, qui Tripartita ideo ſcripſit: ibi quippe ipſa lege 12. tab. propoſita, interpretationem primum, mox & legis actionem ſubtexuit, atque inde *jus Ælianum* dictum.

III. Tertium incrementum ſunt *Leges ſingulares*, ſubindeque novæ a populo pro Reip. neceſſitate latæ; quarum ut frequentiſſima tum in jure, tum alibi mentio: ita collectæ hodie in unum Clarorum Virorum opera, de quo in Bibliotheca juris.

IV. *Plebiſcita* quoque a plebe ſola quamplurima lata, ſed quæ pro legibus habita, ſic ut omnes cives ea tenerent, ex lege Hortenſia: imo & in legum nomen tranſiere. Exemplo poteſt eſſe lex Aquilia.

V. Per *Prætores* quoque, &c. & quod excurrit, poſt 12. Tabb., annis, inſtitutos, penes quos ſummum in jure dicendo inter privatos imperium eſſet, quique Juris Civilis cuſtodes eſſent, evocatis jam belli cauſa Coss., non minimum Juriſprudentia profecit. Nam etſi ab initio annua tantùm eſſent eorum Edicta (prout etiam annuus eorum erat Magiſtratus,) quæ ſcilicet initio Magiſtratus ſui in albo publicè proponebant,

bant, ut ita ſciret populus quid de re quomodo in anno ſuo jus dicturi eſſent: Attamen, cùm ea edicta ab æquitate commendarentur quamplurima: vice versa, cùm momentaneis & arbitrariis hujuſmodi edictis ambitioſorum Prætorum gratiæ multum liceret, Lex Cornelia 300. poſt annis, A. V. C. 686. a Tribuno plebis rogata, ut Prætores ex edictis ſuis perpetuis jus dicerent: Inde Servius IC. (15. annis ferme poſt, ante Chriſtum natum 50.) duos libros *ad Edictum* ſubſcriptos breviſſimè reliquit. Eum excepit diſcipulus Ofilius, qui primus edictum Prætoris diligenter compoſuit, circa Julii, vel Auguſti tempora. Quare Cic. jam illis temporibus ſcribebat, ut olim a 12. tabulis, ita nunc a Prætoris edicto juri operam daturos initiandos fuiſſe.

VI. *Juriſconſultorum* etiam ſcientia quamplurimum juriſprudentia profecit: non modò publica profeſſione, qualem primus inchoaſſe memoratur circa A. V. C. 500. Tiberius Coruncanius: verùm ac potiſſimum ſcriptis eorum, ſeu reſcriptis & reſponſis: ſcriptis, inquam, quibus tum regulis & actionibus forenſibus conquiſitis, collectis, Jus civile fundare & conſtituere niſi ſunt: quinimo formulas ſubinde novas induxere, ſuperiorumque ſcripta notis ſuis in melius perduxere: reſcriptis

cis, ſeu reſponſis, ad conſultationes vid. *Judicum* & aliorum: Quæ tanti viſa, ut ab his vix judices recederent; & licet vim legis ipſo jure non obtinerent, ipſa tamen æquitate & neceſſitate commendabilia paſſim oſtentarentur.

In tantum denique per hos gradus profecit hac ætate Juriſprudentia, ut mole ſua laborare videretur. Unde jam tum conſilium Craſſo, Pomp. Tullio, Cæſari, *de Jure civili in artem & ad certum modum redigendo*, & in pauciſſimos libros ex immenſa diffusaque legum copia conferendo.

CAP. III.

De Juriſprudentia ſub IMPERATORIBUS.

POSTREMA ætas Reipub. Rom. ſucceſſit Monarchiæ Rom. Hac ſanè tempeſtate, etſi Imperatorum conſtitutionibus potiſſimum profecerit Juriſprudentia, attamen & aliis rationibus ex eorundem Principum authoritate maximum incrementum ea cepit.

Nam, ut maximè poſteaquam poſt Principis Imperium res juſque populi omne venit, atque adeò & juris conſtituendi poteſtas ad Principes tranſiit: ultro tamen nonnullas alias juris conſtituendi vias

Prin-

Principes probarunt, & juris vim iisdem tribuerunt.

Primam enim inter initia principatus *Leges* adhuc complures a populo, veteri ritu, Augusto autore tantum, non Julio latas, deprehendere licet, (unde *Juliis* legibus tot nomen), Comitiis de Campo Martio ad Patres nondum traslatis: quod a Tiberio demum factum. Ita veteris libertatis instar, umbraque & simulacrum quoddam ab Augusto relictum, a Tiberio ademptum, ne alioquin vis principatus (ut ejus verba erant) resolveretur: *Cujus ea conditio est, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur.*

Secundò, *Senatui* quoque postea authoritatis umbra, seu simulacrum aliquod hac parte in jure privato constituendo relictum. Nam quæ Principes de jure privato constituturi essent, Orationibus in Senatu prius complectebantur, de his censendi arbitrio Senatui relicto; eás deinde Orationes Senatusconsultum sequebatur. Quare, quod uno loco Oratione introductum dicitur, id alibi Senatusconsulto tribuitur. Ideoque Principes ipsi horum auctores dicti. Atque hæc sunt illa *Senatusconsulta*, quorum tam multa mentio in jure. Quæ sanè observare est, ibi incipere, ubi Leges desinunt, id est a Tiberii principatu: desi-

nere

nere verò, seu procurrere ad Marcum Imper. usque. Ultra quem nulla amplius Senatusconsultorum de jure privato conditorum mentio occurrit.

Tertiò & *Jurisconsultorum* scientiæ sua stetit & quædam auctoritas: In tantum, ut & ICti ex Principis jam inde ab Augusto auctoritate, non ut antea privata, publicè responderent, & rursus scripto, non verbo: atque ita major juris hujus auctoritas facta fuerit. Addatur his magna ICtorum frequentia circumfusos Principes, ex quorum ipsi consilio jura dicebant, condebant, ut non plures, aut potiores Prudentes alia ætas tulerit, quam hujus ætatis prima epocha. In tantum, ut quorundam tandem scriptis, vim *lectionis* (ut loquebantur), i. auctoritatem allegationis in judiciis, vimque legis Principes tribuerint.

Veniat quarto loco, & in hunc censum *Edictum perpetuum*: nam cum edicta Prætorum antè incerta forent, ad ultimum, centum & quod excurrit post Ofilium annum, 15. Hadriani Imp. anno, ejusque jussu circa A. D. 102. Edictum perpetuum à Juliano IC. ordinatum fuit: non modo Prætorum edictis compilatis, & in ordinem ac titulos coactis; verum & de suo aliquam multis additis, aliis detractis, immutatis.

Et opus hoc adeo probatum fuit, ut antiquata iam lege 12. tabul. in quam plurimis, hæc major & potior juriſprud. pars extiterit; Hicque jam fundus ejus habitus; eoqne velut æquiſſimo jure Imperatores uti voluerint: atque exinde jam dimidia ferme pars ſententiarum in Pandectas relatarum, conſtet.

Extra hæc quatuor, quæ dixi (puta leges nonnullas, Senatuſconſulta, Juriſconſultorum ſcripta, & reſponſa, & edictum perpetuum), potiſſimam Juriſprudentiæ partem ſub hoc ſtatu monarchico Principum Conſtitutiones fecere: ſive ipſi inter partes cognoſcerent, decernerent, unde *Decreta & Cognitiones* Imperatoriæ: ſive ad libellos privatorum & conſultationes Magiſtratuum reſcriberent, unde *Reſcripta* Principum: ſive generale Jus publice conſtituerent & edicerent, unde *Conſtitutiones* proprie & *Edicta* Principum: ſive Ictorum diſſenſiones deciderent, unde *Deciſiones*: Ejuſmodi ſunt 50. Juſtiniani.

Cap.

CAP. IV.
De PRIMA *Epocha Imperatorum.*

TRES porrò epochas ſtatus hujuſce monarchici conſtituo. Prima eſt *Gentilium* Imperatorum, per trecentos 50. circiter annos, ab Auguſto Imp. ad Conſtantini M. initia, ſeu A. D. 306. uſque: quibus poſt Auguſtum imperarunt Tiberius, Gajus, Claudius, Nero, Veſpaſianus, Titus, Domitianus, Nerva, Trajanus, Adrianus, Antoninus Pius, Divi fratres (i. M. Antonius Philoſophus & Verus), Marcus ſolus, Marcus cum Antonino (i. Commodo filio ſuo), Commodus, Pertinax, Severus, & Antoninus F., Antoninus, Caracalla ſcil. Antoninus Heliogaballus, Alexander Severus, Maximinus, Gordianus: Philippi Impp. Decius, Gallus, & Voluſianus, Valerianus Galienus, & Valerianus Cæſar, Gallienus & Valerianus, Claudius, Aurelianus, Probus, Carus, & Carinus, & Numerianus: Diocletianus, & Maximianus: Conſtantinus, Maximianus Auguſti, & Severus ac Maximianus Cæſares. Ab his omnibus, ut variæ conſtitutiones proceſſerunt, quarum mentio paſſim fit tum apud Hiſtoricos, tum in ſcriptis ICtorum, & in Principum poſte-

riorum conſtitutionibus, ita ſequentium nomiratim, jam inde ab Adriano, Principum conſtitutiones in duos Codices, Gregorianum & Hermogenianum (quorum fragmenta quædam hodiernum extant) per titulos conjectæ fuerunt: privatane an publica auctoritate conditi fuerint, in incerto eſt: At proculdubio de Compilatorum nomine ita dicti. Neque de illo ſatis hactenus conſtat, cur ab Hadriano (cujus etiam unica tantum conſtitutio in Codice refertur, puta *lex* 1.C. *de teſtamentis*), neque ultra, aſſurrexerint aut Codices illi, aut poſtea Juſtinianus. Mihi mens ea, id ideo factum, quia nova quædam Juriſprudentiæ ratio ab Hadriano cœperit, tum Edicto perpetuo conſtituto, tum quia ſectæ IC., de quibus poſtea, tum pene refrixerint: denique, quia publicè reſpondendi cuique pro arbitrio ſuo jus factum: Ut proinde novi Juris, ac novæ Juriſprudentiæ auctor Hadrianus Codicibus illis initium dederit: pariter ut ſecundæ Epochæ novitas, novo Codici Theodoſiano, de quo mox.

CAP.

CAP. V.

De Secunda EPOCHA *Imperatorum*.

SEcundam Epocham Imperatoriarum Conſtitutionum faciunt Principes Chriſtiani, a Conſtantino M., qui primus Imperatorum Chriſtianus fuit, ad Theodoſium Juniorem uſque, ſeu ad A. D. 438. ſpatio circiter annorum 130., hoc ordine: Conſtantinus M.: Conſtantinus, Conſtantius, Conſtans: Conſtantius & Conſtans, Conſtantius ſolus: Conſtantius Aug.,& Conſtans Cæſar (id eſt, Gallus) Conſtantius Aug. & Julianus Cæſ.; Julianus Aug. Jovianus, Valentinianus & Valens: Valentinianus, Valens & Gratianus; Valens Gratianus & Valentinianus Jun. Gratianus: Valentinianus Jun. & Theodoſius: Valentinianus Jun., Theodoſius & Arcadius: Theodoſius & Arcadius: Theodoſius, Arcadius Honorius, Arcadius: Honorius, Arcadius Honorius Theodoſius Jun. Honorius, Theodoſius Jun. & Conſtantinus Cæſar: Honorius Theodoſius, Theodoſius & Valentinianus III. Horum Principum Chriſtianorum igitur, ſuaſque ad id tempus de rebus tum ſecularibus, tum Eccleſiaſticis conſtitutiones, octo viris ad id delectis, Theodo-

ſius jun. unum in Codicem ſeu corpus colligendas commiſit. Et verò in ſedecim libros relatæ, eo codice, qui ideò *Codex Theodoſianus* dicitur. Quique ideò a nonnullis veterum, *Novas leges legitimorum Principum* continere dicitur, eo quod ex Chriſtianorum Principum conſtitutionibus conſtaret.

Cap. VI.

De TERTIA *Epocha Imperatorum.*

Poſtrema Epocha eſt eorum Imperatorum, qui deinceps ſecuti ad Juſtinianum Imperatorem: eaque centum circiter annorum, ab A. D. 438. ad annum 534., hoc ordine. Præter Theodoſium & Valentinianum III. Valentinianus & Martianus: Martianus ſolus: Leo & Majorianus: Leo & Severus: Leo ſolus. Leo & Anthemius. Leo Junior & Zeno; Zeno ſolus, Anaſtaſius: Juſtinus & Juſtinianus: Juſtinianus ſolus. Atq; horum Principum conſtitutiones ſuas & peculiares collectiones meruere: & quidem ſub *Novellarum* nomine, eo quod noviſſime poſt Codicem Theodoſianum editæ eſſent: uſque quo ad Juſtinianum deventum eſt, de cujus inſtituto paulo poſt.

Cap.

Cap. VII.

De Jurisconsultis, *eorum ſucceſſione, ſectis, ſcriptis.*

Prius enim de IC. omnibus, eorum ſectis, & variis ſcriptorum generibus, tam ſub libera Rep., quam ſub ſtatu Monarchico, ſigillatim moneri oportet. Vario & multiplici uſu, non tantum ne ad Juris Civilis libros accedentibus, veterum Auctorum nomina incognita eſſe poſſint, quod ſuo jam ſeculo Ammianus Marcellinus cauſidicis nonnullis exprobrabat: Verum, ac potiſſimum, ut ad temporum ordinem diſpoſitis IC. quis, item cujus ſectæ fuerit, quæ eorum ſcripta ſint, in quibus luſerunt, Juſque adauxerunt, probe intellectis, & juris ipſius proceſſum, & vim plerarumque legum, denique conciliandarum legum rationes tenere poſſimus.

Succeſſio Ictorum 115. hæc ferme tenenda eſt ante Ciceronem. Sub Libera Rep. hi hoc ordine fuerunt.

Pub. vel Sext. Papyrius.

Appius Claudius, unus è Decemviris circa A. V. C. 300.

Appius Claudius Centimanus Cœcus A. V. C. 440.

Appius Claudius 3.
Sempronius coætaneus.
Q. Mucius Augur.
Tiberius Coruncanius circa A.V.C. 470
Sext. A. V. C. 555.
P. Ælius A. V. C. 558.
Scipio Naſica.
P. Attilius.
M. Porcius Cato.
M. Manilius A. V. C. 600.
P. Mucius A. V. C. 620.
Lælius Brutus.
M. Junius Gracchanus circa A. V. C. 630.
¶ CICERONIS ævo ante Julium C.
P. Rutilius Rufus. Cos. A. V. C. 648. ante Chriſtum 102.
P. Verginius.
Q. Tubero.
Sextus Pompeius.
Cœl. Antipater.
Lucius Craſſus Mucianus.
Q. Mucius Scævola circa A.V.C. 660., ante Chriſtum 90.
Gallus Aquilius, Mucii auditor.
Balbus Lucius.
Sext. Papyrius.
G. Juventius.
Cornelius Maximus.
Servius Sulpitius circa A. V. C. 700., ante Chriſtum 50.

An-

Antæus.
Sext. Ælius Druſus.
Granius Flaccus.
Paconius.
Puteolanus.

¶ Sub CICERONE, JULIO CÆS. & AUGUSTO.

A. Caſcellius.
C. Trebatius Teſta.
Antiſtius Labeo, Servii diſcipulus.
C. Aul. Ofilius, Servii diſcipulus.

¶ Poſt CICERONEM ſub Auguſto, poſt natum Chriſtum.

Alfenus Varus, Servii diſcipulus.
Feneſtella.
Aufidius Tucca, Servii diſcipulus.
G. Atejus Pacuvius, Servii diſcipulus.
Priſcus, Servii diſcipulus.
Cinna, Servii diſcipulus.
Blæſus.
C. Ælius Tubero.
T. Cœlius Servii diſcipulus, poſt Trebatium.
Publ. Gellius, Servii diſcipulus.
Aufidius Namuſa, Servii diſcipulus.
Atejus Capito.
Labeo Antiſtius, Trebatii diſcipulus.
Vitellius.

¶ Sub TIBERIO, GAIO, CLAUDIO, NERONE.

Ælius Gallus.
Maſſurius Sabinus.
Nerva pater.
Favius Mela.
G. Caſſius Longinus circa Ann. Dom. 30.
Arrianus.
Carfilius.
Proculus.
Sex. Pælius, ſub Gaio & Claudio.
¶ Sub VESPASIANIS.
Attilicinus.
Urſejus Ferox.
Priſcus Fulcinius,
Vivianus.
Plautius.
Pegaſus.
Nerva filius.
Cælius Sabinus.
¶ *Sub* TRAIANO, & HADRIANO.
Minicius Natalis.
Juventius Celſus P.
Priſcus Iavolenus Magiſter Juliani; l. 5. *ff. de manumiſſ. vind.*
Celſus F.
Ariſto.
Octavenus.
Neratius Priſcus.
Fuſidius.
¶ *Sub* ANTONINO PIO.
Severus Valerius.

Sal-

Salvianus Julianus.
Papyrius Fronto.
Terentius Clemens.
Jun. Mauricianus circa A. D. 167.
Publicius.
Pactumejus Clemens.
Campanus.
Valens.
Vindius Verus.
Sex. Cæcilius Africanus.

¶ *Sub* DIVIS FRATRIBUS, & MARCO SOLO.

Papyrius Juſtus.
Gaius, poſt A. D. 167.
Venulejus Saturninus.

¶ Sub MARCO & COMMODO.

Pomponius.
Voluſius Mæcianus. v. l. 90. *de pactis*, *l.* 17. *de jure patr.*
Marcellus poſt Ann. D. 168. v. l. 6. in fin. *ff. mandati*.

¶ *Sub* COMMODO.

Q. Cervidius Scævola.
Florentinus.
Tarruntenus Paternus.

¶ *Sub* SEVERO.

Arrius Severus.
Tertullianus.

¶ *Sub* SEVERO & ANTONIO CARACALLA, poſt A. D. 202.

Arius Menander.
Papinianus.
Callistratus.
Furius Anthianus.

¶ *Sub* ANTONINO CARACALLA.

Martianus Messius.
Tryphonius.
Paulus.
Ulpianus.
Licinius Rufinus.

¶ *Sub* ALEXANDRO SEVERO.

Æmil. Macer.

¶ *Sub* GORDIANO.

Modestinus, circa Ann. D. 240.

Atque hic ICtorum finis est, hic oracula ICtorum obmutuere, sic ut ultimum ICtorum Modestinum dicere verè liceat, cessim & retrò collapsa jam Jurisprudentia. Itaque qui deinceps succesſerunt IC., cujusmodi aliquammultos observare licet, (& quidem inter alios INNOCENTIUM, quem multis prædicat Eunapius; ejusdemque mentio apud Ammianum Marcellinum); item ANATOLIUM nudam docendi & profitendi publicè provinciam Romæ, Constantinopoli, Beryti, susceperunt: Jus autem neutiquam adauxerunt: sive quia prioribus pares esse non poterant: sive occupata jam & exhausta ab aliis materia, sic ut ad summum Jurisprudentia

dentia perveniſſet : ſive denique barbarie paulatim invaleſcente , atque incuria ſolidæ eruditionis; quo alioquin pertinet querela Ammiani Marcellini, *lib.* 30., querela Theodoſii Junioris , *in novella de auctoritate Cod. Theo.*, & Conſilium auctoris, qui eodem Theodoſio Jun. fuit ſubditum Notitiæ Imperii .

Hinc denique factum, ut non aliud inſecuti IC. præſtiterint, quam ut vetera excolerent, colligerent, improbarent, quod Bibliotheca juris oſtendit : quorum numero tres reperio .

Sub CONSTANTINO M., & ejus Filiis.

Hermogenianum, Aurelium, Arcadium, Chariſium , & Julium Aquilam.

Et hæc de Prudentum ſucceſſione: ſequitur de eorumdem *Seceſſione* ſeu ſectis. In varias ſcilicet ſectas ab ICtis receſſum, jam inde Auguſti temporibus; & verſo in principatum Reip. ſtatu , à pauciſſimis licet initio principiis, quibus diſcordarent, latiſſimè tamen poſtea diffundente divortio : Hinc igitur ſtare *Caſſiani*, itemque *Sabiniani* , iſtinc *Proculeiani*, ſeu *Pegaſiani*. Hujus diſſidii Auctores primi Attejus Capito, & Antiſtius Labeo, quorum ille tenax in traditis, ſibi Sabinos & Caſſios habuit ſectatores : hic vero ingenii fiducia mul-

multa innovare instituit, sectatoribus Proculo & Pegaso. Sic aucta dissensio a discipulis, quorum hæc series; & cui similem depinxit Contius 1. *Success.* 12.

SABINIANI.	PROCULIANI.
CASSIANI.	PEGASIANI.

Sub AUGUSTO.

Attejus Capito Ofilii discipulus.	Antistius Labeo Trebatii discipulus.

Sub TIBERIO.

Massurius Sabinus.	Nerva Pater.

Sub CAIO, CLAUDIO, NERONE.

C. Cassius Longinus, a quo Cassiani.	Proculus, unde Proculiani.

Sub VESPASIANIS.

Cœlius Sabinus, a quo SABINIANI.	Nerva Filius, & Pegasius, a quo PEGASIANI.

Sub TRAIANO, HADRIANO, ANTONIO PIO.

Priscus Javolenus.	Celsus P.
Aburnus Valens.	Celsus F. Priscus.
Juscianus.	Neratius.
Sal. Julianus.	

Atque hactenus, neque ultra Adrianum, vel Antonium Pium, sectarum istarum se-

ſequaces reperiuntur. Quinimo reſtrixiſſe hæc diſſidia vero verius eſt, ſaltem in apertum diſſidium res non erupit: Exinde quippe certatim orti erciſcundi medii IC., neque in cujuſquam jurare verba Magiſtri parati. Etſi ſtetiſſe controverſias aliquas nihilominus verum eſt, quæ *deciſionibus* Principum poſtea, & in his Juſtiniani tandem ſopitæ. Et hærent quoque etiamnum, quicquid tandem egerit Tribonianus, hujus diſſenſionis reliquiæ, quæ tot ideo ἐναντιοφανα nobis producunt, quibus componendis multum intereſt ſcire, quis cui ſectæ fuerit addictus.

Scripta veterum Juriſconſultorum, quorum indicem præferunt Pandectæ Florentinæ, præferunt legum, ex quibus Pandectæ concinnatæ ſunt, inſcriptiones, ad hæc ſumma genera refero. Vel enim in pragmaticis, ſeu practicis verſati ſunt (quo pertinent libri Quæſtionum, Reſponſorum, Epiſtolarum, Decretorum, Conſtitutionum, Digeſtorum.): vel verſati ſunt in πολιτευμασι, ſeu παραγγελμασι, i.e. in officiis Magiſtratuum deſcribendis; (hinc tot ICtorum libri de hujus, vel illius Magiſtratus officio.) Vel denique in Theoreticis verſati; vel enim excerptis & variis lectionibus concinnandis inſtiterunt, (hinc libri variarum lectionum); vel notas conſcripſe-

ſcripſerunt ad leges populi Rom., ad SCta, Edicta, Orationes, Principum conſtitutiones, ICtos alios veteres: vel Tractatus ſingulares ediderunt; tandem jus in artem redigere ſatagerunt; hinc Enchiridia, Pandectæ, Regulæ, Sententiæ, Definitiones, Brevia, & Inſtitutionum libri.

CAPUT VIII.

De JUSTINIANI OPERIBUS, ſeu CORPORE *Juris Civilis*.

HIs ita ad Juſtiniani tempora perductis, *Juſtinianus* ipſe cum immenſam illam conſtitutionum, & Juriſconſultorum molem & ſylvam videret, impetum cœpit, ſecundo ſtatim Imperii ſui Anno, A. D. 528. hanc ingentem ſylvam cædendi, utiliorum delectu habito, & ſuperfluis reſecatis. Qua in re ſeptennium integrum abſumptum: & triplici quidem inſtituto, ſequenti ordine, qui ad enantiaphanon quoque conciliationem obſervandus eſt. Primum, ad conſtitutionum Imperatoriarum converſo ſtudio, & decem viris ad id delectis, & in his Triboniano, ex tribus illis, quas dixi, Imperatoriis epochis, & ex tribus illis, quos dixi Codicibus, ac ſecutis deinceps Impe-

Imperatorum, ſuiſq; ad id tempus Conſtitutionibus, *Codicem* concinnari voluit, A. D. 528. Et vero ſecuto anno editus Codex A. D. 529. Inde ad Veterum ICtorum libros, qui ad duo millia aſcendebant, & verſuum (i. ſententiarum) trecenties decem millia, animum adjecit, quare *Pandectas* ſive *Digeſta* exinde componi juſſit, Anno 4. Imperii ſui, ſeu A. D. 530., & quadriennium in eo uno opere abſumptum: editum quippe A. D. 533., apertiſſima nominis ratione, quia opus hoc *univerſa* veteris prudentiæ monumenta in unam conſonantiam redacta, *digeſta* contineret. Eodem anno, & Tyronibus juris ſtudioſis prima juris elementa, ſeu fundamenta, & incunabula, quatuor *inſtitutionum* libris proponi voluit: Exemplo potiſſimum Gaii I. C.: & vero in publicum edidit, uno menſe ante Digeſta. Sequente demum anno 534. cum Codici aliquid deeſſe videret, repetita prælectione & editione eundem retractari voluit: & hic eſt Codex ille novus *repetitæ prælectionis*, quo hodie utimur, priore abolito.

A. D. 528. Juſtiniano. A. 2. Coss.
529. Decio V. C. cos.
530. Lampadio & Oreſte coss.

CODICEM fieri mandavit Juſtin. Idib. Feb.

Co-

Codex editus Idib. April.

DECISIONUM 50. initium ab hoc anno.

DIGESTA componi mandat Decemb. menſe.

531. Poſt cos Lamp. & Or. I.

532. Poſt cos. Lamp. & Or. 2.

533. Juſtiniano 3. cos.

INSTITUTIONES eduntur menſe Novembr.

DIGESTA eduntur menſe Decemb. 534. Juſtiniano 4. & Paulino coss.

CODEX repetitæ prælectionis editur menſe Novemb., abrogato priori.

Atque hac triplici ratione pleniſſimè juris ſtudio conſultum putavit Juſtinianus.

Nihilo ſecius & ipſe deinceps poſt Codicem ſuum *Novellas* quaſdam conſtitutiones pro rei contingentia, & negotiorum varietate edidit, quæ poſtea in unum corpus collectæ: & quia harum epitomen Julianus anteceſſor conſcripſerat, *Authenticæ* dici meruerunt. His cohærent & Edicta 13. ejuſdem Juſtiniani, quæ non ad certum aliquem hominem, aut populum ſcripta ſunt, ſed in genere provulgata. Atque ita his quinque partibus abſolvitur Corpus Juris Civilis.

CA-

CAPUT IX.

De FATO JUSTINIANEÆ *Juriſprudentiæ.*

SEcutæ ſunt Juſtinianum ea tempora, imò partim excepere, quibus neque Occidentem Juſtinianei libri penetraverunt. Jamdudum enim eum Gothi, Franci, Saxones, Vandali pervaſerant: pervaſerunt & poſtea Longobardi. Quare illorum legibus locus jam factus, Salicis, Burgundionum, Viſigothicis, Longobardicis, quas exhibet *Corpus legum antiquarum*: niſi ſicubi ſuæ & Romanæ leges infelicibus Romanorum reliquiis ſervatæ fuerunt: & hæ ipſæ tamen leges Rom. non è libris Juſtinianeis deſumptæ, verùm ut antea ex Codice Theodoſiano ipſo, ſtatim ut conditus (teſte Sidonio Apollinari), ita poſtea ex Epitomâ quadam *Codicis Theodoſiani* ſubtextis nonnullis è Gregoriano, Hermogeniano, Pauli Sententiis, Ulpiani Regulis, Gaii inſtitutionibus. In Orientis Imperio miro miſeroque fato, & eodem quo cæteræ diſciplinæ, Juſtinianei libri ſenſim obſolevere, recedente paulatim linguæ Latinæ uſu, & barbarie in dies magis ac magis accedente; quin & Novellis ſubinde, pro novo Reip. ſtatu inſecutorum Principum

Con-

Conſtitutionibus, alicubi etiam per invidiam & æmulationem tam illuſtri operi incumbentibus. Quare ut de Leonis Novellis nil dicam, in novas ſubinde formas opus Juſtinianeum recoctum. Nil jam dico de Inſtitutionum paraphraſi, quæ Theophilum habet auctorem, utiliſſima; hoc ipſum ſane oſtendit Baſilii Macedonis Epitome Juris Codicis, ſeu Digeſtorum, ſeu προχειρου, trecentis circiter poſt Juſtiniani opera annis editum. Teſtantur Baſilicorum 60. libri, a Leone Filio ejus & Leonis filio Conſtantino Porphyrogenneta repetita prælectione concinnati, in unam vid. conſonantiam omnibus Juſtiniani operibus confuſis: teſtatur eorundem Baſilicorum ſynopſis, ſeu ecloga: Fidem faciunt tot barbara & ignota ICtorum nomina, notas jam in Baſilica, tanquam fundum Juriſprudentiæ conſcribentium: Teſtis eſt Photii Epiſcopi Conſtantinopolitani Nomocanon, quo is leges civiles cum canonibus miſcuit, quique poſtea Theodorum Balſamonem interpretem nactus eſt. Hinc etiam Synopſis altera Attaliatæ adhuc brevior, & velut ſynopſis ſynopſeos, juſſu Michaelis Ducæ Imp. A. D. 1077. His accedat & Conſtantini Hermenopuli Procheirum, ſeu promptuarium ex Baſilicis conflatum, circa Emanuelis Comneni ætatem. A. D. 1145. His ac-

accedant omnibus Paratitlorum Græcorum libri, quorum tres Leunclavius edidit. Quorum omnium ut uſus aliquis ſæpenumero eſſe poteſt, ita maxima pars aſſaniarum plena; uſquequò Orientis Imperio perpotiti jam Turcæ, capta Conſtantinopoli anno 1485. Quos tamen ipſos & reverentia quædam Juris Juſtiniánei vel curioſitas ſaltem tetigit; & ſi verum eſt quod Leunclavius prodidit, Codicem Juſtinianeum neque Turcis in lingua ſua deeſſe.

Sed commodum accidit, ut circa ipſa tempora, quibus jam nitor Juriſprudentiæ Juſtinianeæ ferme decoxerat, ſalutari quodam ſydere, & divina virgula, 600. ferme annos poſt, medio quaſi ſeculo duodecimo A. D. 1136. Opus Juſtinianeum in Occidente efferri cœperit. Exactis quippe a Lothario Imp. II. Saxone ex Italia Normannis, & ab eodem ductu Innocentii ſecundi Pontificis Melphi ſeu Amalphi Civitate Apuliæ (quæ pars Italiæ diu poſt alias in poteſtate Græcorum Imp. ſteterat) expugnata, repertum antiquiſſimum illud exemplar, & Juriſprudentiæ Ancyle Pandectarum, quod Piſani ab Innocentio ſecundo Pontifice Maximo, & Lothario Cæſare item ſecundo, qua claſſe eos adverſus Normannum Rogerium juviſſent, ceu egregiæ navatæ operæ monumentum & præmium,

retu-

retulerunt, ejuſque donationis per Lotharium collatæ inſtrumentum habuiſſe ſe Plotius Gryphius Piſanus hiſtoricus affirmat: Et habuerunt id diu penes ſe Piſani: unde & in Gloſſis *Piſanæ Pandectæ* vocantur; Donec per Ginum Caponium Florentini A. D. 1406. Piſis in poteſtatem redactis, ſubjectionis ſymbolum tranſtulerunt: Unde *Pandectis Florentinis* nomen: Inde idem Lotharius Irnerii (quem alii Vernerium vocant), qui *Authentioas* Codici ſubtexuit, conſilio, Jus Juſtinianeum & in foro obſervari, & in Gymnaſiis doceri juſſit, ac nominatim precibus Mathildæ Comitiſſæ Tuſciæ Piſis doceri, quod Abbas Urſpergenſis retulit. Itaque Irnerius & Jus Juſtinianeum è bibliothecis eduxit, & primus jura in Italia Bononiæ profeſſus eſt, & primus præterea interpretationem addidit. Ab hoc initio ad alias Civitates Italiæ & tranſmontana Galliarum propagata Juriſprudentia, poſteaquam ſemel Irnerius vexillum extulit. Hinc enim ex ſchola Irnerii prodiere Placentinus Bononiæ: in Gallia Monſpelii, Joannes Boſſianus, Martinus Coſſias, ambo Cremonenſes, Bulgarus Piſanus, Azo Accurſii præceptor, qui ultimus Accurſius ſuperiorum Gloſſas in ſuas & pleniſſimas Joannis auditor transfudit, temporibus Fri-

deri-

derici II. ante annos 435. integros, i. e. circa annum 1227.

Atque huic inquisitioni satis. Nisi quod & illud scire interest, seculo demum superiore, posteaquam veteri historiæ linguarum & humanarum literarum studium renatum est, simul & Jurisprudentiam meliori fato excitatam. Nam cum antea soloci filo, & jejuna atque aspera Interpretum opera Jus tractaretur, sine ullo Historicæ, aut Philologicæ cognitionis lumine, qua destituti ubique passim impegere, Accursii glossam, seu feudum Jurisprudentiæ sequi & enarrare tum contenti, textu jam pene neglecto, & abolitis pene libris Justinianeis: exorti certatim qui Jurisprudentiam ab his impoliriis vindicarunt, tum scriptis, tum ipso textu instaurato, & in his pandectis Florentinis, eductis: In his primi & potissimi Guilielmus Budæus, Andreas Alciatus, Gregorius Haloander, Antonius Augustinus, Lælius Taurellus, Zasius, Viglius; & post omnes, ut taceam cæteros, domestica etiam decora, sed qui unus pro omnibus, qui è latericia jam auream fecit Jurisprudentiam,

JAC. CUJACIUS.

BIBLIOTHECA
JURIS CIVILIS
ROMANI.

HISTORIAM Juris Civilis proximo pedato excipiat Bibliotheca, cujus notitia hoc initio pariter præſtruenda venit: ut ita limine ſtudiorum ſuæ deinceps artis inſtrumenta familiariter noſſe tyro incipiat: Atque in his potiſſimum hærendum ſibi, vel ubi aliquando ad recentiorum commentarios diverterit, huc omnino redeundum, hicque pedem figendum ſciat. *Bibliothecam* voco libros, de Jure Civili Romano, aliaque vetera monumenta & fragmenta, ceu tabulas naufragio, quæ vel propriis conſignata editaque libris, vel per varios ſparſa libros, clarorum Virorum induſtria hodie collecta habemus: Denique omnia ad jus civile ſpectantium librorum fragmina, quæ ſuperiorum temporum injuria reliqua nobis fecit. Quæ omnia, etiam ea quæ alioquin vel minima videri poſſent, vel obſoleta & antiquata nimis, vel etiam a Græculis, aut ſequioris ævi ſcriptoribus conſignata,

ſignata, maximam tamen lucem Juſtinianeis libris vel illuſtrandis & explicandis, vel reſtituendis ſubinde inferunt.

CAPUT I.

PRO-JUSTINIANEI VETERIS Juris Reliquiæ.

PRimum igitur eas Juris Civilis reliquias apponemus, quæ ſpectant ad jus vetuſtius Juſtinianeo; Atque a publicis monumentis & legibus initium faciemus.

I. Legum REGIARUM, (qui primus fundus Juriſprudentiæ Romanæ eſt) fragmenta primo loco occurrunt, quæ a Sexto Papyrio olim unum in corpus collecta fuerunt: ad quæ poſtea Granium Flaccum IC. librum Commentarium ſcripſiſſe Paulus noſter auctor eſt, *in l.* 144. *ff. de V. S. Granius*, inquit, *Flaccus in libro de Jure Papiriano*: quem ipſum Granium Flaccum Lacinium allegant Feſtus, Arnobius: quin & Macrobius *lib.* 3. *Satur. c.* 11. locum integrum ex hoc jure Papiriano apponit. Verùm utrumque opus cum ipſis legibus intercedit. Superſunt tamen ipſarum legum fragmenta nonnulla, quæ Antonius Auguſtinus, Contius, Balduinus, Fulvius Urſinus Romæ in 4. A. D. 1583., Pandulphus

Pratejus, Fr. Modius, Manutius, Lipſius collegerunt, partim ipſiſmet Legum Regiarum verbis conſignatis: potiſſimam vero partem earum tantum ſententia expreſſa. Sed magna Balduini confidentia fuit, qui auſus eſt aſſerere, octodecim Romuli Leges ſe habere ex columna quadam antea Romæ in Capitolio erecta. Illud obſervandum, non niſi trium Regum leges occurrere, nempe *Romuli, Numæ, & Servii Tullii*: (cujus 50. leges fuiſſe de contractibus & delictis σιωαλλαχτικὰς καὶ περὶ τὰ δικημάτων. Dionyſius Halicarnaſſeus diſerte ſcribit *lib.* 4., nullas Tullii Hoſtilii, Anci Martii, aut Priſci Tarquinii, ac multo minus Tarquinii Superbi, qui Tullianas aboleverat.

II. Leges XII. TABULARUM, (qui ſecundus fundus & corpus Juriſprudentiæ Romanæ eſt), proximè ſequuntur. Ad has ſanè veteres ſubinde ICti interpretationes, ſeu Commentarios, & explanationes ſcripſerant: in his Sex. Ælius, L. Acilius, Lælius, Valerius Meſſala, Qu. Antiſtius Labeo: poſtremus omnium ſub Marco Imperatore *Gajus*. In ipſarum legum fragmentis eruendis, ut aliquammulti alii poſt alios, (etiam Cujacius *libris obſervationum*) ita in colligendis quamplurimi operam navarunt, puta Aymarius, Ricallius Olden-

Oldendorpius, (& ex eo Forſterus) Antonius Auguſtinus, Romæ in 4. 1583., Balduinus, Contius, Hotomannus, Rævardus, Calcagninus, Criſpinus, Pighius, Marcilius, Franciſcus Pithæus, Dionyſius Gothofred. p. m., Juſtus Lipſius, alii. In diſponendis varium ſinguli quippe ferme ordinem ſectati. Jam aliquot anni abeunt, cum ipſe varios errores ab aliis hac parte admiſſos, obſervabam, ob aliquammulta omiſſa, alia interpolata, aliena etiam in hunc cenſum conjecta, puta Legis actiones nonnullas, & elicita per interpretationem ex ea, atque id genus alia. Ordinem ut quiſque ex arbitrio commentus eſt, ita ad verum propius acceſſit Franciſcus Pithœus. At genuinum duobus ſubſidiis reſtituiſſe mihi videor: Primum expreſſis Veterum quorundam in id authoritatibus, tum & ſex Gaii librorum ad XII. Tabulas ordine inſpecto, quorum ſingulis duæ Tabulæ explicatæ fuerant.

III. LEGES ſubinde pro uſu populi Rom. latas, omnes quantum in ſe collegerunt, earumque catalogos confecerunt Antonius Auguſtinus, Zaſius, Manutius, Hotomannus, Charundas.

IV. SINGULARES ex iis quaſdam leges, earumque capita peculiari ſtudio collegerunt, & ſingularibus commentariis illuſtrarunt nonnulli,

nulli, tum Veteres ICti, [quorum Index Pandectis Florentinis præmittitur, & in materias digestus a Joan. Pichardo), tum & novi. *Ad legem Vellejam* scripsit Anton. Augustinus: *Ad leg. Juliam Majestatis*, Contius: ad *leg. Juliam de Adulteriis*, Brissonius: capitibus ejus XXIX. editis, *Legis Voconiæ*, *Falcidiæ*, *Juliæ*, *Papiæ*, *Poppeæ*, *Rhodiæ*, *Aquiliæ* capita collegit: iisque lucem intulit Balduinus, Basileæ in 8. A. D. 1556. Et nos aliquando legem Papiam, ejusque capita distinximus, suoque ordini restituere instituimus. Nonnullarum præterea legum obscuriorum memoriam excitarunt aliquammulti, velut legis Gliciæ Cujacius 14. *obs.* 14.; Legis Lætoriæ Idem 19. *obs.* 33.: Legis Cinciæ Ranchinus 2. *variar.* 7., & Burgius lib. 1. *Electorum cap.* 18.

V. SENATUSCONSULTA, de Jure videl. derivato a Tiberii Principatu ad Marci Imp. tempora, collegit Anton. Augustinus, Romæ in 4. A. D. 1583. *Orationes Principum* nonnullas, (quas SCta sequebantur) singularibus commentariis illustravit Scipio Gentilis, puta *Orationem Marci de transactione super alimentis*, Hanoviæ in 8. A. D. Item *Orationem Ant. Carracallæ de donationibus inter virum & uxorem*, in 4. Hanoviæ, A. D. 1604.

VI.

VI. EDICTUM PERPETUUM, quod Hadriani Imp. auctoritate a Salvio Juliano ICto conditum, atque in titulos digestum, (quodque tertium Jurisprudentiæ Rom. fundum & *Corpus* vocare licet, & vel potissimum deinceps) libris Manualium Eguinarius Baro colligere cœperat; verum probabili minus instituto, utpote qui sciens ea sæpius Edicta confingat, quæ nunquam fuerunt, sed quæ sunt ex Jurisconsultorum placitis, moribus Romanorum, antiquis legibus, vel etiam novis Principum constitutionibus. Atqui multum interest, hæc non turbidè misceri, sed probè distingui. Quare secuta industria Guilielmi Ranchini, qui A. D. 1397. Parisiis in 8. Edictum Perpetuum, ejusque reliquias anxie collegit, alienis resecatis, easdemque collectas concinnavit: ita quidem ut ipsa Edicti verba uncialibus literis & majusculis excudi rectè voluerit, cætera minutioribus. In hoc tantum subsedit ejus industria, quod non ad genuinum, verum ad Justinianeum ordinem capita Edicti disposuerit. Verùm quod sibi tum defuisse etiam ultrò Ranchinus fassus est, novæ alicujus operæ materia aliquando ea nobis futura, genuino videlicet ordine Edicti Perpetui instauraro, seu restituto, quem e Veterum Jurisconsultorum Commentariis

ad Edictum (puta Juliani , Ulpiani , Pauli , Gaii , & cæteris) cruere proclive erit .

CAPUT II.

JURISCONSULTORUM Veterum ad Jus Pro-Juſtinianum reliquiæ .

1 JURISCONSULTORUM OMNIUM Veterum libros , e quorum ſcriptis Pandectæ concinnatæ ſunt , & ſic in lacinias mire per Pandectas diſtractos , & particulas exinde errabundas , in unum velut corpus rurſum compegere , ſed per indicem tantum , ope inſcriptionum ſingulorum capitum , peculiaribus *Indicibus* Jacobus Labittus , Ant. Auguſtinus ; Quo , ceu maximo Juris arcano , relata in unum quaſi locum omnia capita ejuſdem inſcriptionis , Auctoris & libri , ſingulorum librorum cognitionem , conjectionem , & argumentum Lectoribus exhibent ; tum etiam in iis cujuſque capitis quaſi quædam antecedentia & conſequentia , & ſic cauſæ quodammodo legum ipſarum cernuntur . Denique vel hac ratione quadamtenus Juriſconſultorum Veterum libris , qui alioquin interciderunt , reſtituuntur . Unum tantum hoc ſupereſt hodie præſtandum , ut

capita

capita ipsa non per Indicem & numeros tantum (quod a Labitto, & Augustino factum,) sed κατὰλογον, & verbotenus Lectorum oculis subjiciantur, & ex collatione singulorum capitum singulis libris argumenta præscribantur. Qua ratione & longioris inquisitionis labore Lector deinceps levabitur, & judicium brevissime instruetur.

Huc referenda est eorum quoque industria, qui singulares è superioribus Jurisconsultos, vel libros singularibus commentariis illustrarunt; ut Ant. Augustinus *Modestini librum de excusationibus*; Cujacius *Africanum*, *Papinianum* integrum, *Pauli ad Edictum* libros, *Quæstiones*, *Responsa*; *Juliani Digesta*, & libros ex *Minicio Natali*. Item *ad Ursej Ferocis librum de ambiguitatibus*, *ad Responsa Scævolæ*, *Ulpiani*, *Marcelli*, *Neratii*, *Modestini Responsa*, ejusdemque *libros differentiarum*: Balduinus *Scævolam*, seu Mutianam Jurisprudentiam: Jacobus Lectius Macrum, & Modestinum, aliique alia.

Et veterum tamen adhuc Jurisconsultorum fragmenta ipsa extra Pandectas nonnulla ad nos pervenerunt, quorum pretium injuria & fatum cæterorum incendit. Quæ veterum Prudentum fragmenta uno volumine comprehendi utilissimum fuerit:

quod & *Petrus Pithœus* ex parte jam præſtitit, & plenius adhuc præſtare inſtituerat, una cum Notis.

II. GAII igitur primum fragmenta hodie nonnulla ſuperſunt, ſed Gothorum, ſeu Aniani manu deformata, & quidem è quatuor Commentariorum, ſeu Inſtitutionum ejus libris: Quatuor enim ſcripſiſſe eum docet Index Pandectarum Florentinarum, & præjudicium inſuper inſtitutionum Juſtinianearum, quæ Gajanarum exemplo compoſitæ ſunt. Et ſane titulum IX. & initium X. ex libro tertio deſumpta eſſe oſtendit *lex* 2. *ff. de obli. & act.* Quare deinceps titulus ita mutetur, *Gaii Inſtitutionum libri quatuor*; vel potius *excerpta è Gaii libris quatuor*: pariter ut Ulpiani fragmenta, Pauliique ſententiæ, de quibus mox, nonniſi excerpta ſunt. Obſervandum enim eſt, cum per Gallias, & ſub Regibus Viſigothorum nominatim, vetus Juriſprudentia Rom. una cum Codice Theodoſiano obtineret, Alaricum Regem Gothorum per Anianum in ſuorum temporum uſum nonnulla ex Codice Theodoſiano, Gregoriano, Hermogeniano, ex Ulpiani, Gajo, Pauli ſententiis excerpi voluiſſe: Eaque omnia in unum Corpus redacta, quod inſequuti deinceps, *Corporis Theodoſiani*, vel etiam

Legis

Legis Romanæ appellatione allegare ſoliti. Hæc Gaii fragmenta edidit in Germania Sichardus, & Almaricus Bouchardus in Gallia : Lovanii quoque edita in 12. 1570. Eadem Hieronymus Alexander Junior edidit cum commentario Venetiis in 4., apud Franc. de Franciſc. Ciotti, A. 1600. Et alia tamen adhuc fragmenta Gaii Inſtitutionum colligi poſſunt, tum ex Pandectis ipſis, tum ex Auctore Collationis legum Moſaicarum, Boëtio, Priſciano *ſub fin. lib. 6.*, & Diomede *lib. 1.*; Quæ in unum colligi è re fuerit.

III. Ulpiani quoque fragmenta, ſeu tituli XXIX. ex corpore Ulpiani ab eadem Aniani manu ſuperſunt, quæ Joannes Sichardus, mox Emarus Ranconnetus, & Joh. Tilius Lutetiæ A. D. 1549. ediderunt, & a Cujacio Commentariis illuſtrata, qui poſtea quoque in meliorem Codicem, & authenticum exemplar incidit Jacobi Tilii; vide eum *lib. 17. obſ. 28.*, in quibus veteris juris ſtricturæ quamplurimæ ſuperſunt. Quæritur autem, ex quonam Ulpiani libro Tituli illi ſint; Neque enim ex Inſtitutionum libris deſumpti ſunt, ut arguunt eorum librorum fragmenta, quæ per Pandectas ſunt ſparſa. Veroſimile omnino ſumptos e libro, ſeu corpore Regularum, [& ita Cujacius quoque prodidit 13. *obſ.*

16. 17. *obſ.* 128. 19. *obſ.* 3., itemque Pet. Pithœus], ut docet *lex.* 17. *de teſtibus*, quæ totidem verbis repetita extat. *tit.* 10. *fragm. Ulpiani* §. 5.: Ex quo Ulpiani libro Regularum nonnullos alios locos ſuppeditat Collatio legum Moſaicarum, (de quo vide Petrum Phœum *ad tit.* 2. *Collationis*, *pag.* 133.), itemq; Boethius *ad Topica Ciceronis.*

IV. ANONYMI quoque cujuſdam ICti veteris fragmentum ſupereſt, unicum, & pluribus tamen ſententiis conſtans : quod quidam Ulpiani ex libro ejus Regg., vel etiam Gaii eſſe volunt, cujus argumentum eſt, de *Juris ſpeciebus & manumiſſionibus*, deſumptum ex Doſithei Græculi, Magiſtri Homiliis, & Græcæ linguæ exercitationibus, ſeu Grammatica. Id olim quidem de Latino in Græcum translatum : Verum quale hodie extat, de Græco in Latinum transfuſum, Claudius Puteanus Senator Pariſienſis primus eruit, Cujacio communicavit (ut teſtis ipſe 17. *obſ.* 20.), edidit tandem Pet. Pithœus, *ſub finem collationis legum Moſaicarum* A. D. 1572. in 4. Lutetiæ.

V. PAULI Sententiarum receptarum libri quinque, i. e. generaliorum & forenſium axiomatum, ſeu aphoriſmorum, vel potius excerpta ex iis, ab eadem illa quam dixi,

Ala-

Alarici, seu Aniani manu, ad nos quoque pervenerunt: *Sententiarum* inquam *receptarum libri*, quos ad *Filium* conscripsit, ex quibus alioquim quædam in suas Pandectas Justinianus, quædam, ut dixi, Alaricus seu Anianus in suum illum Romanarum Legum Codicem & Breviarium retulit, interpretationibus etiam aliquammultis subditis. Et hæc excerpta, una cum reliquis Codicis Theodosiani fragmentis, Ulpiani, & Gaii, Codicis Hermogeniani & Gregoriani, in Germania primus in lucem revocavit Joh. Sichardus, sub Ferdinando I. Imp., Basileæ: In Gallia Almaricus Bouchardus, una cum Gajo ad Antonium Prarensem Galliarum Cancellarium: Postea ab Emaro Ranconnetto, Tilio accepta Jacobus Cujacius, A.D. 1557. omnia illa pleniora & emendatiora protulit, (nisi quod Aniani interpretationes rejecit), notisque primus illustravit. Sed & alias sententias postea ex Codice quodam Vesuntino idem Cujacius *libro observ.* 21. extulit. Ad ultimum Conradus Rittershusius (quod etiam Cujacius aliquando in animum induxerat suum) A. D. 1594. Norimberga, in 8. omnes ad unam sententias Pauli, ex illis inquam, excerptis Anianeis fragmentis per Pandectas sparsis, Codice Vesuntino, Auctore Collationis Legum Mosaicarum, Pa-

piniani Reſponſis, veteri conſultatione (de quibus vide Cujacium 7. *obſ.* 26.) in unum corpus retulit, ſeu uno libello comprehendit, & Indicem addidit, interpretationes Aniani reſtituit: Minus veritus, quod Cujacius fecerat, libros, qui in Indice Florentino *Sententiarum ſive Factorum* inſcribuntur, eoſdem cum libris *Sententiarum* facere. Similis huic editio, ejuſdemque inſtituti prodiit ſive Avarici, ſive Aureliæ in 12. A.D. 1599., ordo tantum alius ſubinde, & Index alius. Uſus harum Pauli Sententiarum potiſſimus in eo, quod præterea quæ cum Jure Juſtinianeo conveniunt, quamplurima iis continentur ex jure veteri ante Juſtinianum recepto, a Juſtiniano, vel ante ipſum abrogato, quæ mirum quantum lucis innumeris Juris Juſtinianei locis adferunt, ut ſunt, quæ ſcribit *de Adſertoribus, de lege Fuſia Caninia, de Senatuſconſulto Claudiano, de Cognitoribus, de Crucis ſupplicio, dotalis prædii alienatione, de fidejuſſore liberato per electionem rei, de fiducia, furti actionibus quatuor, interdictorum uti poſſidetis & utrubi differentia*, de Regulis nonnullis *circa inſtitutiones & legata, legatorum generibus quatuor, libertorum differentiis, Mancipationibus, ſucceſſionibus ab inteſtato, viceſimæ hæreditatum.*

VI.

VI. MODESTINI quoque Regularum fragmentum unicum, ex libro ejus 3. (vel potius 9.) *ſub titulo de bonis libertorum, & de Teſtamentis* ſumptum ſupereſt, ab eodem P. Pithœo editum *ſub finem Collationis legum Moſaicarum*.

VII. STEMMA quoque, ſeu vetus graduum adgnationis deſcriptio Juriſconſulti cujuſdam, Codici Theodoſiano præfixa ab Emiro Ranconneto, accepta *quemadmodum* videlicet *lege hæreditates redeant*, inſerta eſt circa A. D. 1560. a Cujacio 5. *obſerv. ult.*, quem vide. Inſeruit & Inſtitutionibus ſuis Antonius Contius alterius generis pervetuſtum Stemma, ex antiquis Græcis manuſcriptis, ex libro 4. Sententiarum Julii Pauli, *tit. de gradibus*. Edidit & Charondas, ex MS. Dionyſiano Inſtitutionum aliam deſcriptionem, ſeu formam graduum, ad Juſtiniani, veterumque Juriſconſultorum ſententiam.

VIII. CONSULTATIONEM quoque veteris Juriſconſulti mediæ ætatis *de Pactis*, cujus nomen incompertum, ab Antonio Oiſello acceptam edidit Cujacius, de qua vide ipſum 7. *obſerv.* 16., ubi videre eſt veterum Juriſconſultorum religionem & formam: Nempe ibi ipſa legum capita, & Auctorum verba, quibus ſuam ſuffulcit ſententiam auctor ille, verbotenus proponit;

nit ; una cum inſcriptionibus & ſubſcriptionibus ex Codd. Gregoriano, Hermogeniano, (tanta diligentia, ut etiam variis ex Codicibus varias repræſentet), Theodoſiano, Sententiis Pauli, libris & titulis adnotatis. In cujus facti cauſam inquirit Cujacius *præfatione ad Conſultationes ſuas*: vide & quæ P. Pithœus notat, *notis ad Collationem Legum Moſaic.*

IX. NARRATIO quoque Hiſtorico-Juridica *de Legum Rhodiarum* apud Romanos confirmatione, (ab Impp. videlicet Tiberio, Veſpaſiano, Trajano, Adriano, Antonino, Pertinace, Severo) procul dubio ſub ipſomet Severo Imp. confecta, quæ præfixa eſt legibus Nauticis, huc pertinet: quam Simo Schardius edidit A. D. 1561. Baſileæ in 8., una cum Legibus Nauticis Georgicis, & Militaribus Juſtiniani II.: de quo vide quæ idem Schardius ſcribit *in adnotationibus p.* 271. 272. Poſtea a Leunclavio vel Marquardo Frehero, ex Fr. Pithœi exemplari edita accuratius in libro, cui titulum fecit *Jus Græco-Romanum* A. 1596. tom. 2. p. 265. In ea Narratione Hiſtorico-Juridica intextum eſt illud ipſum caput, quod ex L. Rhodia retulerat Voluſius Mæcianus, & extat in ναυτικοῖς π. *ad L. Rhod. de jactu*, quam nos peculiari hypomnemate illuſtravimus.

X. COL-

X. Collatio legum Mosaicarum Romanarum, ex integris Papiniani, Pauli, Ulpiani, Gaii, Modestini, aliorumque veterum juris Auctorum libris, item ex Codd. Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano desumpta, & in tit. XVI. distributa, Tilio jam ante visa, a P. Pithœo Jurisconsulto ex Mandubiorum Bibliotheca edita, & Notis luculentis illustrata, A.D. 1572. Lutetiæ in 4., ad nos pervenit. Quem librum eodem anno 1572. L. Charondas manuscriptum se habere ex Bibliotheca Dionysiana professus est *in dedicatione Corporis sui ad Augustum Senatum Parisiensem*. Hujus collationis, seu pariationis Auctor *Lucinius Rufinus*, a Tilio primum, mox & a Cujacio dicitur: Verum ex conjectura, an ex veteris libri fide, haud satis compertum. Sane non potest esse *Lucinius Rufinus* ille, qui Pauli coætaneus fuit: Verissimum enim est, hanc Collationem editam post Codicem Theodosianum, seu post A. D. 438.: quandoquidem ex eo Codice quandam constitutionem laudat *de impudicis*, & quidem (quod observandum) pleniorem, quam eo Codice, quem hodie habemus, extat, ac proinde ex integro non decurtato Codice Theodosiano. Ex præfatione sanè tituli VI. & VII. colligere licet, professione Jurisconsultum non fuisse.

Tan-

Tandem de hoc Auctore vide quæ Pithœus *initio Notarum*, quæ Marqu. Freherus *singulari capite* 1. *parerg.* 4. Utilitas hujus libri triplex: 1. quod perspicuè repræsentat quid Tribonianus, quid quantum Collegæ in excerpendis, discerpendis veterum Jurisconsultorum scriptis sibi indulserint. 2. quod quamplurima prisci Juris fragmenta, tum ex Veteribus Jurisconsultis, tum ex tribus constitutionum Codd. contineat, quæ alibi nuspiam, vel non ita plenè occurrunt. Tandem ostendit, quomodo in titulos veterum Jurisconsultorum libri divisi fuerint: spectandus in rem cumprimis *Tit. XV.*

XI. PAPIANI liber Responsorum Titulis XL. constans, in hunc censum referendus est, ubi ex *lege Romana* (ut ipsemet loquitur) i. ex tribus Codd., Gaii Regulis, Pauli sententiis quamplurima referuntur; itemque ex corpore Novellarum Theodosii, Valentiniani, Majoriani, Leonis & Severi: Pithœus Theodoricianum, seu Gotho-Romanum putavit. Sanè liquidum fuisse ex aliqua earum nationum, quæ sub Regibus constitutæ Galliis jam insederant, eum & *Nationem suam*, & *Dominum Regem* memoret *titul.* 3. & 7. Ego crediderim, *Burgundionem* fuisse. Nam si quis Legem Gundebaldicam conferat, eundem ordinem pene ge-

deprehendet, ac pene pariare videbit. Hujus porro inſtitutum fuit, infelicibus Romanorum reliquis *legem Romanam* proponere: Germanicæ quippe nationes cum Romanas provincias, & Galliarum nominatim, poteſtati ſuæ ſubjeciſſent, hanc erga devictos humanitatem exercuere, ut liberum cuique relinquerent, qua lege, ac nominatim Romana, vivere vellent: De quo vide leges Burgundionum *tit.* 6. §. 1. Salicas *tit.* 43. §. 1. Longobard. *tit.* 57., & veteres *Formularum Auctores*. In hunc ergo finem Corpus quoddam Juris ex *lege Romana* apud Gothos Anianus, apud Burgundiones Papianus confecere.

XII. NOTAS JURIDICAS huc quoque referri oportet, uſurpatas in monumentis publicis, Juriſque Civilis libris, in legibus, plebiſcitis, actionibus, edicto perpetuo, quæ non ad libros Juſtinianeos pertinent, verum ad veteres Leges, Plebiſcita, Actiones, Edicta perpetua, Juris civilis libros veteres: leges denique Romanas, & Codicem Teodoſianum; In quibus videlicet Notæ antiqui Juris, ſeu ſigna, a Juſtiniano abolita, explicantur; cujuſmodi complures libellos, & in his M. Valerii Probi Grammatici vetuſtiſſimi (cujus apud Svetonium, Gellium & Macrobium mentio fit, quique ſub Auguſto

ſio fuit), item Magnonis, ſub Carolo M., Petri Diaconi ſub Conrado I. Imp., & incerti Auctoris vetuſtiſſimi, poſt varias aliorum Editiones, in unum tandem corpus coegit vir doctiſſimus Frideric. Lindenbrogius, cum Notis nonnullis, editione Lugduno-Batava in 8. A. D. 1599. Solius Probi libellum, ex MSS. auctiorem longe edidit, notiſque illuſtravit Henricus Erneſtus Sorae in 4. A. D. 1674. Ubi tamen moneo, ibi non merum Probum extare, ſed multa addita alia, & poſteriore longe manu. His addere licet INNOCENTIUM, ex cujus libris de literis notis juris, Agrimenſorii videlicet, nonnulla hodie extant: *Innocentium* Ammianus Marcellinus ſub Conſtantio Imp. fuiſſe memorat: idemque ille videtur, de quo Eunapius agit, cujus edendi conſilium Sichardus jam olim ceperat. Tandem e Bibliotheca Palatina a Salmaſio erutum edidit Nicol. Rigaltius inter Auctores Finium regundorum, Lutetiæ in 4. A. D. 1614.

XIII. VOLUSIUM MÆCIANUM *de aſſe, ejuſq; diſtributione* (& in hæredum inſtitutionibus, & in aliis multis, ut ipſemet loquitur, neceſſaria), neque ab hoc cenſu alienum putare debemus; quem Sichardus edidit primus A.D. 1528. Liber hic quippe (judicio Cujac. ad *l.* 21. §. 2. *ff.*

de

de annuis legatis.) Juris ſtudioſis prius addiſcendus eſt, quam Inſtitutiones: quod temere accedant ad Juris diſciplinam, quibus non bene nota eſt diſtributio aſſis.

XIV. FINIUM REGUNDORUM Auctores Auguſtos nonnullos neque hinc abeſſe velim; in quibus Siculus Flaccus, (qui ſub Domitiano, vel Trajano ſcripſit), Julius Frontinus, libro de agrorum qualitatibus & controverſiis eorum: itemque Aggeni Urbici Commentarius in eundem Frontini librum. Quos Turnebus primum, accuratius poſtea Nicol. Rigaltius edidit, & notis luculentis illuſtravit, Pariſiis in 4. A. D. 1614.

XV. NOTITIA Dignitatum omnium in partibus Orientis & Occidentis, ſub Theodoſio Jun. conſcripta, circa A. D. 426., (quam & ideo Alciatus *Breviarium Theodoſii Jun.* appellavit), unde maximus Juri noſtro lumen accedit, ad Dignitatum ſeu Magiſtratuum, & Officialium notitiam, de quibus agitur primo libro Codicis, & poſterioribus tribus: item ad notitiam Juris fiſcalis & patrimonialis. Eam Alciatus excerptam primus edidit; ſecutus Rhenanus, qui totam edidit Baſileæ in fol. Tandem a Guidone Pancirolo ex collatione duorum MSS. reſtituta plenius, notiſque illuſtrata. Audio & Lutetiæ in illuſtri il-

la Regiaque Typographia nuper editum.

Hactenus Leges publicæ, veterumque Juriſconſultorum reliquiæ, aliaque monumenta ad Jus antiquum Pro-Juſtinianeum ſpectantia.

CAP. III.

IMPERATORIARUM *Conſtitutionum Pro-Juſtinianearum reliquiæ.*

IMPERATORIÆ Conſtitutiones ante Juſtiniani tempora ſequuntur.

I. HADRIANI primum Imp. Sententiæ & Epiſtolæ, (hoc eſt, brevia ejus Reſcripta) ex lib. 2. Doſithei Magiſtri, quæ veteri Gloſſario inſertæ, primum ab Henrico Stephano edita fuerunt, deinde ex Bibliotheca Sancti Galli apud Helvetios, plenius viſa a Cujacio 21. *obſ.* 5. Sed tandem publice reſtituta, notiſque illuſtrata a Goldaſto, Genevæ in 8.

II. GORDIANI conſtitutio unica de *nuptiis* contra mandata contractis, & dote caduca, a P. Pithœo accepta, edita a Cujacio 1. *obſ.* 11.

III. IV. CODICIS GREGORIANI, & HERMOGENIANI quoque reliquiæ quædam hodie ſuperſunt, a manu, ut dixi, Aniani, ſeu Gothorum. Quinimo & B. Augu-

guſtinus *lib. 2. ad Pollentium cap. 8.* cujuſdam Conſtitutionis ex Cod. Gregoriano meminit : Addi poſſunt & eæ , quæ exinde citantur ab Auctore Collationis Legum Moſaicarum , & Conſultationis veteris Auctore . Quinimo & quæ a Papiniano libro Reſponſorum . Quorumnam autem Impp. Conſtitutiones his Codd. comprehenſæ fuerint, oſtenſum jam alibi .

V. CODEX THEODOSIANUS quoque ſupereſt , per gradus quoſdam , necdum plane tamen , reſtitutus : Primum enim a Joanne Sichardo Breviarium Codicis Theodoſ. , quale ab Aniani manu profectum , editum fuit , ante hos 100. & quod excurrit annos Baſileæ , A. D. 1528. Poſtea Joan. Tilius libros octo poſteriores integros , non jam ab Aniano decurtatos extulit , & poſtremo tamen libro adhuc mutilo , Pariſiis in 8. A D. 1591. Eum ſecutus Cujacius librum ſextum , ſeptimum , & octavum integros eruit , una cum ſupplemento libri poſtremi a Stephano Charpino accceptos , Lutetiæ in fol. A. D. 1566. Conſtitutiones de Senatuſconſulto Claudiano lib. 6. contulit Cujacianæ editioni P. Pithæus . Superſunt itaque adhuc eruendi quinque priores , & mitium libri ſexti , quorum Breviarium tantum ab Aniani manu habemus , quæ fruſtra hactenus a me quæſita ſunt .

VI.

VI. NOVELLÆ Conſtitutiones, poſt Codicem Theodoſianum promulgatæ, tum ab ipſomet Theodoſio Jun., tum & à Valentiniano, aliquot primum ex Aniani Breviario a Sichardo editæ: poſtea xxx. Novellis auctiores, a P. Pithœo è patris Bibliotheca A. D. 1571. Marciani quoque & Majoriani, itemque Sever. Novellæ ex eodem Breviario a Sichardo editæ. Majoriani Novellas Cujacianæ Editioni Antonius Oiſellus contulit: ſed una auctiores Pithœus reddidit: a quo etiam tres Anthemii Conſtitutiones primum erutæ, ſicut in univerſum 34. Novellas Pithœus dederit.

CAP. IV.

JUSTINIANEA *Juriſprudentia, ejuſque variæ Editiones.*

DE Juſtinianeis operibus monuit *Hiſtoria Juris Civilis*. De variis tamen eorum Editionibus, & quo progreſſu paulatim in melius nitidiore cultu reſtituta ea fuerint, quid ſingulis editionibus præſtitum, moneri expedit. Ut de anterioribus inconditis Editionibus taceam.

I. HALOANDRINA, ſive Norica Gregorii Haloandri corporis Juſtinianei Editio A.D. 1531. prima cenſeri hoc in genere

mere meretur, ſuperioribus omnibus terſior emendatiorque: utpote Pandectis ex collatione Florentinarum manu, Politiani olim facta, editis, reſtitutiſq; legum inſcriptionibus: neque tamen ubique notas Politiani ſecutus, tum in textu, tum & quoad ἐφθογραφια.

II. HERVAGIANA Baſileenſis decennio poſt A. D. 1541. ſecuta, a Joh. Hervagio Typographo Baſileenſi, Alciati, ut ſcribit, aliorumque Doctorum opera adjuto: in qua ſecutus Noricam Haloandri editionem, additis Modeſtini Legibus Græcis in tractatu *excuſat. tutor.*, & majoribus literarum formis expreſſis iis, quæ *materialiter* poni a Grammaticis dicuntur, Legum puta, Edictorum &c. verbis, Græcorum quoque interpretationem præſtitit. In Codice ſupra Haloandrinam editionem loci non pauci, neque momenti exigui reſtituti, quos & in Annotationes variarum Lectionum retulit.

III. HUGONIS a PORTA Editiones duæ, & poſterior quidem limatior: decennio poſt A. D. 1552. inſecuta Lugduni; Pandectis ad Archetypum Florentinum attentiſſimè collatis: Inſcriptionibus Legum reſtitutis: Græcis ſanctionibus inſertis, cum Latina Franciſci Hotomanni interpretatione.

IV.

IV. FLORENTINARUM Pandectarum mox Editio ſecuta, A.D.1553., de qua in Hiſtoria Juris.

V. RUSSARDI Editio Lugd. primum in fol.1561., dein Antuerpiæ, apud Plantinum ſecuta, A. D.1567. in 8., ubi Pandectæ ad exemplar Florentinum editæ ; notæ additæ ex Clariſſimis illius ævi ICtis : Leges conjunctæ, Summaria Durani addita : Codex ad XV. Exemplaria collatus.

VI. CODICIS Conſtitutiones Græcæ-Latinæ quamplurimæ ab Anton. Auguſtino editæ Ilerdæ in 8., additis Paratitlis.

VII. CONTII editio in 16. Lugduni, apud Guiglielmum Rovilium, A.D.1571., ubi Pandectæ ad iſotypum Florentinum totidem apicibus retentis expreſſæ : Duæ Lacunæ ſub *tit. de bonis damnatorum*, & ſub *tit. de Interdictis & relegatis*, ope Baſilicorum repletæ . Codicis Conſtitutiones quamplurimas Græcas, earumve epitomas plus quam 150. ex Cujacii theſauro, ex Ant. Auguſtino, & de ſuo quoq; nonnullas addidit : Græcorum Interpretationes in Pandectis Piſanis, ſive Bulgari, ſive Burgundionis addidit, ſummaria ex Bartolo per Chapuſium.

VIII. CHARUNDÆ Editio in fol. Antuerpiæ, apud Platinum A. D. 1565.

IX. X. XI. Mitto recentiores, Hotoman-

manni, Pacii, postremum omnium Dionysii GOTHOFREDI p. m. editio, jam totius orbis & Augustissimorum Tribunalium consensu recepta est.

NOVELLAS seu Novellarum Justiniani μονόβιβλον primus græce edidit Norimbergæ Gregorius Haloander ex descripto Bononiensi, A. D. 1531. apud Joannem Petræum; Mox Hervagius Basileensis Typographus, Alciati, ut scribit, aliorumque Doctorum opera adjutus, additis quibusdam, auxit A. D. 1541. Parisiensis editio tertia insecuta; in qua tamen adhuc multa desiderabantur: Tandem Henricus Scrimgerus Scotus A. D. 1558. in fol. apud Henricum Stephanum ex Bessarionis Cardinalis MS. Venetiis Novellarum Editionem accuravit, ordine earum restituto, numeroque aucto, quas quadriennio ante Georgius Tannerus Basileensis dederat excudendas. Et hæc de Græco Novellarum authentico.

LATINÆ Interpretationes Novellarum tres extant: *Vetus*, cujus auctorem sunt qui Bulgarum, vel Bulgari supparem sub Frid. Barbarossa, Cujacius verò 8. *obs. ult.* Græcum fuisse censet, qui non multo post editionem Novellarum rogatus Occidenti Latinam interpretationem donaverit. Bal-

duinus Mauritio Imp. & Gregorio M. ſupparem conjicit. Eruditionem ut aliquam Interpretis videre licet, majorem ſane quam vulgo creditur (ut recte probavit idem Cujacius) ita veriſſimum, impolitiarum & ſtribliginis plenum eſſe, utpote ubi neque verborum conſtructio ſæpe cohæret, neque rerum ſenſus percipi poteſt. Quid quod in hac verſione multæ Novellæ deſunt, quas ex Græcis libris ſuppleverunt Haloander, & Scrimgerus. Itaque ſecuta Gregorii Haloandri Interpretatio, quæ Norimbergæ primum prodiit A. D. 1531., deinde alibi recuſa, ut Antuerpiæ in 4. (quam & poſtea Ludovicus Ruſſardus ex Duareni emendatione recognitam edidit A. D. 1567.) Tandem ſucceſſit Henrici Agylæi ad Græcum Scrimgeri Exemplar Baſileæ per Joan. Hervagium A. D. 1561. in 4. Et veterem tamen Interpretationem retinere maluit adhuc Contius: una cum vetere Haloandrinam Hervagius A. D. 1541., & quidem ex oppoſito Baſilecnſis in fol. A. D. 1570. & Charondas A. D. 1575. in fol. junxit. Illud obſervandum, aliquot Novellas addidiſſe Contium, quas in decimam collationem conjecit (cum antea novem tantum eſſent) quas & olim Jacobus de Belviſo collegiſſe dicitur, & ſuo Codici adjeciſſe,

hoc

hoc titulo *Extravagantium*. Formas Præfectorum ſeu tria ἐπαρχικὰ contulit Cujacius. Adeundus de his omnibus Index a Contio concinnatus, quo collationem Editionum inſtituit.

JULIANI Anteceſſoris Conſtant inopolitani liber Novellarum ſequitur, circa A. 570. confectus; quo is Novellas latine non quidem vertit integras, aut ad verbum, ſed in Epitomen contraxit, reſecatis prologis & epilogis. Liber hic in duos libros diſtinctus, quorum prior pervenit ad *Novellam* 63. de Juriſdictione Præſid. Hac Novellarum Epitome ſub *Novellarum* appellatione uſi olim Irnerius, Bulgarus, Azo, Joannes Accurſius. Primum Nicolaus Boerius eum extulit una cum Legibus Longobardorum, etiam cum Scholiis aliquibus: Deinde Ludovicus Miræus eundem edidit Lugduni apud Joannem Torneſium A. D. 1560. Tertia editio eſt Goldasti, quæ exiit Brugis in 4. 1565., quam Ludovicus Miræus adornavit. Plenior & limatior exiit ab Anton. Auguſtino, Pariſiis 1567., una cum Paratitlis ſive Scholiis & variis lectionibus. Huic ſucceſſit Fr. Pithœi editio Baſileæ in fol., apud Petrum Pernam A. D. 1567., ex fratris Petri Bibliotheca, una cum nonnullis Juſtiniani &

Juſtini Conſtitutionibus, addito Gloſſario ſive Interpretatione obſcurorum verborum Juliani. De utilitate hujus Epitomes vide Auguſtini *præfationem*.

THEOPHILI Inſtitutionum Græca Paraphraſis ſequitur, cujus Angelus Politianus jam in Miſcellaneis ſuis meminerat. Eum Viglius Zwichemus Friſius ex Beſſarionis MS. Venetæ Bibliothecæ, quem a Petro Bembo acceperat, ex altero exemplari Florentino, quod a Joh. Baptiſta Egnatio habuerat, primus edidit ſub Carolo V. A.D. 1533. Mox accuratius recuſam anno proximo 1534. Pariſiis; & an. 1545. Jacobus Curtius latine vertit. Ludovicus Miræus Lugduni edidit an. 1581. Dionyſius Gothofredus p. m. ad formam tripartitorum utiliter edidit in 4. Carolus Annibal Fabrottus Anteceſſor Aquiſextienſis ex tribus MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ Pariſ. recenſuit, ſcholiis græcis auxit; Idemq; Jac. Curtii latinam Interpretationem emendavit & Notas adjecit, A. D. 1638. Habet hic Auctor multa, quæ textu Inſtitutionum non continentur, partim *bene*, partim *malè dicta*: Imo eſt etiam ubi ab ipſo textu recedit. Ut inde colligere liceat, poſteriorem Juſtiniani ſeculo fuiſſe; neque dubium mihi quin hic ille ſit Theophilus, vel Theophilitzes, qui

inter

inter cæteros Basilicorum Interpretes memoratur, citca A. D. fermè 1000. De harum Institutionum utilitate doctissimè præfatus est Viglius. Præcipua hæc capita, Ordinis continuatio, Protheoriæ seu Evidentialia (ut loquuntur) ad faciliorem intellectum; Dictionum obscurarum interpretatio: Veterum morum & solennium explicatio, quorum nulla vel tenuis in Latinis institutionibus mentio; Græca, quæ in Latinis, vel explicata vel integra: Typica vel solennia Juris veteris verba explicata: exemplis Regulæ illustratæ; Definitiones expensæ, Rationes consignatæ. Sed & quæstiones quoque variis inter Interpretes exinde decidi posse octo exemplis allatis idem Viglius comprobavit. Ex his jam omnibus statuere licet, Theophilum eo tempore fuisse, quo veteris Jurisprudentiæ libri adhuc extabant.

JULIANI Antecessoris duas collectiones (circa A. D. 570.) ad opera Justiniani relatas extulit quoque P. Pithœus, sub finem Collationis Legum Mosaicarum, quarum una inscribitur *Dictatum de Consiliariis*; eaque continetur consilium directum ad quendam in officio publico constitutum: fortè etiam Adsessorem & Consiliarium Judicis, quosnam videlicet Titulos potissimum ex operibus Justinianeis super

materiis maximè practicabilibus legere, atque se instruere necesse habeat. Altera collectio est *de tutoribus & tutelæ actione*, ubi contrarietates quasdam juris distinctionibus propositis solvit. In iis argumentum continetur nonnullarum Constitutionum, quæ in Justiniani Codice hactenus desiderantur.

GEORGIÆ, seu de re Rustica Leges Justiniani 2. (non nostri) ex *lib. 6. Harmenopuli*, de quo postea, primo ingenii fœtu a Fr. Balduino, unà cum Interpretatione & scholiis editæ Parisiis A. D. 1542. in 4. Plenius posteà a Simone Schardio ad exemplar potissimum Ant. Augustini, Basileæ in 8. A. D. 1591. unà cum legibus MILITARIBUS & NAUTICIS, Annotationibus additis. Tandem inclusæ in Corpore Juris Græco-Romani *tomo* 2. a Leunclavio, Francofurti A. D. 1596. ex Fr. Pithœi Bibliotheca. Observandum autem, in fine legum Nauticarum subjici sententiam Docimi, ex libro quodam ejus juridico, quando videlicet legibus Rhodiorum locus sit. Militares sanè Leges ex *Rufo* desumtæ, e Fr. Pithæi Bibliotheca inclusæ *tomo* 2. *juris Græco-Romani pag.* 249.

CAP.

CAP. V.

POST-JUSTINIANEÆ *Jurisprudentiæ reliquiæ, seu jus* GRÆCO-ROMANUM & ORIENTALE, *ac primo* NOVELLÆ *Imperatorum post Justinianum.*

NOVELLÆ primùm Imperatorum post Justinianum variæ, earumquæ collectiones tenendæ: JUSTINI videlicet II. & TIBERII novellæ nonnullæ extant editæ post Justiniani Novellas. LEONIS item Philosophi Novellæ seu Constitutiones CXIII. circa A. D. 890. legum Correctoriæ ἐπανορθώσεις καὶ νεαρὰ διατάξεις, quibus videlicet Leo quamplurima ex Jure Justinianeo corrigere instituerat: singula capita singulis ferè constitutionibus includendo, eaque diligenter rationibus communiendo, quas Agyllæus interpretatus est. De quibus Leonis Novellis observandum est, ne quidem Leonis ætate eas satis obtinuisse, exceptis iis, quæ de his Juris capitibus sunt, de quibus nihil ante constitutum erat: hæ quippe receptæ in tritura forensi novæ Romæ, veluti Nov. 29. 48. 57. 68. 71. 86. 102. 103. 104. quod testantur Græci Interpretes & Pragmatica Michaelis Ducæ & Attaliatæ apud Cujacium 17. *obs.* 31. Item Constantinus

Harmenopulus *lib.* 2. *titul.* 6. §. 52. *& ſeq.* Item Balſamo *ad Nomocanonem Photii titul.* 2. *&* 3. *de precibus*.

VARIORUM deinceps Impp. NOVELLÆ, Heraclii, Conſtantini V. Baſilii Macedonis, Conſtantini VIII. Romani Lecapeni, Romani IV. Argyropuli, Iſaaci Comneni, Alexii Comneni, Joannis Comneni, Emeruellis Comneni, Alexii III. Comneni, Iſaaci Angeli, Joannis III. Ducæ, qui S. Ludovici temporibus extitit ante 400. annos, variis editionibus, neque ab uno, erutæ & editæ, putà ab Enimundo Bonefidio A. D. 1573. apud Henricum Stephanum in 8., a Joanne Leunclavio in fine Synopſeos Baſilicos Baſileæ, A. D. 1575. 8. in libro cui Titulus Jus Græco Romanum, quem edidit Freherus A. D. 1596. Carolus Labbaeus decem auctiores & emendatiores Pariſiis in 8. A. D. 1606. Quædam recuſæ Lugduni Batav. A. D. 1617., cum Notis, inter reliqua opera Conſtantini Porphyrogennetæ.

CAP.

CAP. VI.

NOVÆ *Jurisprudentiæ poſt Juſtinianum monumenta.*

CUm trecentos circiter annos in Oriente ſtetiſſet Juris Juſtiniani τὸ πλαστὸς incorruptum, in novas formas mutari cœpit.

BASILIUS Macedo cum filiis Conſtantino & Leone Philoſopho interpolandi Juris Juſtinaenei auſpicium fecit, circa A. D. 870. Quare Eclogam ſeu προχειρον νόμικον Juris Juſtinianei, multis detractis, quæ inutilia putaret, titulis LX. comprehendit, de quo Prochiro V. Cujac. 6. *obſ.* 9. Extat tomo ſecundo Juris Græco-Romani a Leuclavio compilati, hoc titulo, *Liber Leonis & Conſtantini A. A.* Variè enim hic liber inſcribitur in MSS., modò ſub Baſilii ſolius, modò ſub Baſilii, Leonis; modò Leonis & Conſtantini nominibus.

Ab hoc auſpicio MANUALIA ſeu πρόχειρα Juris paſſim in Oriente conſcripta, omnibus fermè cauſarum Patronis, ſive Rhetoribus ſuum ſibi Codicillum & quaſi viæ

ſi viæ comitem conficientibus, ut docet Paulus Ægineta *in præfat.* apud Cujacium *6. obſ.* 10.

PARATITLA quoque Juris Juſtin. a Græcis conſcripta, id eſt, ſupplementa cujuſque Tituli ex aliis titulis & locis, in unam conſonantiam redactis omnibus Juris Juſtin. partibus. Quorum *Partitlorum* exemplar Antonius Auguſtinus habuiſſe videtur. Libri tres horum Paratitlorum tantùm, iique Latini de Græcis facti, quibus materia Eccleſiaſtica continetur, cum Libris duobus Notatorum & Præfatione, quibus ratio Paratitlorum oſtenditur, editi a Joanne Leunclavio Francofurti in 8. MICHAELIS PSELLI ſynopſis legum ad Michaelem Ducam circa A. D. 1065. ex juſſu patris & Imperatoris verſibus iambicis & politicis 1513. edita, cum verſione & Notis a Fr. Boſqueto Narbonenſi I. C. A. 1632. Unde Anton. Auguſtinus quoſdam laudaverat Ann. D. 1632.

NOMOCANON a Photio Patriarca Conſtantinop. circa A. D. 880. conſcriptus, qui & *Procanon* dictus, quia is liber Canonibus præponitur. *Nomocanon* autem ideo, quia veluti Breviarium eſt Juris Canonici Græcorum, collatione videlicet facta Imperatoriarum Conſtitutionum Eccleſiaſticarum cum Canonibus Conciliorum, & veterum.

rum Patrum Epistolis Canonicis : Hunc Nomocanonem, sive Procanonem Constantinus Porphyrogenneta, idem ille, qui & Basilicorum libros, de quibus mox, repurgavit, ut docent Græci, ad *l. ult. C. de custod. reor.* apud Cujac. *6. observ. 9.* Ad eum postea Commentarios edidit circa A. D. 919., ut Nicetas scribit *in Isacio Angelo*, jussu Manuelis Imp. Theodorus Balsamo Antiochenus. Nomocanonem cum Commentario ex Bibliotheca Tilii primus eruit Gentianus Hervetus, & Latinum hactenus de Græco fecit in fol. A. D. 1561. Successit altera interpretatio Henrici Agylei. Tandem Græcè Latinè editus ex Bibliotheca Palatina a Christopharo Justello Parisiis in 4. A. D. 1615.

BASILICORUM Libri LX., quod ἑξηκοντα βιβλ. v, succedant, quibus videlicet commixti unam in consonantiam libri omnes Justinianei, sub eodem Legum ordine, resectis superfluis, redacti fuêre. Id opus a Basilio Macedone primùm institutum, teste Cedreno & Leone *Novellar.* 71. Leo 6. Philosophus Basilii Macedonis filius (idem ille, qui & Novellarum auctor) teste Cedreno, Harmenopulo & Balsamone, de quo v. Cujac. *6. observ. 9.* Pselo, Michaele Attaliate Blestare circa A. D. 880., operaque Sabbathii Protospa-

thirii perfecit. Securus Constantinus Porphyrogenneta Leonis F., idem ille, qui Nomocanonem repurgavit, is ναεατ4σει seu nova repetitione repetitaque prælectione circa A. D. 910. (v. Cujac. 9. *observ.* 10.) id edidit, unde βασιλικῶν auctor a Luitprando assertus. Et nactum id opus varios Interpretes Græcos, qui Commentarios & Glossas in id scripserunt, non minore turba quam Justinianeum Latinos, circa idem ferme tempus, cujusmodi Theodorus, Dorotheus, Thalelæus Cyrillus, Joannes Stephanus, Enanthiophanon Scriptor. De horum Basilicorum utilitate fidem fecit tribus exemplis prolatis, *doctissima præfatione in Theophilum*, Viglius, qui quinque ex his Basilicorum libros habuit, 38. 39. 40. 41. 42. Item Anton. Augustinus, sed Cujacius & Contius cum maximè. Ex his IX. Basilicorum Libris vix decem cum hæc primùm scriberem superarant, iique Latini: A Gentiano Herveto editi septem, putà 28. 29. 30. 45. 46. 47. 48. A. D. 1556. & hi quidem quatuor ultimi integri, priores mutili. A Cujacio Liber LX. suæ Interpretationis A. D. 1565. Postremum a V. CL. Carolo Labbeo ex ejusdem Cujacii interpretatione editi sunt liber 38. & 39. Parisiis in fol. A. D. 1609., una cum in-

indice titulorum libri XL. XLI. XLII.

Tandem ex Bibliothecâ Regiâ auſpiciis Illuſtr. Franciæ Cancellarii Petri Seguierii, Græca Baſilica cum Interpretatione edidit Fabrotus ante triennium fermè : novendecim tamen libris mutila : Ita ut 41. tantum libri extent .

SYNOPSIS ſeu Ecloga horum Baſilicorum quoque confecta ; cujus libri auctorem quidam vaticinantur Romanum Junior em Lacapenum . Ea κατὰ στοιχεῖον, id eſt , ſecundum ordinem literarum & elementorum confecta fuerat , unde Μικρὸν κατὰ στοιχεῖον nuncupatum , quod etiam Budeus viderat; de quo v. Cujac. 4. *obſerv.* 10. Eam Tarenti apud Calabros a Sambuco repertam edidit, & vertit Joannes Leunclavius Baſileæ in fol. A. D. 1575. Adnotationibus etiam additis ; non eo tamen ordine, quo compoſita fuerat , id eſt, non κατὰ στοιχεῖον , ſed juxta ordinem Baſilicorum ipſorum .

ATTALIATÆ Michaelis quoque , Synopſis alia Baſilicorum extat , cujus titulus ποίημα νομικὸν ἤτοι πραγματικόν . Michaelis Ducæ Imp. juſſu anno ejus Imperii 3. circa A. D. 1070, conſcripta *Tomo ſecundo Juris Græco-Romani* incluſa Leunclavio , a Ftehero edita .

Eu-

EUSTATHII Antecessoris libellus περὶ χρονικῶν διαστημάτων, seu de intervallis temporum, vel ut alii loqui amabant, *de diversis temporalibus præscriptionibus*, a momento usque ad 100. annorum spatium, qui tam ad Justinianeos, quam ad Basilicos libros refertur, editus primum a Simone Schardio Basileæ in 8. A. D. 1561. Mox plenius a Cujacio: Tandem a Leunclavio Tomo II. Juris Græco-Romani.

CONSTANTINI HARMENOPULI Judicis Thessalonicensis πρόχειρον sive ἐγχειρίδιον circa A. D. 1150. post promulgationem Basilicorum, idque non jam operibus Justinianeis adhærens, conscripsit: allegatis Novellis Impp. usque ad Manuelem Comnenum, qui imperavit A. D. 1145. Eum extulit primus Sualembergius.

GLOSSÆ veteres Græcæ hoc agmen claudant, quæ docta & concisa brevitate ordine Alphabetico verborum & vocum secretiorum Juris Romani, quæ in Justinianeis libris & Basilicis occurrunt, interpretationem continent, seu præstant. Harum Glossarum nonnulla scriptis suis jam inseruerant Alciatus, Cujacius, Brissonius, Pithœus, Fornerius. Edidit eas ex Regia

Bi-

Bibliotheca, simul & Notis illustravit Carolus Labbæus A. D. 1606. Parisiis in 8. Sed pleniores adhuc eæ extant apud Jacobum Sirmondum.

Et hactenus quidem quæ publici juris facta sunt hunc ad diem veteris Jurisprudentiæ monumenta: & postremum quidem Græciæ inclinantis. Multa alioquin alia extant adhuc in nonnullis Bibliothecis, Vaticana, Parisiensi, inedita ejusdem Græciæ: quorum notitiam confecit Josephus Maria Suaresius Præpositus Avenionensis, mox Episcopus Vasionensis ad Urbanum VIII., p. m. scripto quodam, quod *Notitiam Basilicorum* inscipsit: quodque Basilicorum editioni nuper additum est.

FINIS.

FLORI-

FLORILEGIUM

ROTUNDIORUM JURIS SENTENTIARUM,

QUÆ

COMMUNIUM NOTIONUM instar sunt, e DIGESTIS, CODICE & NOVELLIS selectarum.

Ex Lib. I. Digestorum.

BONOS non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, Ulp. *l.* 1. § 1. *de just. & jure.*

Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure feciſſe existimetur. Florent. *l.* 3. *de just. & jure.*

Cùm inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. Florent. *l.* 3. *de just. & jure.*

Præ-

Prætor quoque jus reddere dicitur; etiam cùm inique decernit, relatione ſcilicet facta, non ad id, quod ita Prætor facit, ſed ad illud, quod Prætorem facere convenit. Paulus *l.* 12. *de juſt. & jure.*

Cujuſque rei potiſſima pars principium eſt. Cajus *l.* 1. *de origine jur.*

Turpe eſt Patricio, & Nobili, & cauſas oranti jus in quo verſaretur ignorare. Q. Mutius apud Pomp. *l.* 2. §. 43. *de origine juris.*

Pleræque *leges tituli de legibus*, memoria tenendæ.

Lege Regia, quæ de Imperio Principis lata eſt, populus EI & IN EUM omne ſuum imperium & poteſtatem confert. Ulp. *l.* 1. *de conſtit. Princip.*

In rebus novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt. Ulp. *l.* 2. *de conſtit. Princip.*

Beneficium Imperatoris, quod a divina ſcilicet ejus indulgentia proficiſcitur, quam pleniſſimè interpretari debemus. Javolenus *l.* 3. *de conſt. Princip.*

Conſtitutiones tempore poſteriores, potiores prioribus. Modeſtinus *l. ultim. de conſt. Princip.*

Hominum cauſa omne jus conſtitutum. Hermogenianus *l.* 1. *de ſtatu hom.*

Non

Non debet calamitas matris nocere ei, qui in utero eſt. Marcianus *l.* 5. §. 2. *de ſtatu hom.*

Qui in utero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partus quæritur. Paulus *l.* 7. *de ſtatu* hom. vide & *l.* 26. *eod.*

In multis juris articulis deterior eſt conditio fœminarum, quam maſculorum, Papinianus *l.* 9. *de ſtatu hom.*

Cum legitimæ nuptiæ factæ ſunt, patrem liberi ſequuntur: vulgo quæſitus (id eſt ſpurius) matrem ſequitur. Celſus *l.* 19. *de ſtatu hom.* v. & *l.* 24. *eod.*

Res judicata pro veritate accipitur. Ulp. *l.* 25. *de ſtatu hom.*

Dominorum poteſtatem in ſuos ſervos illibatam eſſe oportet, neque cuiquam hominum jus ſuum detrahi. D. Pius apud Ulpianum *l.* 2 *de his qui ſui.*

Dominorum intereſt, ne auxilium contra ſævitiam vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur his, qui juſtè deprecantur. D. Pius apud Ulp. *l.* 2. *de his qui ſuĭ.*

Filiusf. in publicis cauſis loco patrisfamilias habetur. Pomponius *l.* 9. *de his quĭ ſuĭ.*

Spem ſucceſſionis paternæ unuſquiſq; Liberorum obſequio paret ſibi. Ulpianus *l.* 17. §. 3. *de adop.* Ado-

Adoptio non jus ſanguinis, ſed jus adgnationis adfert. Paulus *l.* 23. *de adop.*

Quod divini juris eſt, id in nullius bonis eſt. Gajus *l.* 1. 1. *de rerum diviſ.*

Res ſacra non recipit æſtimationem. Ulp. *l.* 9. §. *ult. de rerum diviſ.*

Major dignitas eſt in ſexu virili. Ulpianus *l.* 1. *inſ. pr. de ſenatoribus.*

Qui indignus eſt inferiore ordine, indignior eſt ſuperiore. Pomponius *l.* 4. 1. *de ſenatoribus.*

Quæſita dignitas liberis, propter caſum patris auferenda non eſt. Papinianus *l.* 9. *de ſenatoribus.*

Salutem Reipub. tueri, nulli magis credidit (Cæſar) convenire, nec alium ſufficere ei rei, quam Cæſarem. Paulus *l.* 3. *de off. præf. vigilum.*

Plerumque incerta & inopinata turbant provinciales, & actus impediunt. Ulp. *l.* 4. §. 1. *de off. Proconſ.*

Vetus proverbium: ὅτε πάντα, ὅτε παντοτε, ὅτε παρα πάντων. Nam valde inhumanum eſt à nemine accipere: ſed paſſim, viliſſimum eſt: & omnia, avariſſimum. Ulp. *l.* 6. §. 2. *de off. Proconſ.*

Opprimi aliquem per adverſarii potentiam non oportet: hoc enim etiam ad invidiam ejus, qui provinciæ præeſt, ſpectat. Ulp. *l.* 9. §. 3. in *fin. de off. Proconſulis.*

Ve-

Veritas, rerum erroribus geſtarum non vitiatur. Ulp. *l.* 6. §. 1. *de off. Præſidis.*

Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commiſit, imputari ei debet: & prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium eſſe non debet. Ulp. *l.* 6. §. 7. *de off. Præſid.*

Non tam ſpectandum eſt quid Romæ factum eſt, quam quid fieri debeat. Proculus *l.* 12. *ff. de Præſidis.*

Obſervandum eſt jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur. Nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Calliſtratus *l.* 19. *de off. Præſidis.*

Animi motum vultus detegit. Calliſtratus *l.* 19. *de off. Præſidis.*

EX LIB. II.

CUi juriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt. Javolenus *l.* 2. *ff. de juriſd.*

Eſt receptum, eoque jure utimur, ut ſi quis major vel æqualis ſubjiciat ſe jurisdictioni alterius, poſſit ei & adverſus eum jus dici Ulp. *l.* 14. *ff. de juriſd.*

Non conſentiunt, qui errant. Ulpianus *l.* 15. *ff. de juriſd.* Ex-

Extra territorium jus dicenti impunè non paretur. Paulus *l. ult. ff. de jurisd.*

Quod quisque juris statuerit in alterum, ut ipse eodem jure utatur. Quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit, vel dici effecit? Ulpianus *l.* 1. *ff. quod quisque juris.*

Quid officit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum? Ulpianus *l.* 1. *in fin. ff. quod quisque juris.*

Una est omnibus parentibus servanda reverentia. Paulus *l.* 6. *ff. de in jus voc.*

Domus tutissimum cuique refugium atq; receptaculum. Gajus *l.* 18. *ff. de in jus voc.*

Verba cum effectu sunt accipienda. Ulpianus *l.* 5. *ff. ne quis eum, qui in jus voc. vi eximat.*

Locuples videtur non tantum ex facultatibus, sed etiam ex conveniendi facilitate, Ulp. *l.* 2. *in pr. ff. qui satisdare.*

Quoties vitiosè cautum est, non videtur cautum. Paulus *l.* 6. *ff. qui satisdare.*

Ab utraque parte dolus compensandus. Julianus *l. ult.* §. 3. *ff. de eo per quem fact.*

Quis de pœna laboret, post negotium transactum? Ulpian. *l.* 2. *inf. pr. ff. si quis cautionib.*

Occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt. Ulp. *l.* 1. *ff. de feriis.*

Præ-

Prætoris factum juri derogare non oportet. Ulpianus *l.* 1. §. 1. *ff. de feriis.*

Ea, quæ ad disciplinam militarem pertinent, etiam feriatis diebus peragenda. Ulpianus *l.* 9. *ff. de feriis.*

Quid tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt servare. Ulp. 1. *in pr. ff. de pactis.*

Quoties pactum a jure communi remotum est, servari hoc non oportet. Ulp. *l.* 7. §. 16. *ff. de pactis.*

Difficile est, ut unus homo duorum vicem sustineat, *l.* 9. *ff. de pactis.*

In stipulationibus jus continetur, in pactis factum. Paulus *l.* 27. §. 2. *ff. de pactis.*

Expedit timere furti, vel injuriarum pœnam. Paul. *l.* 27. §. 4. *ff. de pactis.*

Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda. Paulus *l.* 27. §. 4. *ff. de pactis.*

Contra juris civilis regulas pacta conventa, rata non habentur. Gajus *l.* 25. *ff. de pactis.*

Jus publicum privatorum pactis mutari non potest. Papin. *l.* 38. *ff. de pactis.*

Pactis privatorum formam juris fiscalis convelli non placuit. Papin. *l.* 42. *ff. de pactis.*

Licet sui juris persecutionem, aut spem futuræ perceptionis, deteriorem constituere.

Tryph.

Tryph. *l.* 46. *ff. de pactis.*

Privatis pactionibus, non dubium est non lædi jus cæterorum. Antoninus & Verus apud Scævolam *l.* 3. *ff. de transact.*

Prætori res quærenda commissa est, non negligenda nec donanda. Ulpianus *l.* 8. §. 17. *de transact.*

EX LIB. III.

NE pœna tempore determinata, contra sententiæ fidem ulterius porrigatur. Papin. *l.* 8. *ff. de postulando.*

Ignorantia excusatur, non juris, sed facti. Ulp. *l.* 20. *ff. de his qui not. inf.*

Non qui exhortatur, mandatoris opera fungitur. Papin. *l.* 30. *ff. de his qui not. inf.*

Non oportet ex sententia sive justa, sive injusta pro alio habita, alium prægravari. Paulus *l.* 21 *ff. de his qui not. inf.*

Ictus fustium infamiam non importat, sed causa, propter quam id pati meruit, Marcellus, *l.* 22. *ff. de his qui not. inf.*

Nemo alienæ litis idoneus defensor sine satisdatione intelligitur. Gajus *l. qui proprio* 46. §. 2. *ff. de procurat.*

Defendere est eandem vicem quam reus subire. Ulpianus *l. minor* 51. §. 1. *ff. de procuratorib.*

Om-

Omnis qui defenditur, boni viri arbitratu defendendus eſt. Paulus *l.* 77. *ff. de procuratorib.*

Partes duæ Civitatis, aut amplius quam duæ quod faciunt, omnes facere videntur, Ulpian. *l.* 3. *quod cujuſque univerſit.*

Ratihabitio conſtituet tuum negotium, quod ab initio tuum non erat, ſed tua contemplatione geſtum. Julianus *l.* 6. *ff. de negot. geſtis.*

Iniquum eſt, eum qui non prohibuit, alieno facto liberari, Ulp. *l.* 8. *ff. de negot. geſt.*

Pro qualitate perſonarum & actio formanda, & condemnatio moderanda eſt, Paulus *l.* 15. *ff. de negoſt. geſt.*

Culpam contraxiſſe non videtur, qui ab ſententia contra abſentem dicta, ipſe non provocavit. Papinianus *l.* 31. *ff. de negot. geſt.*

Prædo fidejuſſor non videtur. Papinian. *l.* 52. *ff. de negot. geſt.*

Turpia lucra hæredibus extorquentur, licet crimina extinquantur. Ulpian. *l.* 5. *ff. de calumniatorib.*

EX LIB. IV.

ETſi nihil facilè mutandum eſt ex Solemnibus, tamen ubi æquitas evidens po-

poſcit ſubveniendum eſt. Marcellus *l. 6. ff. de in integr. reſtitut.*

Ad famoſam actionem tunc demum deſcendendum eſt, cum remedio locus eſſe non poteſt. Marcellus *l. 7. in fine.*

Vim vi repellere licet. Ulp. *l. 12. ff. quod metus cauſa.*

Tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerentur: vis eſt & tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit. Calliſtratus *l. 13. ff. quod met. cauſ.*

In alterius præmium verti alienum metum non oportet. Ulp. *l. 14. §. 5. ff. quod met. cauſ.*

Licet pœna ad hæredem non tranſeat, attamen quod turpiter, vel ſcelere quæſitum eſt, ad compendium hæredis non debet pertinere. Ulpianus *l. 16. ff. quod met. cauſ.*

Is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adverſarii inanis actio eſt. Gajus *l. 6. ff. de dolo malo.*

Niſi ex magna & evidenti calliditate, non debet de dolo actio dari. Ulp. *l. 7. in fin. ff. de dolo malo.*

Debitore liberato, per conſequentias fidejuſſor quoque dimittitur. Papinianus *l. 19. ff. de dolo malo.*

Semel pro libertate dictam ſententiam,

retractari non oportet . Ulp. *l.* 24. *ff. de dolo malo* .

Non debet quis lucrari ex alieno damno . Gajus *l.* 28. *ff. de dolo malo* .

Placet in delictis minoribus non subveniri . Ulp. *l. ff. de minoribus* .

Eventus damni restitutionem non indulget , sed inconsulta facilitas . Ulpianus *l.* 11. §. 4. *ff. de minor.*

Non semper ea, quæ cum minoribus geruntur, rescindenda sunt , sed ad bonum & æquum redigenda sunt . Paulus *l.* 24. *ff. de minor.*

Non est excusatio adversus præcepta legum ei, qui dum leges invocat , contra eas committit . Tryphonius *l.* 37. *ff. de minor.*

Nemo delictis exuitur , quamvis capite minutus sit . Ulp. *l.* 2. *ff. capit. minut.*

Injuriarum , & actionum ex delicto venientium obligationes , cum capite ambulant . Paulus *l.* 7. §. 1. *ff. de capit. minut.*

Civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest . Gajus *l.* 8. *ff. de capit. minut.*

Causa facti non continetur postliminio . Papin. *l.* 19. *ff. ex quib. caus. major.*

Sacris Dei vacare sacerdotes oportet . Paulus *l.* 32. *ff. de recept. arbit.*

Ex

EX LIB. V.

ERROR litigatorum non habet conſenſum. Ulp. *l.* 2. *ff. de judiciis*.

Non eſt magnum damnum in mora modici temporis. Ulp. *l.* 21. *ff. de judiciis*.

Per minorem cauſam majori cognitioni præjudicium fieri non oportet : Major enim quæſtio minorem cauſam ad ſe trahit. Paulus *l.* 54. *ff. de judiciis*.

Solemus dicere, id venire in judicium, de quo actum eſt inter litigantes. Ulp. *l.* 6. *ff. de judiciis*.

Cujus rei ſpecies eadem conſiſtit, res quoque eadem eſſe exiſtimatur. Alfenus *l.* 76. *ff. de judiciis*.

Judex, prout religio ſuggerit, ſententiam proferre debet. Ulp. *l.* 79. §. 1. *ff. de judiciis*.

Non ſufficit litem inſtituere, ſi non in ea perſeveret. Papinianus *l.* 15. *ff. de inoff. teſtam.*

Cum inofficioſum teſtamentum arguitur, nihil ex eo teſtamento valet. Paulus *l.* 28. *in fin. ff. de inoff. teſtam.*

Pro herede, quod conditionis implendæ gratia accepit, non poſſidetur. Ulp. *l.* 13. §. 6. *ff. de hær. petit.*

Dolo facit is, qui se offert petitioni. Ulp. l. 13. §. 13. *ff. de hær. petit.*

Omnis qui se offert petitioni, quasi possidens tenetur. Ulp. *l.* 13. §. 13. *ff. de hæred. petit.*

Non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamvis de jure erret. Ulp. *l.* 25. §. 5. *ff. de hær. pet.*

Post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse, quinimò post controversiam motam. Ulp. *l.* 25. §. 7. *ff. de hær. pet.*

Is qui dolo fecit quò minus possideret, ut possessor condemnatur. Ulp. 23. §. 8. *ff. de hær. pet.*

Quod semel aut bis existit, præterennt legislatores. Paulus *l.* 3. *ff. si pars hær. petat.*

EX LIB. VI.

MEUM est, quod ex re mea superest, cujus vindicandi jus habeo. Celsus *l.* 49. §. 1. *ff. de Rei vindicat.*

Justus est possessor & petitor, qui liberalitatem accepit. Ulp. *l.* 7. §. 3. *ff. de Publiciana in rem act.*

Ex

EX LIB. VII.

QUOD noſtrum non eſt, transferemus (ſcil. aliquo caſu) ad alios. Paulus *l.* 63. *ff de uſuf.*

In fructu hominis homo eſſe non poteſt. Ulp. *l.* 68. *in prin. ff. de uſuf.*

EX LIB. VIII.

MELIOR vicini conditio fieri poteſt, deterior non poteſt. Paulus *l.* 20. §. 5. *ff. de ſervit. præ urban.*

Nulli res ſua ſervit. Paul. *l.* 26. *ff. de ſervit. præd. urb.*

Non ſicut viventium, ita & defunctorum actus ſuſpendi, receptum eſt. Paulus *l.* 18. *ff. communia prædior.*

In ſuo alii facere hactenus licet, quatenus nihil in alienum immittat. Ulp. *l.* 8. §. 5. *ff. quemad. ſervit. amitt.*

EX LIB. IX.

LIBERUM corpus æſtimationem non recipit. Gajus *l.* 3. *ff. ſi quadrupp. paup. & l.* 7. *ff. de his qui effuderint.*

Adverſus periculum naturalis ratio permittit ſe defendere. Gajus *l.* 4. *ff. ad l. Aquil.*

Levis dumtaxat castigatio concessa est docenti . Ulp. *l.* 5. *in fine ff. ad l. Aquil.*

Nullæ partes sunt judicandi in confitentes. Ulp. *l.* 25. §. 2. *in fine ff. ad l. Aquil.*

Qui occasionem præstat , damnum fecisse videtur. Paulus *l.* 30. §. 3. *ff. ad l. Aq. l.*

Vim vi defendere, omnes leges, omniaque jura permittunt . Paulus *l.* 45. §. 4. *ff. ad l. Aquil.*

Occupantis melior est conditio . Ulp. *l.* 4. *ff. de noxal. action.*

EX LIB. X.

SÆPE & solutio & exactio partium, non minima incommoda habet . Gajus *l.* 3. *ff. fam. erciſc.*

Cum cohærede non contrahimus , sed incidimus in eum . Paulus *l.* 25. §. 6. *ff. fam. erciſc.*

In re communi nemo Dominorum jure facere quicquam invito altero potest. Papinianus *l.* 28. *ff. communi dividundo.*

In re pari potiorem causam prohibentis esse constat . Papinianus *l.* 28. *ff. communi dividundo.*

Mutata forma prope interimit substantiam

tiam rei. Ulp. *l.* 9. §. 3. *ff. ad exibendum.*

Non oportet jus civile calumniari, neque verba captari, ſed qua mente quid dicitur animadvertere convenit. Paulus *l.* 19. *ff. ad exhib.*

EX LIB. XI.

DEFUNCTORUM intereſt, ut habeant ſucceſſores. Ulp. *l.* 6. *ff. de interrogat. in jure.*

Omnino non reſpondiſſe videtur, qui ad interrogatum non reſpondit. Ulp. *l.* 11. §. 5. *ff. de interrog. in jure.*

Ea quæ poſtea emergunt, auxilio indigent. Ulp. *l.* 11. §. 6. *ff. de interrog. in jure.*

Falſæ confeſſiones naturalibus convenire debent. Paulus *l.* 12. *ff. de interrog. in jure.*

Non oportet laudando augeri malitiam. Ulp. *l.* 1. §. 4. *ff. de ſervo corrupto.*

Lata culpa plane dolo comparabitur. Ulp. *l.* 1. §. 1. *ff. ſi menſor falſ.*

Summa eſt ratio, quæ pro religione facit. Papin. *l.* 43. *ff. de religioſis.*

EX LIB. XII.

IN contrahendo, quod agitur pro canto habendum eſt. Pomponius *l.* 3. *ff. de reb. cred.*

Jusjurandum alteri neque prodeſt, neque nocet. Ulp. *l.* 3. §. 3. *ff. de jurejurando.*

Nemo invitus compellitur ad communionem. Ulp. *l.* 26. §. 4. *ff. de condit. indeb.*

Ex quibus cauſis retentionem quidem habemus, petitionem autem non habemus, ea ſi ſolverimus, repetere non poſſumus. Pomponius *l.* 51. *ff. de condict. indeb.*

EX LIB. XIII.

GRAVE eſt fidem fallere. Ulp. *l.* 1. *in princ. ff. de conſtit. pecun.*

Proprie dicitur res non reddita, quæ deterior redditur. Ulp. *l.* 3. §. 1. *ff. commodati.*

Duorum inſolidum dominium, vel poſſeſſio eſſe non poteſt. Ulp. *l.* 5. §. *ult. ff. commodati.*

Voluntatis eſt ſuſpicere mandatum, neceſſitatis conſummare. Paulus *l.* 17. §. 3. *ff. commodati.*

Adjuvari nos, non decipi beneficio oportet.

tet. Paulus *l.* 17. §. 3. *ff. commodati.*

Qua cura, aut diligentia conſequi poſſumus, ne aliquis damnum nobis injuria det? Julianus *l.* 19. *ff. commodati.*

Reproba pecunia non liberat ſolventem. Ulp. *l.* 24. §. 1. *ff. de pign. act.*

EX LIB. XIV.

IN re dubia melius eſt verbis Edicti ſervire. Ulp. *l.* 1. §. 20. *ff. de exerc. act.*

Dolus tutoris vel curatoris nocere pupillo, vel furioſo non debet. Ulp. *l.* 3. §. 1. *ff. de tribut. act.*

Filiifam. in caſtrenſi peculio vice patrum familiarum funguntur. Ulp *l.* 2. *ff. de SC. Maced.*

Initium contractus ſpectandum eſt. Paulus *l.* 12. *ff. de SC. Maced.*

EX LIB. XV.

INIQUUM eſt, in plures adverſarios diſtingui eum, qui cum uno contraxit. Gajus *l.* 27. §. *ult. ff. de peculio.*

Non fraudationis cauſa latitat, qui ſi judicium acciperet, abſolvi deberet. Papinianus *l.* 50. *in princ. ff. de peculio.*

Occupantis melior ſolet eſſe conditio,

quam cæterorum. Paulus *l.* 52. *in princ. ff. de peculio.*

Occupantis melior conditio esse debet. Gajus *l.* 4. *ff. de in rem verso.*

Quodammodo cum eo contrahitur, qui jubet. Ulp. *l.* 1. *in princ. ff. quod jussu.*

EX LIB. XVI.

MELIORIS conditionis emptor non fit, quam fuit venditor. Pomponius *l.* 32. §. 1., *ff. ad SC. Vellejan.*

Et delicta, & noxæ caput sequuntur. Ulp. *l.* 1. §. 18. *ff. depositi.*

Non semper videtur dolo facere, qui reposcenti non reddit. Ulp. *l.* 1. §. 22. *ff. depositi.*

Hæc est justitia, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione. Triphonius *l.* 31. *ff. depositi.*

Depositarius non minorem salva fide rei depositæ, quam suis rebus, diligentiam præstabit. Celsus *l.* 32. *ff. depos.*

EX LIB. XVII.

NEMO ex consilio obligatur. Gajus *l.* 2. *ff. mandati.*

Bonum nomen facit creditor, qui admittit

mittit debitorem delegatum. Paulus *l.* 26. §. 2. *ff. mandati*.

Diſſoluta negligentia prope dolum eſt. Ulp. *l.* 29. *in pr. ff. mandati*.

Bonæ fidei non congruit de apicibus juris diſputare. Ulp. *l.* 29. §. 4. *ff. mandati*.

Qui alterius negotia adminiſtranda ſuſcepit, id præſtare debet in ſua perſona, quod in aliorum. Julianus *l.* 31. *ff. mandati*.

Dolus eſt ſi quis nolit perſequi quod perſequi poteſt: ut ſi quis non exegerit, quod exigere, ſolvere (*ſolet*) Ulp. *l.* 44. *ff. mandati*.

Quoties certum mandatum eſt, recedi a forma non debet. Paulus *l.* 46. *ff. mandati*.

Non oportet eum, qui certi hominis fidem elegit, ob errorem, aut imperitiam hæredum affici damno. Papinianus *l.* 37. *ff. mandati*.

Fides bona contraria eſt fraudi & dolo, Paulus *l.* 3. §. *ult. ff. pro ſocio*.

Plerumque tanta eſt induſtria ſocii, ut plus ſocietati conferat, quam pecunia. Ulp. *l.* 29. §. 1. *ff. pro ſocio*.

Iniquiſſimum genus ſocietatis eſt, ex qua quis damnum, non etiam lucrum ſpectat. Ulp. *l.* 29. §. *ult. ff. pro ſocio*.

Lucrum non intelligitur, niſi omni

damno deducto, neque damnum, niſi omni lucro deducto. Paulus *l.* 30. *ff. pro ſocio*.

Qui ſine dolo malo facit, furti non tenetur. Ulp. *l.* 51. *in princ. ff. pro ſocio*.

Socios inter ſe dolum & culpam præſtare oportet. Paulus *l.* 52. §. 2. *ff. pro ſocio*.

Sicuti lucrum, ita damnum quoque commune eſſe oportet, quod non culpa ſocii contingit. Paulus *l.* 52. §. 4. *ff. pro ſocio*.

Æquum eſt, ut cujus (quis) participavit lucrum, participet & damnum. Ulp. *l.* 55. *pro ſocio*.

Societas jus quomdammodo fraternitatis in ſe habet. Ulp. *l.* 63. *in princ. ff. pro ſocio*.

Ex Lib. XVIII.

IN emptis & venditis potius id quod actum, quam id quod dictum ſit, ſequendum eſt. Pomponius *l.* 6. §. 1. *ff. de contrah. empt.*

Res bona fide vendita, propter minimam cauſam inempta fieri non debet. Paulus *l.* 54. *de contrah. empt.*

Poteſt, dum res integra eſt, conventione noſtra infecta fieri emptio. Pomponius *l.* 2. *ff. de reſcind. vendit.*

Bonæ

Bonæ fidei judicio exceptiones pacti insunt. Paulus *l.* 3. *ff. de rescind. vend.*

Perfecta emptione periculum ad emptorem respicit. Paulus *l.* 9. *in princ. ff. de peric. & commod. rei vend.*

Interest hominis, hominem beneficio affici. Papinianus *l.* 7. *ff. de servis exportand.*

Ex Lib. XIX.

NON videtur esse celatus, qui scit; neque certiorari debuit, qui non ignoravit. Ulp. l. 1. *in fin. ff. de act. empt.*

Non potest videri mora per venditorem emptori facta esse, ipso moram faciente emptore. Labeo *l.* 31. *in pr. ff. de act. empt.*

Bona fides exigit, ut quod convenit fiat. Javolenus *l.* 21. *ff. locati.*

Sera est patientia fruendi, quæ offertur eo tempore, quo frui colonus, aliis rebus illigatus non potest. Paulus *l.* 24. §. 4. *ff. locati.*

Culpa abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset. Gajus *l.* 25. §. *pen. ff. locati.*

Qua custodia consequi quis potest, ne damnum injuria ab alio dari possit? Ulp. *l.* 41. *ff. locati.*

Natura

Natura rerum conditum eſt, ut plura ſint negotia, quam vocabula. Ulp. *l.* 4. *ff. de præſcr. verb.*

Nemo ſocietatem contrahendo, rei ſuæ dominus eſſe deſinit. Julianus *l.* 13. *ff. de præſcr. verb.*

Quoties deficit actio, vel exceptio, utilis actio, vel exceptio eſt. Ulp. *l.* 21. *ff. de præſcr. verb.*

EX LIB. XX.

NON plus habere creditor poteſt, quam habet qui pignus dedit. Papinianus *l.* 3. §. 1. *de pignorib.*

Per hoc non videtur ſatisfactum creditori, quod habet judicati actionem. Marcian. *l.* 13. §. 4. *ff. de pign.*

Inter alios res judicata alii nec prodeſſe, nec nocere ſolet. Paulus *l.* 16. *in fin. ff. qui potiores in pignore.*

EX LIB. XXI.

REMITTENTIBUS actiones ſuas non eſt regreſſus dandus. Ulp. *l.* 14. §. 9. *ff. de ædil. edict.*

Judici ſtatim atque Judex factus eſt, omnium rerum officium incumbit, quæcunque in judicio verſantur. Ulp. *l.* 25. §. 8. *ff. de ædil. edict.*

Ea quæcunque poſt litis conteſtationem contingunt, arbitrium Judicis deſiderant. Ulp. *l.* 31. §. 13. *ff. de ædil. edict.*

Ea quæ ſunt moris & conſuetudinis, in bonæ fidei judiciis debent venire. Ulp. *l.* 31. §. 20. *ff. de ædil. edict.*

Ex Lib. XXII.

Quale eſt cum petitur, tale dari debet. Papinianus *l.* 2. *ff. de uſuris.*

Iniquum eſt, uſuras ab eo exigi, qui fructus non percipit. Paulus *l.* 16. §. 1. *ff de uſuris.*

Cum reus moram fecit, & fidejuſſor tenetur. Paulus *l.* 14. §. 1. *ff. de uſuris.*

Omnis fructus non jure ſeminis, ſed jure ſoli percipitur. Julianus *l.* 25. *in pr. ff. de uſuris.*

An mora facta intelligatur, neque conſtitutione ulla, neque juris auctorum quæſtione decidi poteſt, cum ſit magis facti quam juris. Marcianus *l.* 32. *in pr. ff. de uſuris.*

In bonæ fidei contractibus, ex mora uſuræ debentur. Marcianus *l.* 32. *ff. de uſur.*

Inter inſolentiam injurioſam, & diligentiam non ambitioſam, multum intereſt. Ulp. *l.* 33. *ff. de uſuris.*

Ei incumbit probatio, qui dicit, non qui

qui negat. Paulus *l.* 2. *ff. de probat.*

Semper neceſſitas probandi incumbit illi, qui agit. Marcianus *l.* 21 *ff. de probat.*

Qui ſolvit nunquam ita reſupinus eſt, ut facile ſuas pecunias jactet, & indebitas effundat. Paulus *l.* 25. *in pr. ff. de prob.*

Fiunt ſcripturæ, ut quod actum eſt per eas facilius probari poſſit: ſine his autem valet quod actum eſt, ſi habeat probationem. Gajus *l.* 4. *ff. de fide inſtrum.*

Teſtimoniorum uſus ab his præcipue exigendus, quorum fides non vacillat. Chariſius *l.* 1. *ff. de teſtib.*

Idonei non videntur teſtes, quibus imperari poteſt, ut teſtes fiant. Rufinus *l.* 6. *ff. de teſtib.*

Teſtis idoneus pater filio, aut filius patri non eſt. Paulus *l.* 9. *ff. de teſtib.*

Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur. Pomponius *l.* 10. *ff. de teſtib.*

Ubi numerus teſtium non adjicitur, etiam duo ſufficient: pluralis enim elocutio duorum numero contenta eſt. Ulp. *l.* 12. *ff. de teſtib.*

Regula eſt, juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere. Paulus *l.* 9. *ff. de juris & facti ignor.*

Ex

EX LIB. XXIII.

IN contrahendis matrimoniis naturalé jus, & pudor inſpiciendus eſt. Paulus *l.* 14. §. 3. *ff. de ritu empt.*

Quæſita dignitas liberis, propter crimen patris auferenda non eſt. Papinianus *l.* 32. §. *ult. ff. de ritu nupt.*

Factum lex, non ſententiam notat. Ulp. *l.* 43. §. 12. *ff. de ritu nupt.*

Par affectionis cauſa, ſuſpicionem fraudis amovet. Tryph. *l.* 67. §. 1. *ff. de ritu nupt.*

Reipub. intereſt, mulieres dotes ſalvas habere, propter quas nubere poſſunt, *l.* 2. *ff. de jure dot.*

Bono & æquo non convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum. Pomponius *l.* 6. *in fine*, *ff. de jure dot.*

Ii qui ex libertate conveniuntur, in id quod facere poſſunt, condemnandi ſunt. Ulp. *l.* 33. *ff. de jure dot.*

Lege rata non habetur autoritas dolo malo facta. Terentius *l.* 61. *ff. de jure dot.*

EX LIB. XXIV.

NON donat, qui neceſſariis oneribus ſuccurrit. Ulp. *l.* 21. *in pr. ff. de donat. int. vir. & ux.* Vo-

Voluntas hominis ambulatoria eſt uſque ad vitæ ſupremum exitum. Ulp. *l.* 32. §.3. *ff. de donat. int. vir. & uxor.*

Coitus matrimonium non facit, ſed maritalis affectio. Ulp. *l.* 32 §.13. *ff. de don. int. vir. & uxor.*

Paria delicta mutua penſatione diſſolvuntur. Papinianus *l.*39. *ff. ſoluto matrim.*

Abſurde dicitur, dolo videri eum facere, qui non ipſi quem convenit, ſed alii reſtituturus petit. Paulus *l.*44. §.1. *ff. ſoluto matrim.*

Ex Lib. XXV.

IN honorem matrimonii turpis actio adverſus uxorem negatur. Gajus *l.* 2. *ff. de action. rer. amator.*

Partus antequam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum. Ulp. *l.*1. §.1. *ff. de vent. inſpic.*

Publice intereſt, partus non ſubjici, ut ordinum dignitas, familiarumque ſalva ſit. Ulp. *l.*1. §.13. *ff. de vent. inſpic.*

Concubinatus, quia per leges nomen aſſumpſit, extra legis pœnam eſt. Marcianus *l.* 3. *in fine ff. de concubinis.*

Ex

EX LIB. XXVI.

TUTELA plerumque virile officium eſt. Gajus *l.* 16. *ff. de tutelis*.

Si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex his, quæ teſtamento ſcripta ſunt. Pomponius *l.* 9. *ff. de teſtam. tutela*.

Videtur geſſiſſe, qui per alium geſſit. Ulp. *l.* 5. §. 3. *ff. de adminiſtr. & pericul. tutor.*

Nemo jus publicum remittere poteſt cautionibus, nec mutare formam antiquitus conſtitutam. Ulp. *l.* 5. §. 7. *ff. de admin. & pericul. tutor.*

Tutor non rebus dumtaxat, ſed & moribus pupilli præponitur. Paulus *l.* 12. §. 3. *ff. de adminiſtr. & peric. tutor.*

Privilegium militum ad alienam injuriam porrigi non oportet. Papinianus *l.* 40. *ff. de admin. & peric. tutor.*

Lucrum ex tutela facere tutor non debet. Scævola *l.* 58. *in princ. ff. de admin. & peric. tutor.*

Impune puto admittendum, quod per furorem alicujus accidit. Pomponius *l. ul. infin. ff. de admin. peric. tutor.*

Regula eſt juris civilis, in rem ſuam autorem tutorem fieri non poſſe. Ulp *l.* 1. *in prin. ff. de autor. tutor. & l.* 7. *in prin. eod. tit.*

Dolus

Dolus tutorum puero neque nocere, neque prodeſſe debet. Papinianus *l.* 3. *ff. quando ex facto tutoris.*

EX LIB. XXVII.

NULLA ſocietas maleficiorum, vel communicatio juſta damni ex maleficio eſt. Ulp. *l.* 1. §. 14. *de ff. diſtrah.*

Unuſquiſque doli ſui pœnam ſufferat. Ulp. *l.* 15. *ff. de tutel. & ration.*

In hoc non adminiſtrantur tutelæ, ut mergantur pupilli. Ulp. *l.* 3. *in princ. ff. de contra. tutel. action.*

Mea fert opinio, eum, qui aliud fecit, quam quod a Prætore decretum eſt, nihil egiſſe. Ulp. *l.* 7. §. 3. *ff. de reb. eor. qui ſub tutel.*

EX LIB. XXVIII.

TESTAMENTI factio non privati, ſed publici juris eſt. Papinianus *l.* 3. *ff. qui teſtam. facere.*

Licet ſubtilitas juris refragari videatur, attamen voluntas teſtatoris ex bono, & æquo tuenda eſt. Papinianus *l.* 17. *ff. de in jus rapto.*

In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quam tutius.

tius. Marcellus *l.3.ff.de his quæ in teſtam. delent.*

Veteres decreverunt, teſtamentorum jura ſpſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno pendere arbitrio. Cajus *l.32. in pr. ff. de hæred. inſtit.*

Quædam in teſtamentis ſi exprimantur, effectum nullum habent, quando, ſi verbis tegantur, eandem ſignificationem habeant, quam haberent expreſſa, & momentum aliquod habebunt. Pomponius *l. 68. ff. de hæred. inſtit.*

Improbus eſt is, qui ſollicitus eſt de vivi hæreditate. Ulp. *l. 2. §. 2. ff. de vulg. & pup. ſubſt.*

Beneficia principalia ipſi Principes ſolent interpretari. Paulus *l. 43. in pr. ff. de hæred. inſtit.*

Non videtur defectus conditione is, qui parere conditioni non poteſt. Ulp. *l. 8. §. 7. ff de condit. inſtit.*

Nulla eſt conditio, quæ in præteritum confertur, vel quæ in præſens. Ulp. *l.10. in fine ff. de condit. inſt.*

Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. Papinianus *l. 15. ff. de condit. inſtit.*

Ex

EX LIB. XXIX.

FURIOSI voluntas nulla eſt. Africanus *l.* 47. *ff. de acquir. hæred.*

Iniquum eſt, damnoſum cuique eſſe officium ſuum. Gajus *l.* 7. *teſtamenta quemadm. aper.*

Commixta familia eſt, & una domus viri & uxoris. Ulp. *l.* 1. §. 1. *ff. de SC. Silan.*

Fratris factum, fratri non nocet. Paulus *l.* 2. §. 1. *ff. ſi quis aliquem teſtari.*

Codicilli pro parte teſtamenti habentur, obſervationemque, & legem juris inde traditam ſervant. Scæv. *l.* 14. *ff. de jure codicill.*

EX LIB. XXX.

RERUM vocabula immutabilia ſunt, hominum mutabilia. Ulp. *l.* 2. *ff. de legat.* 1.

Legatum in aliena voluntate poni poteſt, in hæredis non poteſt. Ulp. *l.* 34. §. 1. *de ff. legat.* 1.

Nemo poteſt in teſtamento ſuo cavere, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant. Pomponius *l.* 55. *ff. de legat.* 1.

Impoſſibilis conditio pro non ſcripta habe-

betur. Julianus *l.* 104. §. 1. *ff. de legat.* 1.

Non plus poteſt rogari quis reſtituere, quam quantum ei relictum eſt. Marcianus *l.* 114. §. 3. *ff. de legat.* 1.

Hæreditas perſonæ defuncti, qui eam reliquit, vice fungitur. Florentinus *l.* 116. §. 3. *ff. de legat.* 1.

EX LIB. XXXI.

NEMINEM ejuſdem rei legatæ ſibi partem velle, partem nolle verius eſt. Paulus *l.* 1. *ff. de legat.* 2.

Exemplo peſſimum eſt, fœminino vocabulo etiam maſculos contineri. Pomponius *l.* 45. *in pr. ff. de legat.* 2.

Sæpe confines fundos, etiam ſupra juſtam æſtimationem intereſt noſtra adquirere. Terent. *l.* 54. *ff. de legat.* 2.

Plures in uno fundo dominium, juris intellectu, non diviſione corporis, obtinent. Papinianus *l.* 66. §. 2. *ff. de legat.* 2.

Uſusfructus, etſi in jure non in parte conſiſtit, emolumentum tamen rei continet. Papinianus *l.* 66. §. 6. *ff. de legat.* 2.

Facultas neceſſariæ electionis, proprie liberalitatis beneficium non eſt. Papinian. *l.* 67. §. 1. *ff. de legat.* 2.

Non abſumitur, quod in corpore patrimonii retinetur Paulus *l.* 72. *ff. de legat.* 2.

Ordo

Ordo ſcripturæ non impedit cauſam juris, ac voluntatis. Paulus *l.* 77. §. 2. *ff. de legat.* 2.

Ignaviam prætendentes, audiri non oportet. Paulus *l.* 78. §. 2. *ff. de legat.* 2.

EX LIB. XXXII.

PROBATIO mutatæ voluntatis ab hæredibus exigenda eſt. Ulp. *l.* 11. §. 1. *ff. de legat.* 3.

In fideicommiſſis præcipue ſpectanda ſervandaque eſt teſtatoris voluntas. Ulp. *l.* 11. §. 19. *ff. de legat.* 3.

Semper ſexus maſculinus etiam fœmininum ſexum continet. Julianus *l.* 62. *ff. de legat.* 3.

Omne artificium, incrementum recipit. Marcianus *l.* 65. §. 3. *ff. de legat.* 3.

In cauſa teſtamentorum non ad definitionem utique deſcendendum eſt: cum plerumque abuſive loquantur, nec propriis nominibus ac vocabulis ſemper utantur. Marcellus *l.* 69. *ff. de legat.* 3.

EX LIB. XXXIII.

TAM labor, quam pecunia diviſionem recipiunt. Papinianus *l.* 10. *in prin. ff. de annuis legat.*

Ser-

Servitus ſervitutis eſſe non poteſt. Paulus *l.* 1. *ff. de uſu & uſufr. legat.*

Non poteſt arbiter, inter alios judicando, alterius jus mutare. Labeo *l.* 31. *ff. de uſu legato.*

Quicquid demonſtratæ rei additur ſatis demonſtratæ, fruſtra eſt. Ulpianus *l.* 1. §. *ult. ff. de dote prælegata.*

Non videor conſentire, qui ſentire non poſſum. Pomponius *l.* 8. §. 2. *ff. de option. legat.*

Error jus facit. Paulus *l.* 3. *in fine ff. de ſupellect. leg.*

Nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit. Celſus *l.* 7. §. 2. *ff. de ſupell. leg.*

Etſi prior atque potentior eſt, quam vox, mens dicentis, tamen nemo ſine voce dixiſſe exiſtimatur. Celſus *l.* 7. *in fine ff. de ſupell. leg.*

EX LIB. XXXIV.

CERTO corpore legato, demonſtratio falſa poſita non interimit legatum. Pomponius *l.* 10. *ff. de auro & argento legat.*

Nullam dubitationem habet, quin hæredem petere a debitore vetito, nec hæres hæredis petere poſſit. Pomponius

l. 2. *ff. de liberat. legat.*

Solemus dicere, pacti exceptionem fidejussori dandam, quæ reo competit. Ulp. *l.* 5. *in pr. ff. de liberat. legat.*

Acceptilatio solutioni comparatur. Ulpianus *l.* 7. §. 1. *ff. de liberat. legat.*

Confusione perinde extinguitur obligatio ac solutione. Terentius Clemens *l.* 22. §. 1. *ff. de liberat. legat.*

Præsumptio propter naturalem affectum facit, omnia patri videri concessa. Scævola *l.* 28. §. 3. *ff. de liberat. legat.*

Ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum. Ulp. *l.* 4. *ff. de adim. legat.*

Novissima voluntas servatur. Paul. *l.* 6. *in fine ff. de adim. legat.*

Supervacua scriptura non nocet legato. Paulus *l.* 26. *in fine ff. de adim. legat.*

In ambiguo sermone non utrumque dicimus, sed id dumtaxat, quod volumus. Itaque qui aliud dixit quam vult, neque id dicit quod vox significat, quia non vult, neque id quod vult, quia id non loquitur. Paulus *l.* 3. *ff. de rebus dubiis.*

In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet. Ulpianus *l.* 10. *ff. de reb. dub.*

Ubi est verborum ambiguitas, valet quod acti est. Paulus *l.* 21. *ff. de reb. dub.*

Sem-

Semper in dubiis id agendum eſt, ut quam tutiſſimo loco res ſit bona fide contracta, niſi cum aperte contra leges ſcriptum eſt. Paulus *l.* 11. *in fine ff. de reb. dubiis*, & Julianus *l.* 12. *ff. eod tit.*

Cum in teſtamento ambigue, aut etiam perperam ſcriptum eſt, benigne interpretari, & ſecundum id quod credibile eſt, cogitatum credendum eſt. Marcellus *l.* 24. *ff. de reb. dub.*

Cum quæritur in ſtipulatione, quid acti ſit, ambiguitas contra ſtipulatorem eſt. Celſus *l.* 26. *ff. de reb. dub.*

Catoniana regula ſic definit, quod ſi teſtamenti facti tempore deceſſiſſet teſtator, inutile foret id legatum, quandocunque deceſſerit, non valere. Celſus *l.* 1. *in pr. ff. de Regul. Caton.*

Quæ in eam cauſam pervenerunt, à qua incipere non poterant, pro non ſcriptis habentur. Marcianus l. 3. §. 2. *his, quæ pro non ſcriptis.*

EX LIB. XXXV.

OBTINUIT, impoſſibiles conditiones teſtamento adſcriptas, pro nullis habendas. Ulp. *l.* 3. *ff. de cond. & demon.*

In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit condi-

tiones. Ulpianus *l.*19. *in pr. ff. de condit. & demon.*

Annulorum aureorum jure honor augetur, conditio non mutatur. Marcianus *l.*33. §. 2. *ff. de cond. & demon.*

Demonſtratio plerumque vice nominis fungitur. Flor. *l.*34. *ff. de cond. & dem.*

Quæ facti ſunt, non tranſeunt ad dominum. Paulus *l.*44. *ff. de cond. & dem.*

In alienam voluntatem conferri legatum non poteſt. Modeſtinus *l.*52. *ff. de cond. & demon.*

Ferè dies ponitur ad proroganda ea, quæ ad præſens tempus, non etiam quæ in futurum legata ſunt. Javol. *l.* 54. *ff. de cond. & demon.*

Periculoſum eſt & triſte, libertum conjunctum patroni liberis, eorumdem mortem expectare. Papinianus *l.*72. §. 1. *ff. de condit. & demon.*

conditionibus teſtamentorum, volun-
potius quam verba conſiderari opor-
. Papin. *l.* 101. *in pr. ff. de cond. & demon.*

Damna poſt mortem teſtatoris illata, ad ſolum hæredem reſpiciunt. Marcianus *l.* 10. §. 2. *ff. ad l. Falcid.*

Favor libertatis ſæpe & alias benigniores ſententias exprimit. Marcian. *l.*32. *in fin. ff. ad l. Falcid.*

Ea

Ea quæ per errorem omissa vel soluta sunt, condici possunt. Ulp. *l.* 3. *in fine*, *ff. si cui plus quam*.

EX LIB. XXXVI.

NEMINEM oportet plus legati nomine præstare, quam ex hereditate pervenit. Ulp. *l.* 1. §. 17. *ff. ad SC. Trebell.*

Dicendum est, Prætorem in Prætorem, vel Consulem in Consulem nullum imperium habere. Ulp. *l.* 13. §. 4. *ff. ad SC. Trebell.*

Triplici officio fungi nemo potest. Ulp. *l.* 13. §. 4. *ff. ad SC. Trebell.*

Iniquum est, ad fideicommissarium damnum pertinere, ad quem augumentum non pertinet. Marcianus *l.* 33. *ad SC. Trebell.*

Cum semel adita hæreditas, omnis functi voluntas rata constituitur. Papinianus *l.* 55. *ff. ad SC. Trebell.*

In fideicommissis voluntatem spectari convenit. Papinianus *l.* 57. §. 1. *ff. ad SC. Trebell.*

Neque turpitudinem ullam habeat conditio, nec impendium (al. impedimentum) aliquid. Gajus *l.* 63. §. 7. *ad SC. Trebell.*

Codicillis hereditas neque dari, neque adimi poteſt. Scæv. *l.* 76. *ff. ad S.C. Trebell.*

Fidejuſſores ab eo non petendi, cujus fidem ſequi defunctus maluit. Papinianus *l.* 26. §. 1. *ff. quando dies legator.*

Fiſcus non ſolet ſatisdare. Ulp. *l.* 1. §. 38. *ff. ut legator. cauſ. cav.*

EX LIB. XXXVII.

PROPTER incertum cautio interponi ſolet. Ulp. *l.* 1. §. 11. *ff. de collatione.*

Præmatura eſt ſpes collationis, cum adhuc vivit is, cujus de bonis quarta debetur. Ulp. *l.* 1. §. 21. *ff. de collatione.*

Cum capite fortunas quoque ſuas in familiam & domum alienam (arrogatus) transfert. Papinianus *l.* 11. §. 2. *ff. de bon. ſec. tabul.*

pitis accuſatio ea eſt, cujus pœna mors eſt, aut exilium. Terentius *l.* 5. *ff. de jure patronat.*

Liberto, & filio ſemper honeſta & ſancta perſona patris, ac patroni videri debet. Ulp. *l.* 9. *ff. de obſeq. parent. præſt.*

EX LIB. XXXVIII.

PERINDE operæ a libertis, ac pecunia credita petitur. Pomponius *l.* 4. *ff. de operis libert.*

Unuſquiſque quod ſpopondit, ſub impendio dare debet, quamdiu id quod debet in rerum natura eſt. Paulus *l.* 20. *in pri. ff. de oper. libert.*

Solutionis vicem delegatio continet. Paulus *l.* 36. §. 4. *ff. de oper. libert.*

Advocatus non accuſat. Ulpian. *l.* 14. §. *pen. ff. de bonis libertor.*

Iniquum eſt, & legatum velle percipere, & libertatem ſervo non dare, Papinianus *l.* 41. *ff. de bonis libert.*

Omnia quæ noſtra ſunt, liberis noſtris ex voto paramus. Tryphonius *l.* 50. §. 2. *ff. de bonis libertor.*

Veriſimile non videtur, tam conjunctum ſanguine defuncti valetudinem ignoraſſe. Papinianus *l.* 9. *in fine*, *ff. unde cognati.*

Accedentibus ſingulis creſcit numerus. Paulus *l.* 10. §. 19. *ff. de gradib.*

Privatorum cautio legum auctoritate non cenſetur. Papinianus *l.* 16. *ff. de ſuis & legitim.*

EX LIB. XXXIX.

PRODESSE sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur. Ulp. *l.* 1. §. 4. *&* 11. *ff. de aqua pluv. arc.*

Vetustas vicem legis obtinet. Ulpian. *l.* 1. §. *ult. ff. de aq. pluv. arcend.*

Cum minuitur jus alicujus, consequens est exquiri an consentiat. Ulpian. *l.* 8. *ff. de aq. pluv. arcend.*

Nullam potest videri injuriam accipere, qui semel voluit. Paulus *l.* 9. §. 1. *ff. aqu. pluv. arc.*

Non potest quis facere, quo minus agrum vicinus quemadmodum vellet, araret. Alfenus *l.* 24. *in princ. ff. de aq. pluv.*

Tabulæ non faciunt matrimonium. Papinianus *l.* 31. *in princ. ff. de donationib.*

EX LIB. XL.

CAUSÆ probationis contradicendum; non etiam causa jam probata retractanda est. Marcianus *l.* 9. *ff. de manum. vindict.*

Verba solemnia, licet non dicantur, ut dicta accipiuntur. Hermogenianus *l.* 23. *ff. de manum. vindict.*

In obscuro favorabilius respondetur.

Pau-

Paulus *l.* 10. *in fine ff. de manum. vindicta* : & libertas prævalet . Marcianus *l.* 50. *in fin. ff. de fideicom. libert.*

Vulgò dicitur , ſub pluribus conditionibus data libertate , leviſſimam conditionem ſpectandam eſſe. Modeſtinus *l.* 45. *ff. de manum. teſtamento* .

Nihil obeſt , quod in ſyllaba erratur . Scævola . *l.* 54. *in princ. ff. de manum. teſtamento* .

Cum invitis illis, qui libertatem acceperunt, poſſunt bonis propter libertatem addici , utique etiam abſentibus . Ulp. *l.* 4. §. 3. *ff. de fideic. libertat.* Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ὀν τῇ σωρῷ ἔχω προσμαθεῖν τὶ βαλοίμην . i. e. Et ſi alterum pedem in tumulto haberem , non pigeret aliquid addiſcere . Pomponius *l.* 20. *ff. de fideicom. libertat.*

Quid tam contrarium eſt ſervituti, quàm libertas ? Papinianus *l.* 21. *ff. de fideicom. libert.*

Non tantum verba fideicommiſſi , ſed & mens teſtatoris tribuere ſolet libertatem fideicommiſſariam . Ulpian *l.* 24. §. 8. *ff. de fideicom. libert.*

Multa contra juris rigorem pro libertate ſunt conſtituta . Ulpian. *l.* 24. §. 10. *ff. de fideicom. libert.*

Ex juſta cauſſa abeſſe eos demum dicendum eſt, qui non habent injuſtam cauſſam abſentiæ. Ulpian. *l.* 28 §. *ultim. ff. de fideicom. libert.*

Fideicommiſſæ libertates neque ætate, neque conditione, neque mora non præſtantium, tardiuſve reddentium corrumpuntur, aut in deteriorem ſtatum perducuntur. Ulpian. *l.* 30. §. *pen. ff. de fideicom. libert.*

Libertas dividi, & ſic pro parte præſtari non poteſt. Paulus *l.* 31. *in princ. ff. de fidecom. libert.*

Humanum non fuerit, ob rei pecuniariæ quæſtionem, libertati moram fieri. Ulpian. *l.* 37. *ff. de fideicom. libert.*

Nihil æque gratum ſervis præſtari poteſt, quam libertas. Paulus *l.* 39. *in fine ff. de fideicom. libert.*

Ea damna, quæ caſu ita acciderint, ut ſervo nihil poſſit imputari, non pertinent ad reliquorum onus. Scævola *l.* 41. §. *ff. de fidecom. libert.*

In hæredis arbitrium conferri, an debeatur, non poteſt. Ulp. *l.* 46. §. 4. *ff. de fideicom. libert.*

Quatenus libertas non privata, ſed publica res eſt, ultro is, qui eam debet, offerre debet. Marcianus *l.* 53. *ff. de fideicom. libert.*

Præ-

Prætor parvulis ſubvenit. Marcian. *l.* 55. §. 1. *ff. de fideicom. libert.*

Libertas nec pecunia lui, nec reparari poteſt. Ulpian. *l.* 9. §. 2. *ff. de ſtatu lib.*

Ineſſe videtur tempus tam operarum præſtationi, quam itineri. Paul. *l.* 20. *in fin. ff. de ſtatu liber.*

Creditores appellantur, quibus quacunque ex cauſa actio (cum fraudatore) competit. Paulus *l.* 16. §. *ff. qui & a quib. manum.*

Melioris conditionis eſſe non debet, qui dubiæ libertatis eſt, quam qui certæ. Paulus *l.* 24. §. *ult. ff. de liberali cauſa.*

Vulgo dicitur, poſt ordinatum liberale judicium hominem, cujus de ſtatu controverſia eſt, liberi loco eſſe. Cajus *l.* 25. §. 2. *ff. de liberali cauſa.*

EX LIB. XLI.

TRADITIO nihil amplius transferre debet, vel poteſt ad eum qui accipit, quam eſt apud eum qui tradit. Ulp. *l.* 20. *in princ. ff. de adquir. rer. domin.*

Flumina Cenſitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum addicant, & ex publico in privatum. Pomponius *l.* 32. §. *ſen. ff. de acquir. rer. domin.*

Nunquam nuda traditio transfert dominium : Et ita ſi venditio, aut alia juſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur . Paulus *l.* 31. *in princ. ff. de acquir. rer. domin.*

Subſtitutio, quæ nondum competit, extra bona noſtra eſt . Paulus *l.* 20. *ff. de adq. rer. domin.*

Incorporales res traditionem & uſucapionem non recipere, manifeſtum eſt . Gajus *l.* 41. §. 1. *ff. de adquir. rer. domin.*

Non eſt novum, ut qui dominium non habet, alii dominium præbeat . Ulpianus *l.* 46. *ff. de adq. rer. dom.*

Rem in bonis noſtris habere intelligimur, quoties poſſidentes exceptionem, aut amittentes ad recuperandam eam actionem habemus . Modeſtinus *l.* 52. *ff. de adq. rer. domin.*

Res ex mandato meo empta, non prius mea fiet, quam ſi mihi tradiderit, qui emit . Calliſtratus *l.* 5. *ff. de adquir. rer. domin.*

Hæreditas in multis partibus juris pro domino habetur, adeoque hæredetati quoque ut domino per ſervum hæreditarium adquiritur . Hermogenianus *l.* 61. *ff. de adq. rer. domin.*

Quæ quiſque aliena in cenſum deducit, nihilo magis ejus fiunt, Scævola *l.* 64. *ff.*

de

de adquir. rer. domin.

Non corpore & actu neceſſe eſt apprehendere poſſeſſionem, ſed etiam oculis & affectu. Paulus *l.* 1. §. 21. *ff. de adquir. poſſeſ.*

Adipiſcimur poſſeſſionem & corpore & animo, neque per ſe animo, aut per ſe corpore. Paulus *l.* 3. §. 1. *ff. de adquir. poſſeſ.*

Furtum ſine contrectatione fieri non poteſt, nec animo furtum admittitur. Paul. *l.* 3. §. 18. *ff. de adquir. poſſ.*

Non videtur poſſeſſionem adeptus is, qui ita nactus eſt, ut eam retinere non poſſit. Javolenus *l.* 22. *ff. de adquir. poſſ.*

In uſucapionibus non a momento ad momentum, ſed totum poſtremum diem computamus. Ulpian. *l.* 6. *ff. de uſucap.*

Partus rei furtivæ pars non eſt. Ulpian. *l.* 10. *in fine ff. de uſucap.*

Pignori rem acceptam uſu non capimus, quia pro alieno poſſidemus. Paulus *l.* 13. *in princ. ff. de uſucap.*

Adverſus fiſcum uſucapio non procedit. Modeſtinus *l.* 18. *ff. de uſucap.*

Ubi lex inhibet uſucapionem, bona fides poſſidenti nihil prodeſt. Pomponius *l.* 24. *ff. uſucap.*

Sine poſſeſſione uſucapio contingere non poteſt. Rufinus *l.* 25. *ff. de uſucap.*

Nun-

Nunquam in uſucapionibus juris error poſſeſſori prodeſt . Paulus *l.* 31. *in princ. ff. de uſucap.*

In uſucapionibus mobilium continuum tempus numeratur . Paulus *l.* 31. *ff. de uſucap.*

Incertam partem poſſidere nemo poteſt. Pomponius *l.* 22. §. 2. *ff. de uſucap.*

Non intelligitur quis ſuæ rei pignus contrahere . Julianus *l.* 33. §. 5. *ff. de uſucap.*

Furtum ſine affectu furandi non committitur. Gajus 37. *in princ. ff. de uſucap.*

Subſtantia potius (i. veritas) intuenda, quam opinio . Paulus *l.* 2. §. 2. *ff. pro emptor.*

Juris error nulli prodeſt . Paulus *l.* 2. §. 15. *ff. pro emptore .*

Emptoris tempus venditoris ad uſucapionem procedit . Paulus *l.* 2. §. *penult. ff. pro emptore .*

Vulgò traditum eſt, eum qui exiſtimat quid emiſſe , nec emerit , non poſſe pro emptore uſucapere . Africanus *l.* 11. *ff. pro emptore .*

Vulgo reſpondetur , cauſam poſſeſſionis neminem ſibi mutare poſſe . Julianus *l.* 2. §. 1. *ff. pro hærede .*

In alieni facti ignorantia tolerabilis error eſt . Neratius *l. ult. in fine ff. pro ſuo.*

Sol-

EX LIB. XLII.

SOLVISSE accipere debemus non tantum eum, qui ſolvit, verum omnem omnino, qui ea obligatione liberatus eſt, quæ ex cauſa judicati deſcendit. Ulpian. *l.* 4. §. *pen. ff. de re judic.*

Ex eo tempore quicquid æſtimatur noviſſime ſolvi poterit. Celſus *l.* 11. *ff. de re judicata.*

Inter pares numero Judices ſi diſſonæ ſententiæ proferantur, in liberalibus idem cauſis pro libertate ſtatutum obtinet: in aliis autem cauſis pro reo. Paul. *l.* 38. *ff. de re judic.*

Morbus ſonticus exiſtimandus eſt, qui cujuſque rei agendæ impedimento eſt. Julianus *l.* 60. *ff. de re judic.*

Sæpe conſtitutum eſt, res inter alios judicatas aliis non præjudare. Macer. *l. pen. in princ. ff. de re judic.*

Confeſſus pro judicato habetur, qui quodammodo ſua ſententia damnatur. Paulus *l.* 1. *ff. de confeſſis.*

Non fatetur qui errat, niſi jus ignoravit. Ulp. *l.* 2. *ff. de confeſſis.*

Quid intereſt, debitor quis non ſit, an nondum conveniri poſſit? Ulpian. *l.* 7. §. 14. *quib. cauſ. in poſſ. eat.*

Generaliter dicendum eſt: Quicquid (quis) impendit in rem, ſi modo ſine do-

lo

lo malo impendit, repetere eum posse. Ulp *l.* 9. §. 5. *ff de reb autor. jud. possid.*

Respublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus præfertur. Paulus *l. pen. in fin. ff. de reb. autorit. jud. poss.*

Jus civile vigilantibus scriptum est. Scævola *l.* 24. *in fine ff. quæ in fraud.*

EX LIB. XLIII.

VIM vi repellere licet, idque jus natura comparatur: Apparet autem ex eo, arma armis repellere licere. Ulp. *l.* 2. §. 27. *ff. de vi & vi armat.*

Semper superficies solo cedit. Ulp. *l.* 3. §. 7. *ff. uti possidetis*.

Corrumpi, aut mutari quod recte transactum est, superveniente delicto non potest. Paulus *l.* 2. *ff. de itin. actuque priv.*

Natura æquum est, tamdiu te liberalitate mea uti, quamdiu ego velim: & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem. Ulp. *l.* 2. §. 2. *ff. de precario*.

Rei suæ precarium non est. Ulp. *l.* 4. §. 3. *ff. de precario*.

EX LIB. XLIV.

NEMO prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint. Pau-

Paulus *l.* 8. *ff. de exceptionib.*
Etsi res judicata sit ex falsis instrumentis, si postea falsa inveniantur, rei judicatæ præscriptio opponi non potest. Modestinus *l.* 11. *ff. de exceptionib.*

Omnes exceptiones, quæ reo competunt, fidejussori quoque, etiam invito reo, competunt. Marcianus *l.* 19. *ff. de exceptionib.*

Generaliter exceptio rei judicatæ obstat, quoties inter easdem personas eadem quæstio revocatur, vel alio genere judicii. Ulp. *l.* 7. §. *pen. ff. de except rei jud.*

Amplius quam semel res mea esse non potest: sæpius autem deberi potest. Paulus *l.* 4. §. *pen. ff. de except. rei judic.*

Dolo facit quicunque id quod quaquam exceptione elidi potest, petit. Ulp. *l.* 2. §. 5. *ff. de doli except.*

Accipiendo usuras distuliſſe videtur (creditor) petitionem in id tempus, quod est post diem usurarum præstitarum, & tacite conveniſſe, interim se non petiturum. Ulp. *l.* 2. §. 6. *ff. de doli except.*

Dolo facit qui petit quod redditurus est. Paulus *l.* 8. *ff. de doli except.*

In omnibus temporalibus actionibus nisi noviſſimus dies compleatur, non finit obligationem. Paulus *l.* 6. *ff. de obl. & act.*

Contraxiſſe unusquisque in eo loco intelli-

telligitur, in quo ut ſolveret ſe obligavit. Julianus *l.* 21. *ff. de obl. & act.*

Omnes pœnales actiones poſt litem inchoatam & ad hæredes tranſeunt. Ulp. *l.* 29. *ff. de obl. & act.*

Cum ex uno delicto plures naſcuntur actiones, omnibus experiri permitti, poſt magnas varietates obtinuit. Hermogenianus *l.* 32. *ff. de obl. & act.*

Non figura litterarum, ſed oratione, quam exprimunt litteræ, obligamur: quatenus placuit, non minus valere quod ſcriptura, quam quod vocibus lingua figuratis ſignificaretur. Paulus *l.* 38. *ff. de obl. & act.*

Creditores accipere debemus eos, qui aliquam actionem vel civilem habent (ſic tamen, ne exceptione ſubmoveantur) vel honorariam actionem, vel in factum. Ulp. *l.* 42. §. 1. *ff. de obl. & act.*

Ubi de obligando quæritur, propenſiores eſſe debemus, ſi habeamus occaſionem ad negandum: Ubi de liberando, ex diverſo, ut facilior ſis ad liberationem. Paulus *l.* 47. *ff. de obl. & act.*

Ex contractibus venientes actiones in hæredes dantur, licet delictum quoque verſetur. Paulus *l.* 49. *ff. de obl. & act.*

Quod quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur; ei poteſtas eſt quo-

quolibet ejus anni die dandi. Pomponius *l.* 50. *ff. de obl. & act.*

Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur. Licinius *l.* 59. *ff. de obl. & act.*

EX LIB. XLV.

STIPULATIO non valet, in rei promittendi arbitrium collata conditione. Ulp. *l.* 17. *ff. de verb. obl.*

Qui bis idem promittit, is eo jure amplius quam semel non tenetur. Pomponius *l.* 18. *ff. de V. O.*

Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. Ulp. *l.* 26. *ff. de V. O.*

Sciendum est generaliter, si quis se scripserit fidejussisse, videri omnia solemniter acta. Ulp. *l.* 30. *ff. de V. O.*

Stipulationes commodissimum est ita componere, ut quæcunque specialiter comprehendi possint, contineantur. Julianus *l.* 53. *ff. de V. O.*

Quæ extrinsecus, & nihil ad præsentem actum pertinentia adjeceris stipulationi, pro supervacuis habebuntur, nec vitiabunt obligationem. Florentinus *l.* 65. *ff. de V. O.*

Casum, adversamque fortunam spectare hominis liberi neque civile, neque naturale

rale eſt. Paulus *l.* 83. §. 5. *ff. de V. O.*

Nemo rem ſuam futuram in eum caſum, quo ſua ſit, utiliter ſtipulatur. Paulus *l.* 86. *ff. de V. O.*

Mora rei fidejuſſori quoque nocet. Paulus *l.* 88. *ff. de V. O.*

Veteres conſtituerunt, quoties culpa intervenit debitoris, perpetuari obligationem. Paul. *l.* 91. §. 2. *ff. de V. O.*

Plerumque ſub autoritate juris ſcientiæ perniciosè erratur. Celſus apud Paulum *l.* 91. §. 3. *ff. de V. O.*

Quicquid adſtringendæ obligationis eſt, id niſi palam verbis exprimitur, omiſſum intelligendum eſt: ac ferè ſecundum promiſſorem interpretamur, quia ſtipulatori liberum fuit verba latè concipere. Celſus *l.* 99. *ff. de V. O.*

Conditio in præteritum, non tantum in præſens tempus relata, ſtatim aut perimit obligationem, aut omninò non differt. Modeſtinus *l.* 100. *ff. de V. O.*

Nulla promiſſio poteſt conſiſtere, quæ ex voluntate promittentis ſtatum capit. Javolenus *l.* 108. *in fine ff. de V. O.*

Si flagitii faciendi, vel facti cauſa concepta ſit ſtipulatio, ab initio non valet. Papin. *l.* 123. *ff. de V. O.*

Plerumque ea, quæ præfationibus conveniſſe concipiuntur, etiam in ſtipulationibus

nibus

nibus repetita creduntur. Paulus *l.* 134. §. 1. *ff. de V. O.*

EX LIB. XLVI.

OMNI obligationi fidejussor accedere potest. Ulpian. *l.* 1. *ff. de fidejussorib. & ursus l.* 8. §. 6. *ff. eod. tit.*

Hi, qui accessionis loco promittunt, in leviorem causam accipi possunt, in deteriorem non possunt. Paulus *l.* 34. *ff. de fidejussoribus.*

Si quis postquam tempore transacto liberatus est, fidejussorem dederit, fidejussor non tenetur: quoniam erroris fidejussio nulla est. Paulus *l.* 37. *ff. de fidejussor.*

Fidejussor antequam reus debeat, conveniri non potest. Scævola *l.* 57. *ff. de fidejuss.*

Non possunt conveniri fidejussores liberato reo transactione. Paulus *l.* 68. *in fine ff. de fidejussor.*

Maleficio un fidejussor accipi non potest. Gajus *l.* 70. §. 3. *ff. de fidejussor.*

Pœnas ob maleficia solvi, magna ratio suadet. Gajus *l.* 70. §. 5. *de fidejus.*

Non potest pro eodem apud eundem quis mandator esse. Paulus *l.* 71. *in princ. ff. de fidejussor.*

Qui sub conditione stipulatur, quæ o-

nimodo

nimodo extitura eſt, purè videtur ſtipulari. Ulp. *l.* 9. §. 1. *ff. de novationib.*

Non ordo ſcripturæ ſpectatur, ſed potius ex jure ſumitur id, quod agi videtur. Paulus *l.* 6. *ff. de ſolutionib.*

Plerique innocentium neceſſario ſumptu egent. Papinianus *l.* 14. *ff. de ſolutionib.*

Satisfactio pro ſolutione eſt. Ulp. *l.* 52. *ff. de ſolutionb.*

Qui mandat ſolvi, ipſe videtur ſolvere. Paulus *l.* 56. *ff. de ſolutionib.*

Solidum non ſolvitur, non minus quantitate, quam re. Calliſtratus *l.* 58. *ff. de ſolutionib.*

Aditio hæreditatis nonnunquam jure confundit obligationem. Papinianus *l.* 95. §. 2. *ff. de ſolutionib.*

In perpetuum ſublata obligatio reſtitui non poteſt. Paulus *l.* 98. §. *ff. de ſolutionibus.*

Hoc agitur in ſtipulationibus, ut quis cautior ſit & ſecurior interpoſita ſtipulatione. Ulp. *l.* 1. §. 4. *ff. de ſtipulat. Prætor.*

Prætor beneficium ſuum nemini vult eſſe captioſum. Papinianus *l.* 8. *ff. de ſtipul. Prætor.*

EX LIB. XLVII.

CIVILIS constitutio est, pœnalibus actionibus hæredes non teneri, nec cæteros quidem successores. Ulp. *l.* 1. *ff. de privat. delict.*

Species lucri est ex alieno largiri. Gajus *l.* 54. §. 1. *ff. de furtis*

Nemini officium suum damnosum esse debet. Africanus *l.* 61. §. 5. *ff. de furtis.*

Fructus quamdiu solo cohærent, fundi sunt. Africanus *l.* 61. §. 8. *ff. de furtis.*

Omninò ut in cæteris, ita in hujusmodi causis ex personarum conditione & rerum qualitate, & diligenter sunt æstimandæ, nè quid aut duriùs aut remissius constituatur, quam causa postulabit. Paulus *l.* 4. §. 1. *in f. ff. de incendio.*

Peccata nocentium nota esse & oportet, & expedit. Paulus *l.* 18. *in princ. ff. de injuriis.*

Injuriarum æstimatio non ad id tempus, quo judicatur, sed ad id quo facta est, referri debet. Javolenus *l.* 21. *ff. de injuriis.*

Res hæreditariæ omnium hæredum communes sunt. Paulus *l.* 4. *ff. expil. hæred.*

Omnes populares actiones neque in hæredes dantur, neque supra annum extenduntur. Ulp. *l. ult. ff. de popular. action.*

Ex

EX LIB. XLVIII.

NON omnia judicia, in quibus crimen vertitur, publica ſunt, ſed ea tantum, quæ ex legibus judiciorum publicorum veniunt. Macer. *l.* 1. *ff. de publ. judic.*

Senatus cenſuit, ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret. Paulus *l.* 4. *ff. de accuſation.*

Lubricum linguæ ad pœnam facilè trahendum non eſt. Modeſtinus *l.* 7. §. 3. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*

Neque matrimonium qualecunque, nec ſpem matrimonii violare permittitur, Ulp. *l.* 13. §. 3. *ff. ad l. Jul. de adult.*

Perniquum videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat. Ulp. *l.* 13. §. 5. *ff. ad l. Jul. de adult.*

Plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit. Papinianus *l.* 22. §. 4. *ff. ad l. Jul. de adult.*

Difficillimum eſt, juſtum dolorem temperare. Papin. *l.* 8. §. 8. *ff. ad L. Jul. de adult.*

In maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus. Calliſtrat. *l.* 14. *ff. ad l. Corn. de ſicar.*

Nihil intereſt, occidat quis, an cauſam mor-

mortis præbeat. Ulpian. *l.* 15. *ff. ad L. Corn. de ſicariis*.

Patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere. Marcianus *l.* 5. *ff. de L. Pomp. de parricid.*

Sufficit, furioſum ipſo furore puniri. Modeſt. *l.* 9. *in fin. ff. de leg. Pompon. de parricid.*

Contumacia cumulat pænam. Marcianus *l.* 4. *ff. de pœnis*.

Satius eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare. Ulpian. *l.* 5. *in princ. ff. de pœnis*.

Carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet. Ulpianus *l.* 8. §. 9. *ff. de pœnis*.

Suadendo juviſſe, ſceleris inſtar eſt. Saturninus *l.* 16. *in pr. ff. de pœnis*.

Cogitationis pœnam nemo patitur. Ulpian. *l.* 18. *ff. de pœnis*.

Pœna conſtituitur in emendationem hominum. Paulus *l.* 20. *ff. de pœnis*.

Unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. Calliſtratus *l.* 26. *ff. de pœnis*.

Interpretatione legum, pœnæ molliendæ ſunt potius, quam aſperandæ. Hermogen. *l.* 42. *ff. de pœnis*.

EX LIB. XLIX.

CREDO, humanitatis ratione omnem provocantem audiri debere. Ulpian. *l. 6. ff. de appellat.*

In communi cauſa quoties alter appellat, alter non, alterius victoria ei proficit, qui non provocavit. Ulpianus *l.* 10. §. *final. ff. de appellat.*

Generaliter is erit provocandus ab eo, cui mandata eſt juriſdictio, qui provocaretur ab eo, qui mandavit juriſdictionem. Ulp. *l.* 1. *in fin. ff. quis, a quo appelletur.*

Impoſſibile præceptum Judicis nullius eſt momenti. Paulus *l. ult. ff. quæ ſententent. ſine appellat.*

Pendente appellatione, morte rei crimen extinguitur. Macer. *l.* 1. *in pr. ff. ſi pendente appellatione.*

Sicut diligenti cultura pretia prædiorum ampliantur, ita ſi negligentius habita ſint, minui ea neceſſe eſt. Calliſtratus *l.* 3. §. 4. *ff. de jure fiſci.*

Id bonorum cujuſque intelligitur, quod ære alieno ſupereſt. Javolenus *l.* 11. *ff. de jure fiſci.*

Diſciplina caſtrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam charitas liberorum. Paulus *l.* 19. §. 7. *ff. de captivis.*

Ex

EX LIB. L.

ERRORE veritas originis non amittitur. Ulpianus *l. 6. in princ. ff. ad municipalem.*

Magiſtratuum officium individuum, ac periculum eſt commune. Papinianus *l. 11. in princ. ff. ad municipal.*

Nullum patris delictum innocenti filio pœnæ eſt. Ulpianus *l. 2. §. 2. & 7. ff. de decurionibus.*

Honores & munera non ordinationi, ſed potioribus quibuſque injungenda ſunt. Paulus *l. 7. in pr. ff. de decurionib.*

Remuneranda pericula eorum (negotiatorum & navicularioruм), quin etiam adhortanda præmiis, merito placuit. Calliſtratus *l. 5. §. 3. ff. de jure immunitatis.*

Sancti habentur Legati. Pomponius *l. ult. ff. de legationib.*

Civilis ſapientia res eſt ſanctiſſima, nec pretio nummario æſtimanda, aut dehoneſtanda. Ulp. *l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.*

Quædam tametſi honeſtè accipiantur, inhoneſtè tamen petuntur. Ulp. *l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit.*

Perſonis data immunitas, cum perſona extinguitur; rebus, nunquam extinguitur. Ulp. *in l. 1. in fin. ff. de cenſib.*

Finis Florilegii ex Pandectis.

FLORILEGIUM SENTENTIARUM EX CODICE.

Ex Libro I.

NIHIL eſt, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. Conſtantinus M. *l.* 1. *C. de SS. Eccleſ.*

Pœna majoris videtur eſſe, verſari inter homines, & hominum carere ſuffragiis. Valentin. Jun. *l.* 3. *C. de apoſtatis.*

Principes cenſuerunt, ea quæ in certis negotiis ſtatuta ſunt, ſimilium quoque cauſarum facta componere. Impp. Theod. & Valent. *l.* 3. *C. de LL.*

Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. Impp. *l.* 4. *C. de LL.*

Non dubium eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Iidem Impp. *l.* 5. *C. de LL.*

Le-

Leges & Conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari. Iidem Impp. *l.* 7. C. *de LL.*

Divinæ quidem res perfectiſſimæ ſunt: humani vero juris conditio ſemper in infinitum decurrit, & nihil eſt in ea qnod ſtare perpetuo poſſit: multas enim formas edere natura novas deproperat. Juſtinianus *l. un.* §. 28. C. *de Vet. jur. enucl.*

Error facti necdum finito negotio nemini nocet. Conſtantinus & Maximianus *l.* 7. C. *de jur. & facti ignor.*

Errantis voluntas nulla, conſenſus nullus eſt. *l.* 8. *&* 9. C. *de jur. & facti ignor.*

Conſtitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec diſſimulare permittimus. *l.* 12. C. *de jur. & facti ignor.*

Mulcta damnum famæ non irrogat. *l.* 1. C. *de modo mulctarum, quæ.*

Ex Lib. II.

Actore non probante, qui convenitur, etſi nihil ipſe præſtet, obtinebit. Antoninus *l.* 4. C. *de edendo.*

Pacta, quæ contra leges conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris eſt. Antoninus *l.*

6. *& ult. C. de pactis.*

Pacta noviſſima ſervari oportere, tam juris, quam ipſius rei æquitas poſtulat. Alexand. *l.* 1. *C. de pactis.*

Traditionibus & uſucapionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur. Diocletian. & Maximian. *l.* 29. *C. de pactis.*

Regula eſt juris antiqui, omnes licentiam habere his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare. Juſtinianus *l. penult. C. de pactis.*

Nihil ita fidei congruit humanæ, quam ea quæ placuerunt cuſtodiri. Diocletian. & Maximian. *l.* 20. *C. de tranſact.*

Advocatorum error litigatoribus non nocet. Diocletian. & Maximian. *l. ult. C. de errore advocator.*

Fides veritatis verborum adminicula non deſiderat. Severus & Antoninus *l.* 1. *C. ſi minor ab hæreditate.*

Melius eſt intacta jura ſervari, quam poſt cauſam vulneratam remedium quærere. Juſtinian. *l. ult. C. in quib. cauſ. reſt. in int. neceſſaria.*

Malitia minoris ætatem ſupplet. Diocl. & Maxim. *l.* 3. *C. ſi minor ſe majorem.*

In contractibus, quæ bonæ fidei ſunt, etiam majoribus, officio Judicis cauſa cognita publica jura ſubveniunt. Dioclet. &

Ma-

Maximian. *l.* 3. *C. quib. ex cauſ. majores.*

Juris formulæ, aucupatione ſyllabarum inſidiantes, cunctorum actibus radicitus amputentur. Conſtantinus *l.* 1. *C. de formulis & impetrat.*

EX LIB. III.

PLACUIT, in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ, æquitatiſque, quam ſtricti juris rationem. Conſtant. & Licinius *l.* 8. *C. de judiciis.*

Judices cum veritate, & legum obſervatione judicium diſponere debent. Juſtinian. *l.* 14. *C. de judic.*

In re propria iniquum admodum eſt, alicui licentiam tribuere ſententiæ. Valens, Gratian. & Valentin. *l. un. C. ne quis in ſua cauſa judicet.*

Invitus agere vel accuſare, nemo cogatur. Dioclet. *l. un. C. ut nemo invitus agere.*

Juris ordinem converti poſtulas, ut non actor rei forum, ſed reus actoris ſequatur. Diocl. & Maxim. *l.* 2. *Cod. de juriſdict. omn. judic.*

In criminali negotio rei forum accuſator ſequatur. Arcad. & Hon. *l.* 5. *C. de juriſdict. omn. judic.*

Actor rei forum, ſive in rem, ſive in per-

perſonam ſit actio, ſequitur. Valent. Theod. & Arcad. *l. ult. C. ubi in rem actio exerceri:* etiam in ſtatus quæſtione. Diocl. & Maxim. *l. 3. C. ubi cauſa ſtatus agi.*

Omnem honorem reatus excludit. Conſtantinus *l. 1. C. ubi Senatores.*

Melius eſt occurrere in tempore, quam poſt exitum vindicare. Valent., Theod. & Arcad. *l. 1. C. quando liceat unicuique ſe ſine judice.*

Liberi obſequium debitum jugiter, prout ipſius naturæ religio flagitat, parentibus debent adhibere. Conſtantin. *l. 28. C. de inoffic. teſtam.*

Meritis magis filii ad paterna obſequia provocandi, quam pactionibus adſtringendi ſunt. Juſtinianus *l. 35. §. 1. C. de inof. fic. teſtam.*

Partum ancillæ matris ſequi conditionem, nec ſtatum patris in hac ſpecie conſiderari, explorati juris eſt. Philipp. *l. 7. C. de rei vindic.*

Indicia certa, quæ jure non reſpuuntur, non minorem probationis, quam inſtrumenta continent fidem. Diocl. & Max. *l. 10. C. de rei vindicat.*

Voluntati teſtatoris per omnia obediendum eſt. Juſtinianus *l. 13. circa fin. C. de uſufruct.*

Multi caſus rebus incidunt mortalium.

Ju-

Juſtinianus *l.* 15. *in prin. C. de uſufr.*

Eſt ſatis durum, [per hujuſmodi difficultates] amittere, quod ſemel poſſeſſum eſt, Juſtinianus *l. pen.* §. 1. *C. de uſufr.*

Longi temporis conſuetudo vicem ſervitutis obtinet. Antoninus *l.* 1. *C. de ſervitutib.*

Uti via publica, nemo rectè prohibetur. Dioclet. & Maxim. *l.* 11. *C. de ſervitutib.*

Noxa caput ſequitur. Alex. *l.* 1. *C. de noxal. action.*

Locum religioſum diſtrahi non poſſe, manifeſtum eſt. Philipp. *l.* 9. *C. de religioſ.*

Ex Lib. IV.

Juris jurandi contempta religio ſatis Deum ultorem habet. Alexand. *l.* 2. *C. de reb. credit.*

In bonæ fidei contractibus, nec non etiam in cæteris cauſis, inopia probationum, per judicem jurejurando cauſa cognita, res decidi oportet. Diocl. & Maxim. *l.* 3. *C. de reb. cred. & jurejur.*

Lucrum ex delictis ſperare, impium eſt. Juſtinianus *l. ult. in fine*, *C. de reb. cre. & jurejurand.*

Non unde originem pecunia, quæ mutuò datur, habeat, ſed qui contraxit ſi

ut propriam numeravit; in hujuſmodi obligationibus requiritur l. Diocl. & Maxim. *l. 7. C. ſi certum petatur.*

Incendium ære alieno non exuit debitorem. Diocl. & Maxim. *l.* 11. *C. ſi certum petatur.*

Ante tempus debita exigi non poſſunt. Dioclet. & Maxim. *l. 1. C. de condict. ex lege.*

Bonam fidem in contractibus conſiderari æquum eſt. Diocl. & Maxim. *l.* 4. *C. de O. & A.*

Sicut initio libera poteſtas unicuique eſt habendi vel non habendi contractus, ita renunciare ſemel conſtitutæ obligationi, adverſario non conſentiente, nemo poteſt. Diocl. & Max. *l.* 5. *C. de O. & A.*

Ob æs alienum ſervire liberos creditoribus, jura compelli non patiuntur. Dioclet. & Max. *l.* 12. *C. de O. & A.*

Ob maritorum culpas uxores inquietari, leges vetant. Diocl. & Max. *l.* 2. *C. ne uxor pro marito.*

Propter æs alienum pupilli, res tutoris, qui nihil ex ejus bonis tenet, pignori capi non oportet. Sever. & Antonin. *l.* 1. *C. quando fiſcus vel privatus.*

Senſum, non vana vocabula amplecti oportet. Juſtinianus *l.* 2. §. 1. *C. de conſtit. pecun.*

Peti-

Petitori poſſeſſionis, non ei qui poſſidet, onus probandi incumbit. Antonin. *l.* 2. C. *de probationibus*.

Exemplo perniciosum eſt, ut ei ſcripturæ credatur, qua unuſquiſque ſibi adnotatione propria debitorem conſtituit. Galienus *l.* 7. C. *de probation.*

Per rerum naturam, factum negantis probatio nulla eſt. Diocl. & Max. *l.* 2. C. *de probation.*

Contra ſcriptum teſtimonium, non ſcriptum teſtimonium non fertur. *l.* 1. C. *de teſtib*

Etiam jure civili, domeſtici teſtimonii fides improbatur. Valerian. & Galien. *l.* 3. C. *de teſtib.*

Sola teſtatione prolatam, nec aliis legitimis adminiculis cauſam approbatam, nullius eſſe momenti, certum eſt. Carus, Carinus & Numerianus *l.* 4. C. *de teſtib.*

Parentes & liberi invicem adverſus ſe, nec volentes ad teſtimonium admittendi ſunt. Diocl. & Max. *l.* 6. C. *de teſtib.*

Omnibus in re propria dicendi teſtimonii facultatem jura ſubmoverunt. Valens, Grat. & Valentin. *l.* 10. C. *de teſtib.*

Scripturæ diverſæ fidem ſibi invicem derogantes, ab una eademque parte prolatæ, nihil firmitatis habere potuerunt. Diocl. & Max. *l.* 14. C. *de fide inſtrum.*

In exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides inſtrumentorum, quam depoſitiones teſtium. Conſtantin. *l.* 15. C. *de fide inſtrum.*

Hoc quod pro quibuſdam introductum eſt, inferre eis jacturam, minimè rationi convenit æquitatis. Juſtinianus *l.* 19. *in fin.* C. *de fide inſtrum.*

Plus valere quod agitur, quam quod fimulatè concipitur. *Titulus libr.* 4.

In contractibus rei veritas potius, quam ſcriptura perſpici debet. Valerian. & Gal. *l.* 1. C. *plus valere quod agitur.*

Sæpe apud antiquos dicitur, juſſionem domini non eſſe abſimilem nominationi. Juſtinianus *l. ult.* C. *per quas perſon. nob. acquir.*

Origo potius obligationis, quam titulus actionis conſiderandus eſt. Severus & Antoninus *l.* 3. C. *ad SC. Macedon.*

Scimus, favore dotium antiquos juris conditores ſeveritatem legis ſæpius mollire. Juſtinian. *l. ult.* C. *ad SC. Vell.*

Nimis indignum eſt, quod ſua quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare, teſtimonioque proprio reſiſtere. Juſtinus *l.* 13. C. *de non numerat. pecun.*

In bonæ fidei negotiis uſurarum rationem haberi certum eſt. Alexander *l.* 13. C. *de uſuris.* Re-

Rebus, non verbis lex ponenda eſt. Juſtinian. *l.* 28. C. *de uſuris*.

Suæ quiſque rei eſt moderator & arbiter. Conſtantin. *l.* 21. C. *mandati*.

Aliena negotia exacto officio geruntur, nec quicquam in eorum adminiſtratione neglectum ac declinatum culpæ vacuum eſt. Conſtantin. *l.* 21. C. *mandati*.

Societatem uno pecuniam conferente, alio operam, poſſe contrahi, magis obtinuit. Diocletian. & Maximian. *l.* 1. C. *pro ſocio*.

Tamdiu ſocietas durat, quamdiu conſenſus partium integer ſervatur. Diocl. & Maxim. *l.* 5. C. *pro ſocio*.

Voluntates legitimè contrahentium omnimodo obſervandæ ſunt. Juſtinianus *l. pen.* C. *pro ſocio*.

In vendentis, vel ementis voluntatem collata conditione comparandi, quia non adſtringit neceſſitate contrahentes, obligatio nulla eſt. Diocl. & Maxim. *l.* 13. C. *de contrah. empt.*

Nominis venditio, etiam ignorante vel invito adverſus quem actiones mandantur, contrahi ſolet. Alexand. *l.* 3. C. *de hæred. vel actione vendend.*

Malæ fidei emptio irrita eſt. Alexand. *l.* 1. C. *de reſcind. vend.*

Dolus bonæ fidei contrarius eſt. Diocl. & Ma-

& Maxim. *l.* 5. C. *de rescind. vend.*

Emptor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes, ad contractum emptionis atque venditionis accedunt. Diocl. & Max. *l.* 8. C. *de rescind. vend.*

Dolus emptoris qualitate facti, non quantitate pretii æstimatur. Diocl. & Maxim. *l.* 10. C. *de rescind. vend.*

Quod consensu contractum est, contrariæ voluntatis adminiculo dissolvitur. Gordian. *l.* 1. C. *quando liceat ab empt.*

Post perfectam venditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet. Alexander *l.* 1. C. *de pericul. & commod. rei vend.*

Dolum auctoris bonæ fidei emptori non nocere, certi juris est. Alex. *l.* 3. C. *de pericul. & commod. rei vend.*

EX LIB. V.

PLERUMQUE fœminæ etiam adversus commoda propria, invenitur laborare consilium. Honor. & Theodos. *l.* 4. C. *de sponsalib.*

Dos fit propter nuptias, & sine nuptiis quidem nulla dos intelligitur: sine dote autem nuptiæ possunt celebrari. Justinian. *l.* 20.

l. 20. C. *de donat. ante nupt.*

Nec filium quidem familias invitum ad uxorem ducendam cogi legum diſciplina permittit. Diocl. & Max. *l.* 12. & 14. C. *de nupt.*

Imperialis benevolentiæ proprium hoc eſt, ut omni tempore ſubjectorum commoda tam inveſtigare, quam eis mederi procuret. Juſtinianus *l.* 23. C. *de nup.*

Deum imitatur, qui ignoſcit. Juſtinian. *l.* 23. C. *de nupt.*

Omnino paternum eſt officium; dotem, vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie. Juſtinus *l.* 7. C. *de dotis promiſſione.*

Nulla lege prohibitum eſt, univerſa bona in dotem marito fœminam dare. Alexander *l.* 4. C. *de jure dotium.*

Rei quæſitæ dominium auferre nolenti nemo poteſt. Diocl. & Max. *l.* 23. C. *de jure dotium.*

Ipſe naturalis ſtimulus parentes ad liberorum ſuorum educationem hortatur. Juſtinianus *l. un.* §. 5. C. *de rei uxor. action.*

Dotem numeratio, non ſcriptura dotalis inſtrumenti facit. Sever. & Antonin. *l.* 1. C. *de dote cauta.*

Dubium non eſt, omnia omnino, quæ conſilio rectè geruntur, jure meritoque effectu & firmitate niti. Dioclet. & Max. *l.* 3. C. *de repudiis.*

Con-

Conſenſu licita matrimonia poſſe contrahi, contracta non niſi miſſo repudio diſſolvi præcipimus. Solutionem etenim matrimonii difficiliorem debere eſſe, favor imperat liberorum. Theodoſ. & Valent. *l.* 8. C. *de repudiis.*

Parentum neceſſitatibus liberos ſuccurrere, juſtum eſt. Antoninus *l.* 1. C. *de alendis liberis.*

Deſideria morientium ex arbitrio viventium, non ſine juſta ratione colligimus. Leo & Anthemius *l.* 4. C. *de naturalib. liberis.*

Miſericordia indigni non ſunt qui alieno laborant vitio. Juſtinian. *l.* 7. C. *de natural. lib.*

Nimis eſt indignum, nimis item impium flagitiis præſidia quærere. Juſtinian. *l.* 7. *in fin.* C. *de natural. lib.*

Communium rerum utilitas eſt, lucidis & omni ambiguitate ſegregatis legibus uti. Juſtinian. *l.* 9. C. *de natur. lib.*

Naturalis ordo per omnia conſervandus eſt. Juſtinian. *l.* 5. C. *de legit. tutela.*

Nominum & rerum fœda confuſio vitanda eſt. Juſtinian. *d. l.* 5. C. *de leg. tutel.*

Maritus rebus uxoris ſuæ debet affectionem. Alex. *l.* 2. C. *qui dare tutores.*

Tutelam adminiſtrare virile munus eſt, & ultra ſexum fœmineæ infirmitatis tale officium eſt. Alexander *l.* 1. C. *quando mulier tutelæ.*

In

In pecunia robur omne patrimoniorum veteres posuerunt. Constantin. *l.* 22. *sub fin.* C. *de admin. tutor.*

Pecuniæ fœnerandi usus vix diuturnus, vix continuus & stabilis est. *Idem ibid.*

Pauperibus industria, vel augumentum patrimonii, quod laboribus & multis casibus quæritur, interdicendum non est. Diocl. & Max. *l.* 10. C. *arbitrium tutelæ.*

Nemo tam simplex (immo magis stultus) invenitur, ut in publico inventario scribi contra se aliquid patiatur. Justinianus *l. ult. in fin. pr.* C. *arbitrium tutelæ.*

Quod omnes similiter tangit, ab omnibus debet comprobari. Justinianus *l. ult.* C. *de autorit. præst.*

Tutoris officium ex sola voluntate pupilli non finiri, certissimum est. Diocl. & Max. *l.* 2. C. *quando tutores esse desinant.*

Non debet ignorantiæ maritorum, amplissimi ordinis consulto fraus quæri. Antoninus *l.* 4. C. *de excusat. tutor.*

Voluntariæ tutelæ munera privilegiis nihil derogant. Gordianus *l.* 12. C. *de excusat. tutor.*

Diversæ excusationis species imperfectæ nihil proficiunt. Sever. & Anton. *l. unic.* C. *qui numero tutelar.*

Conſenſu licita matrimonia poſſe contrahi, contracta non niſi miſſo repudio diſſolvi præcipimus. Solutionem etenim matrimonii difficiliorem debere eſſe, favor imperat liberorum. Theodoſ. & Valent. *l.* 8. C. *de repudiis.*

Parentum neceſſitatibus liberos ſuccurrere, juſtum eſt. Antoninus *l.* 1. C. *de alendis liberis.*

Deſideria morientium ex arbitrio viventium, non ſine juſta ratione colligimus. Leo & Anthemius *l.* 4. C. *de naturalib. liberis.*

Miſericordia indigni non ſunt qui alieno laborant vitio. Juſtinian. *l.* 7. C. *de natural. lib.*

Nimis eſt indignum, nimis item impium flagitiis præſidia quærere. Juſtinian. *l.* 7. *in fin.* C. *de natural. lib.*

Communium rerum utilitas eſt, lucidis & omni ambiguitate ſegregatis legibus uti. Juſtinian. *l.* 9. C. *de natur. lib.*

Naturalis ordo per omnia conſervandus eſt. Juſtinian. *l.* 5. C. *de legit. tutela.*

Nominum & rerum fœda confuſio vitanda eſt. Juſtinian. *d. l.* 5. C. *de leg. tutel.*

Maritus rebus uxoris ſuæ debet affectionem. Alex. *l.* 2. C. *qui dare tutores.*

Tutelam adminiſtrare virile munus eſt, & ultra ſexum fœmineæ infirmitatis tale officium eſt. Alexander *l.* 1. C. *quando mulier tutelæ.*

In

In pecunia robur omne patrimoniorum veteres posuerunt. Constantin. *l.* 22. *sub fin.* C. *de admin. tutor.*

Pecuniæ fœnerandi usus vix diuturnus, vix continuus & stabilis est. *Idem ibid.*

Pauperibus industria, vel augumentum patrimonii, quod laboribus & multis casibus quæritur, interdicendum non est. Diocl. & Max. *l.* 10. C. *arbitrium tutelæ.*

Nemo tam simplex (immo magis stultus) invenitur, ut in publico inventario scribi contra se aliquid patiatur. Justinianus *l. ult. in fin. pr.* C. *arbitrium tutelæ.*

Quod omnes similiter tangit, ab omnibus debet comprobari. Justinianus *l. ult.* C. *de autorit. præst.*

Tutoris officium ex sola voluntate pupilli non finiri, certissimum est. Diocl. & Max. *l.* 2. C. *quando tutores esse desinant.*

Non debet ignorantiæ maritorum, ampliſſimi ordinis consulto fraus quæri. Antoninus *l.* 4. C. *de excusat. tutor.*

Voluntariæ tutelæ munera privilegiis nihil derogant. Gordianus *l.* 12. C. *de excusat. tutor.*

Diversæ excusationis species imperfectæ nihil proficiunt. Sever. & Anton. *l. unic.* C. *qui numero tutelar.*

EX LIB. VI.

POST deciſionem furti leges agi prohibent. Diocl. & Max. *l.* 13. C. *de furtis & ſervo corrupto.*

Furti actione minimè teneri ſucceſſores ignorare non debueras. Dioclet. & Max. *l.* 15. C. *de furtis & ſerv. corr.*

Regula eſt, qui habet adverſus alium furti actionem, ipſe ea teneri non poteſt. Juſtinian. *l.* 21. C. *de furt. & corr.*

Ubi periculum, ibi & lucrum collocetur. Juſtinian. *l. ult.* §. 3. *in f.* C. *de furtis & ſervo corrupto.*

Delicta parentum liberis non nocent. Conſtantinus *l.* 2. C. *de libertis & eorum liberis.*

Voluntas militis in expeditione occupati pro jure ſervatur. Antoninus *l.* 2. C. *de teſtam. milit*

Militum teſtamenta juris vinculis non ſubiiciuntur. Antoninus *l.* 3. C. *de teſtam. milit.*

Captatorias inſtitutiones etiam in militis teſtamento nullius eſſe momenti, manifeſtum eſt. Philip. *l.* 11. C. *de teſtamento militis.*

Humana fragilitas mortis cogitatione perturbata, minùs res plures memoria poteſt

teſt conſequi . Juſtinus *l.* 8. *C. qui teſtament. fac.*

Licet lex Imperii ſolemnibus Juris Imperatorem ſolverit, nihil tamen tam proprium Imperii eſt, quam legibus vivere. Alexander *l.* 3. *C. de teſtam.*

Errore ſcribentis teſtamentum, juris ſolennitas mutilari nequaquam poteſt. Dioclet. & Max. *l.* 7. *C. de teſtam.*

Juriſdictionis mutare formam, vel juri publico derogare, teſtatori permiſſum non eſt. Valer. & Galien. *l.* 2. *C. de teſtam.*

Neceſſaria prætermiſſa imminuunt contractus, & teſtatoris officiunt voluntati, non abundans cautela. Arcad. & Hon. *l.* 17. *C. de teſtamentis.*

Mos retinendus eſt fideliſſimæ vetuſtatis. Arcad. & Honor. *l.* 18. *Cod. de teſtam.*

Voluntates hominum audire volumus, non jubere. Honor. & Theod. *l.* 19. *C. de teſtam.*

Abſurdum eſt, ſi promiſcuis actibus rerum turbentur officia, & aliis creditum alius ſubtrahat. Juſtinian. *l.* 23. *C. de teſtam.*

Opprobrium eſt clericis, ſi peritos ſe velint diſceptationum eſſe forenſium. Juſtinianus *l.* 23. *in fin. C. de teſtam.*

Coram teſtibus facere aliquid naturale teſtator erubeſcit. Juſtinian. *l.* 18. *C. de teſtam.*

Mor-

Mortuo ſimilis eſt, qui neque ſcribere, neque articulate loqui poteſt. Juſtinianus *l.* 25. *C. de teſtam.*

Neque enim ſic homo ſupinus, imo magis ſtultus invenitur, ut nomen ſuum ignoret. *Et in fine.*

Non eſt veriſimile, in ſuum nomen quemquam erraſſe. Juſtinian. *l. ult. C. de hæred. inſtit.*

Cum manifeſtiſſimus eſt ſenſus teſtatoris, verberum interpretatio nuſquàm tantum valet, ut melior ſenſus exiſtat. Juſtinian. *l.* 3. *C. de liber. præterit.*

Ex rupto teſtamento nihil deberi neque peti poſſe, explorati juris eſt. Antonin. *l.* 1. *C. de poſthumis hæred. inſtit.*

Nec emere, nec donatum adſequi, nec damnoſam quiſquam hæreditatem adire compellitur. Arcad. & Hon. *l.* 6. *C. de jure deliberandi.*

Arma magis quam jura ſcire milites, ſacratiſſimus Legislator exiſtimavit. Juſtinianus *l.* 22. *C. de jure delib.*

Formidoloſi homines ea timent, quæ nulla digna ſunt ſuſpicione. Juſtinian. *l.* 22. *in fin. princ. C. de jure delib.*

Confeſſos in jure, pro judicatis haberi placuit. Diocl. & Maxim. *l.* 4. *C. de repud. hæredit.*

Nihil actum eſſe credimus, dum aliquid adden-

addendum ſupereſt . Juſtinian. *l. pen. in fin. C. de his quib. ut indignis.*

Oportet ſervos, ubicunque ſenſerint dominum periclitantem, ad prohibendas inſidias concurrere . Juſtinian. *l. ult. C. de his, quib. ut indign., & ad SC. Silan.*

In legatis vel fideicommiſſis neceſſaria non ſit verborum obſervantia : ita ut nihil prorſus interſit, quis talem voluntatem verborum caſus exceperit, aut quis loquendi uſus effuderit. Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans *l.* 21. C. *de legatis.*

In omnibus teſtatoris voluntatem, quæ legitima eſt, dominari cenſemus. Juſtinianus *l.* 23. *in fin. C. de legatis.*

Mulieres ad hoc natura progennit, ut partus ederent: & maxima iis cupiditas in hoc conſtituta eſt . Juſtinian. *l.* 2. C. *de indicta viduitate.*

Augeri magis noſtram Rempublicam, & multis hominibus legitimè progenitis frequentari, quam impiis perjuriis affici volumus . Juſtinianus *l.* 2. C. *de indicta viduitate.*

Satis inhumanum eſſe videtur, per leges quæ perjuria puniunt, viam perjuriis aperiri. Juſtinian. *l.* 2. *in fin.* C. *de indicta viduitate.*

Non ex ſola ſcriptura, ſed ex conſcientia defuncti voluntati ſatisfaciendum eſt.

An-

Antoninus *l.* 2. C. *de fideicommiſſis*.

Voluntatis defuncti quæſtio in æſtimatione Judicis eſt. Alex. *l.* 7. C. *de fideicommiſſis*.

Regulariter traditur, ea quæ in teſtamento relinquuntur, ſi ex teſtamento non adeatur hæreditas, non valere. Valerianus & Galienus *l.* 14. C. *de fideicommiſſis*.

Clari & aperti juris eſt, in fideicommiſſis poſteriores voluntates eſſe firmiores. Diocletianus, & Maximianus *l.* 19. C. *de fideicommiſſis*.

Nos non verbis, ſed ipſis rebus leges imponimus. Juſtinianus *l.* 2. *in fin.* C. *communia de legatis*.

Falſa demonſtratio non perimit legatum. Alexander *l.* 2. C. *de falſa cauſa adjecta*.

Quod ſemel repudiatum eſt, redintegrari minime concedimus. Juſtinianus *l. ult.* C. *de condition. inſertis*.

Non eſt ferendus is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. Juſtinianus *l. un.* §. 4. C. *de caduc. tollendis*.

Quod communibus omnibus prodeſt, hoc privatæ utilitati præferendum (Princeps) cenſeat, ſuum eſſe proprium ſubjectorum commodum imperialiter exiſtimans. Juſtinianus *l.* 1. §. *pen.* C. *de caducis toll.*

Perin-

Perindignum eſt, fortuitas ob cauſas, vel caſus humanos, nepotes avita ſucceſſione fraudari. Theodoſius & Valentinianus *l. un. C. de his qui ante apertas.*

Mulieribus ingenuis & illuſtribus, caſtitatis obſervatio præcipuum debitum eſt. Juſtinianus *l.* 5. *C. ad SC. Orfician.*

Satis injurioſum, ſatiſque acerbum eſt, illuſtri mulieri ſpurios habere. Juſtinianus *l.* 5. *C. ad SC. Orfician.*

Nihil eorum, quæ probabiliter a natura naſcuntur, eſſe producta reſpui decet. Juſtinianus *l.* 12. *Cod. de legitim. hæred.*

Natura utrumque, tam maris quam fœminæ corpus edidit, ut maneat ſuis vicibus immortale, & alterum alterius auxilio egeat, & uno ſemoto alterum corrumpatur. Juſtinianus *l.* 14. *C. de legitim. hæredib.*

Naturam offendere, & legitimo juri derogare non licet. Juſtinianus *l.* 14. *C. de legit. hæred.*

Teſtamentariæ ſucceſſionis ſpe durante, inteſtato bona defuncti non recte vindicantur. Dioclet. & Maximian. *l.* 8. *C. communia de ſucceſſionib.*

Conſequens eſt, ambiguas, atque legum diverſis interpretationibus titubantes cauſas benigne, atque naturalis juris moderamine temperare. Leo & Anthemius

l. 5.

l. 5. C. *de bonis quæ liberis.*

Ut Imperialis fortuna omnes ſupereminet alias, ita oportet & Principales liberalitates culmen habere præcipuum. Juſtinianus *l.* 7. C. *de bonis quæ liberis.*

Ipſa natura & leges a parentibus alendos eſſe liberos imperant, & ab ipſis liberis parentes, ſi inopia ex utraque parte vertitur. Juſtinianus *l. ult.* §. 5. C. *de bonis quæ liberis.*

Ludibrio leges eſſe non oportet. Juſtinianus *l. ult.* §. 6. C. *de bonis quæ liberis: & paulo ante, eadem lege* §. 5. Melius eſt coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti triſtem ſentiant exitum.

EX LIB. VII.

IN ambiguis ſenſibus melius eſt (& maximè in libertate, favore ejus) humaniorem amplecti ſententiam. Juſtinianus *l.* 14. C. *de fideicom. libertat.*

Nos, qui veritatem colimus, ea tantummodo volumus in noſtris eſſe legibus, quæ re ipſa obtinent. Juſtinian. *l. un.* C. *de dedit. libert. tollend.*

Quod ex re ipſa rationabile eſt, hoc in jus perfectum deducitur. Juſtinian. *l. un. in princ.* C. *de Lat. libert. toll.*

Satis abſurdum eſt, ipſa origine rei ſublata,

lata, ejus imaginem derelinqui. Juſtinian. *l. unic. in princ. C. de Lat. libert. toll.*

Satis abundeque imperiale eſt, humaniorem ſententiam pro durioribus ſequi. Juſtinianus *l. 2. in fin. C. de communi ſervo manumitt.*

Sibi damna debet imputare is, qui in perniciem ſuam geſta taciturnitate firmavit. Conſtantinus *l. ult. C. de his qui a non domino manum.*

Religioſa ſolicitudo ad augendam provocandamque fidei obſervationem, juris præmio adfici debet. Dioclet. & Maxim. *l. 1. C. pro quib. cauſis ſervi pro præmio libertatem.*

Libertatem fovere & tueri, Romanis legibus, & præcipuè noſtro Numini peculiare eſt. Juſtinian. *l. 1. in fin. C. communia de manumiſſion.*

Ampliandam magis civitatem noſtram, quam minuendam cenſemus. Juſtinian. *l. 2. in fin. C. communia de manumiſſion.*

Factum tuum filiis obeſſe non debet. Antoninus *l. 1. C. de liberali caua.*

Nec omiſſa profeſſio probationem generis excludit, nec falſa ſimulatio veritatem minuit. Diocletian. & Maxim. *l. 15. C. de liberali cauſa.*

Servi naſcuntur ratione certa, non confeſſione conſtituuntur. Diolet. & Maxim.

l. 22. *C. de liberali cauſa.*

Placuit, eos qui naſcuntur, matrum conditionibus uti, quarum mox viſceribus exponuntur. Conſtantin. *l. ult. C. de liberali cauſa.*

Irritam facere donationem perfectam nemini licet. Diocl. & Max. *l.* 3. *C. de uſucap. pro donato.*

Improbata poſſeſſio firmum titulum poſſidenti præſtare nullum poteſt. Diocl. & Max. *l.* 7. *C. de acq. & retin. poſſeſſ.*

Vitia poſſeſſionum a majoribus contracta perdurant, & ſucceſſorem auctoris ſui culpa comitatur. Arcad. & Honor. *l.* 11. *C. de adq. poſſ.*

Ex aliena malignitate alienum damnum emergere non debet. Juſtinian. *l. ult. C. de acquir. poſſ.*

Antiqua juris regula definit, deteriorem conditionem domino per ſervum nullo modo fieri poſſe. Juſtinian. *d. l. ult. C. de acquir. poſſeſſ.*

Qui ſuis conſiliis ſuisque laboribus pro toto orbe terrarum die noctuque laborant, quare non habeant dignam ſua prærogativa fortunam? Juſtinianus *l.* 3. *in fin. C. de quadriennii præſcrip.*

Incubatio diuturna, aut novella profeſſio, proprietatis privilegium abolere non poteſt. Arcad. & Honor. *l.* 3. *C. ne res domini-*

minicæ vel templorum.

Ab his poſſeſſoribus initium non requiritur, qui ſibi potius quam alteri poſſederunt. Valent. & Valens *l.* 2. *C. de præſcrip.* 30. *vel* 40. *annor.*

Eos poſſeſſores non convenit appellari, qui ita tenent, ut ob hoc ipſum ſolitam debeant præſtare mercedem. Valent. & Valens *d. l.* 2. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

Sortes humanæ multæ ſunt. Juſtinianus *l.* 9. *ſive ult. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

Quis incuſare filios familias poterit, ſi hoc non fecerint, quod etſi maluerint, minimè adimplere lege obviante valebant? Juſtinian. *l.* 1. *in fin. C. de annali exceptione.*

Firmitatem ſententia non habebit, ſi ei non ſit commodatus adſenſus. Gordian. *l.* 3. *C. quom. & quando jud. ſent.*

Ea quæ ſtatuuntur adverſus abſentes non per contumaciam, judicatæ rei firmitatem non obtinere certum eſt. Dioclet. & Maxim. *l.* 7. *&* 10. *C. quomodo & quando Judex ſententiam.*

Si quid non bene dirimatur, hoc in aliorum Judicum vitium extendi non oportet, cum non exemplis, ſed legibus judicandum ſit. Juſtinian. *l.* 13. *C. de ſentent. & interlocut. omn. jud.*

Scimus esse naturæ congruum, eas tantummodo pœnas exigi, quæ vel cum competenti moderamine proferuntur, vel a legibus certo fine concluſæ ſtatuuntur. Juſtinianus *l. un. C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt.*

Poſt abſolutum dimiſſumque judicium, nefas eſt litem alteram conſurgere ex litis primæ materia. Honor. & Theod. *lib. 3. C. de fructib. & litium expenſis.*

Rebus judicatis ſtandum eſt. Antoninus *l. 1. C. de re judicata.*

Res judicatas inſtaurari, exemplo grave eſt. Gordianus *l. 4. C. de re judicata, & l. 5. ſequ. eod. tit.* Dioct. & Maxim. Inſtaurari finita, rerum judicatarum non patitur autoritas.

Cognitoris morte publica fides perire non debet. Honor. *l. ult. C. de re judicata.*

Quod ab uno ſervari non poterit a cæteris exigi non poſſe, explorati juris eſt. Gordianus *l. 2. C. ſi plures una ſententia.*

Res inter alios judicatæ, neque emolumentum his, qui judicio non interfuerunt, neque præjudicium ſolent irrogare. Gordianus *l. 2. C. quib. res judicata non nocet.*

Quod magno conflictu ſententia decerni ſolet, id paucis literis temerè deſcriptis definiri fas non eſt. Conſtantin. *l. uls. C. Comminationes, epiſtolas.*

Con-

Confeſſos in jure pro judicatis haberi placet. Antoninus *l. un. C. de confeſſis.*

Inter alios res geſtas, aliis non poſſe præjudicium facere, ſæpe conſtitutum eſt. Dioclet. & Maxim. *l.* 1. *C. inter alios acta alii non nocere*: & idem *l.* 2. *eod. tit.* Inter alios factam tranſactionem, abſenti non poſſe facere præjudicium, notiſſimi juris eſt.

Temere, aut paſſim provocandi facultas omnibus præbenda non eſt. Diocl. & Max. *l.* 6. §. 4. *C. de appellat.*

Et in majoribus & in minoribus negotiis appellandi facultas eſt. Conſtantinus *l.* 20. *C. de appellationib.*

Legum auſteritatem pactis litigantium mitigare licet. Juſtinianus *l. ult. in fin. C. de temporib. appellat.*

Dubium non eſt, id quod contra jus geſtum videtur, firmitatem non tenere. Carus, Carinus, & Numerianus *l.* 5. *C. quando provocare non eſt neceſſe.*

Neceſſario in contumacem vigor judiciarius excitandus eſt. Valentinus, Valens, & Gratianus *l.* 4. *C. quorum appell. non recip.*

Humanior ſententia pro duriore eligenda eſt. Juſtinianus *l. ult. C. qui bonis cedere poſſunt.*

EX. LIB. VIII.

OMNES ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad alios modis omnibus pertinere. Juſtinianus. *l. ult. C. unde vi.*

Negotiorum merita, partium adſertione panduntur. Arcad. & Honor. *l.* 2. C. *ſi per vim, vel alio modo.*

Nihil dubium aptum eſt ad tollendam ambiguitatem. Zeno. *l.* 12. §. 2. C. *de ædificiis privatis.*

Præſcriptio temporis juri publico non debet obſiſtere: ſed nec Reſcripta quidem. Gratian. Valent. & Theod. *l.* 6. C. *de operibus publ.*

Imperio magna ab univerſis ſecreta debentur. Honor. & Theodoſ. *l.* 19. C. *de oper. publ.*

Creditor ad petitionem debiti urgeri minime debet. Diocl. & Maxim. *l.* 20. C. *de pignor.*

Juſtum eſt, voluntates contrahentium magis, quam verborum conceptionem inſpicere. Juſtinianus. *l. ult.* C. *quæ res pignori oblig.*

Prævalet jure, qui prævenit tempore. Antoninus. *l.* 21. & 24. C. *qui potiores in pignor.*

Pro-

Pro Liberorum procreatione, multa noſtris legibus inventa ſunt privilegia. Juſtinianus *l. ult.* §. 1. C. *qui potiores in pignor.*

Conſenſu emptionem perfectam, (ſi neque dolus adverſarii, neque metus cauſa geſta arguentur) revocari, exemplo grave eſt. Diocl. & Maxim. *l.* 10. C. *de diſtract. pignor.*

Mendaci ſcriptura contra fidem veritatis nemo obligari poteſt. Alexander *l. ul.* C. *ſi pign. convent. numeratio pecuniæ.*

Exceptio rei judicatæ ei demum obſtat, vel ſucceſſoribus ejus, inter quos cognitum ſuper ea re, & pronunciatum eſt. Antoninus *l.* 2. C. *de exceptionibus ſeu præſcriptionibus.*

Juſtum eſt, propter doloſam mentem & abſconditam machinationem quem puniri. Juſtinianus *l.* 4. §. 1. C. *de litigioſis.*

Ea quæ quis promiſit, ipſe in memoria ſua ſervare, non ab aliis ſibi manifeſtari debet poſcere. Juſtinianus *l.* 12. C. *de contrah. ſtipulat.*

Cur quod in principalibus perſonis juſtum eſt, non ad hæredes & adverſus eos tranſmittatur? Juſtinianus *l.* 13. C. *de ſtipulat. contrah.*

Pene ſimilis omnium hominum natura eſt. Juſtinian. *l.* 13. C. *de contrah. ſtipul.*

Ex ſubtilitate hominum voluntates cadere non debent. Juſtinianus *l.*13. *in fin. C. de contrah. ſtipul.*

Mulieres, naturalis pudor non omnibus perperam ſe manifeſtare concedit. Juſtinianus *l. pen. C. de contrah. ſtipul.*

Senſus contrahentium diſcutiendus eſt. Juſtinianus *l. ult. C. de contrah. ſtipul.*

Libera matrimonia eſſe antiquitus placuit. Alexander *l.* 2. *C. de inutil. ſtipul.*

Omnia quæ contra bonos mores, vel in pactum, vel in ſtipulationem deducuntur, nullius momenti ſunt. Diocl. & Max. *l.* 14. *C. de inutil. ſtipul.*

Omnino atteſtatio pro ſcriptura haberi debet. Juſtinianus *l. pen. C. de fidejuſſoribus.*

Ipſa legis autoritate non permittitur, ut ſimplicitas ſuſcipientium contractus ex quacunque cauſa poſſit jus creditoris mutilare. Juſtinianus *l. ultim. in fin. C. de fidejuſſorib.*

Voluntate ſolum eſt, non lege novandum. Juſtinianus *l.ult. C. de novationib.*

Figmento veritatis extingui non poteſt obligatio. Dioclet. & Maxim. *l.* 13. *C. de ſolutionib.*

Solutionem adſeveranti, probationis onus incumbit. Dioclet. & Maxim. *l.*25. *C. de ſolutionib.*

Emptori

Emptori etiam venditoris jura prodeſſe non ambigitur . Diocl. & Maxim. *l.* 28. *C. de evictionib.*

Si quæ inter patrem & filium controverſiæ oriuntur , intra domum eas terminari congruit . Valer. & Galien. *l.* 4. *C. de patria poteſt.*

Reverentiam debitam exibere matri filius debet . Valer. & Galien. *l.*4. *in fin. C. de patria poteſt.*

Filia patri non ſolum reverentiam , ſed etiam ſubſidium vitæ exibere debet . Dioc. & Maxim. *l.* 5. *C. de patria poteſt.*

Patribus jus vitæ in liberos , neciſque poteſtas olim erat permiſſa , Conſtantinus *l. ult. C. de patria poteſtate .*

Jura patris naturalis nexu divino copulata ſunt . Juſtinianus *l. pen. in pr. C. de adoptionib.*

In patre nullius circumventionis ſuſpicio poteſt aliquam ſibi vendicare licentiam , avita affectione omnia reſecante . Juſtinianus *d. l. pen. C. de adopt.*

Materna jura non poſſunt aboleri . Juſtinianus *d. l. pen.* §. 1.

In emancipationibus liberorum , nec non donationibus , non tam ſcriptura , quam veritas conſiderari ſolet . Diocl. & Maxim. *l.* 2. *C. de emancipat liber.*

Super facultatibus (viventis) , cujus

incerta vita, ac fortuna fuit, transigi, aut judicari non potest. Dioclet. & Maxim. *l.* 40. C. *de postlim. reversis.*

Fortuna matris filiæ injuria fieri non debet. Dioclet. & Maxim. *l.* 14. C. *de postlim. reversis.*

Unusquisque sobolem suam nutriat. Valent., & Valens, & Gratian. *l.* 2. C. *de infantibus. expositis.*

Voluntas amica misericordiæ esse debet: Idem. *d. l.* 2.

Suum dicere nemo potest, quem pereuntem contemnit. Valent., Valens & Gratianus. *l.* 2. *in fin.* C. *de infantibus. expositis.*

Consuetudinis, ususve longævi non vilis auctoritas est: verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut Legem. Constantin. *l.* 2. C. *quæ sit longa. consuetudo.*

Leges quoque ipsas antiquitus probata, & servata tenaciter consuetudo imitatur, & retinet. Leo. & Anthemius. *l.* 3. C. *quæ sit long.*

Nec ignorans nec invitus quisquam donat. Dioclet. & Maxim. *l.* 10. C. *de donationib.*

Superfluum est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiunt. Zeno. *l.* 1. C. *de donationib.*

In

In arbitrio cujuſcumque eſt hoc facere, quod inſtituit. Juſtinianus *l.* 35. §. *ult.* C. *de donationib.*

Quid verbis opus eſt, quæ rerum effectus nullus ſequitur ? Juſtinianus *l. ult.* C. *de donationib.*

In libertos collata a patronis liberalitas, magis ad obſequium eos inclinare debet, quam ad inſolentiam erigere. Philip. *l.* 1. C. *de revocand. donat.*

Ex Lib. IX.

Vocem funeſtam amputari oportet potius, quam audiri. Arcad. & Honor. *l. pen.* C. *de his qui accuſare non poſſ.*

Finis explicandi negotii in Judicis poteſtate ac motu ſitus eſt. Diocl. & Max. *l.* 10. C. *de accuſationib.*

Nemo de proprio crimine confitentem, ſuper conſcientia ſcrutetur aliena. Hon. & Theod. *l. ult.* C. *de recuſationib.*

De his quos tenet carcer, id aperta definitione ſancimus, ut aut convictum velox pœna ſubducat, aut liberandos cuſtodia diuturna non maceret. Gratian. Valent. & Theod. *l.* 5. C. *de cuſt. reor.*

Morte homicidæ crimen cum pœna extinguitur. Antoninus *l.* 3. C. *ſi reus vel accuſat. mortuus.*

Maledictum est, si ex insania, miseratione dignissimum, si ab injuria, remittendum. Theod., Arcad. & Honor. *l. un. C. si quis Imperat. maled.*

Senatus, pars corporis Imperatorii est. Arcad., & Honor. *l.* 5. C. *ad l. Jul. Majest.*

Eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt. Arc. & Hon. *l.* 5. *ad l. Jul. Majest.*

In filiis paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur. Arcad. & Hon. *l.* 5. §. 1. C. *ad l. Jul. Majest.*

Hominibus perpetua egestate sordentibus mors solatium est, & vita supplicium. Arcad. & Honor. *l.* 5. §. 1. C. *ad l. Jul. Majest.*

Mitior circa mulieres debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. Arcad. & Honor. *l.* 5. §. 3. C. *ad l. Jul. Majest.*

Quod legitime est factum, nullam pœnam meretur. Alexander *l.* 4. C. *ad l. Jul. de adult.*

Nox & dolor justus homicidium relevant. Alexander *d. l.* 4. *in fin.* C. *ad l. Jul. de adul.*

Indignum est, ut ultionem pudoris præstigia versuti juris excludant. Dioclet. & Maxim. *l.* 28. C. *ad l. Jul. de adult.*

Ab

Ab his fœminis pudicitiæ ratio requiritur, quæ juris nexibus detinentur, & *matrisfamilias* nomen obtinent. Hæ autem immunes a judiciaria severitate, & stupri & adulterii præstentur, quas vitæ utilitas dignas legum observatione non reddidit. Constantinus *l.* 29. C. *ad L. Jul. de adult.*

Maritum genialis thori vindicem esse oportet. Costantinus *l.* 30. C. *ad L. Jul. de adult.*

Successio pro oneribus portionis suæ respondet. Antoninus *l.* 2. C. *ad L. Jul. de vi.*

Multa facinora sub uno violentiæ nomine continentur. Constantinus *l.* 6. C. *ad L. Jul. de vi.*

Causam dans cædi vel damno, cædem & damnum intulisse videtur. Colligitur *ex d. l.* 6.

Crimen non dissimile est rapere, & ei qui rapuit, raptam rem scientem delictum servare. Honor. & Theodos. *l.* 9. C. *ad l. Jul. de vi.*

Virginitas vel castitas corrupta, restitui non potest. Justinianus *l. un. in pr. C. de raptu virgin.*

Quos ad vitæ decora, domesticæ laudis exempla non provocant, saltem correctionis medicina compellat. Valent. & Va-

lens

lens *l. un. C. de emendatione propinquor.*

Crimen contrahitur, si & voluntas nocendi intercedat. Cæterum ea quæ ex improviso casu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxæ imputantur. Antoninus *l.* 1. *C. ad l. Corn. de sicar.*

Melius est (malo) occurrere & mederi, quam injuria recepta vindictam perquirere. Gallienus *l.* 4. *C. ad l. Corn. de sicariis.*

Innocentia purgari crimen, non adulta ætate defendi convenit. Diocl. & Maxim. *l.* 6. *C. ad l. Corn. de sicar.*

Plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio. Antoninus *l.* 1. *C. de maleficiis.*

Culpa similis est tam prohibita discere, quam docere. Valent. & Valens *l.* 8. *C. de maleficiis.*

Verisimile non est, eam quæ arguitur, non ex fide causam suam defensuram, cum periculum capitis subeat. Antoninus *l.* 1. *C. ad l. Corn. de falsis.*

Scripturæ veritas, (si res poposcerit) per ipsum debet probari auctorem. Constantinus *l.* 21. *C. ad l. Corn. de falsis.*

Ad honoris insignia non ambitione vel pretio, sed probatæ vitæ testimonio, viri debent promoveri. Theod. & Valent. *l. ult. C. ad l. Jul. repetund.*

Ne-

Neminem divini timoris contemnendo jusjurandum, arbitramur immemorem, ut saluti propriæ ullum commodum anteponat. Theod. & Valent. *l. ult. C. ad l. Jul. repetund.*

Disputare de Principali judicio non oportet: Sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem elegerit. Grat., Valent. & Theod. *l. 2. C. de crimine sacril.*

Uxor socia rei humanæ atque divinæ domus suscipitur. Gord. *l. 4. C. de crim. expil. hæredit.*

Indulgentia infamiam criminis non tollit, sed pœnæ gratiam facit. Valent., Valens & Gratian. *l. ul. C. de generali abolitione.*

Calumniantes ad vindictam poscit similitudo supplicii. Honor. & Theodos. *l. ul. C. de calumniator.*

Impunitas delicti propter ætatem non datur, si modo in ea quis sit, in quam crimen quod intenditur cadere potest. Alex. *l. 7. C. de pœnis.*

Vanæ voces populi non sunt audiendæ. Diocl. & Maxim. *l. 12. C. de pœnis.*

Non remitti pœnam facile, publice interest, ne ad maleficia temere quisquam prosiliat. Diocl. & Maxim. *l. 14. C. de pœnis.*

Facies hominis ad similitudinem pulchri-

tudi-

tudinis cœleſtis eſt figurata. Conſtantinus *l.* 17. C. *de pœnis.*

Sancimus ibi eſſe pœnam, ubi & noxa eſt, *& paulo poſt*. Peccata ſuos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum. Arcad. & Honor. *l.* 22. C. *de pœnis*.

Tantum ad reſtitutionem indulgentia valet, quantum ad correctionem ſententia valuit: utque deportationis ipſum per ſe nomen rerum omnium ſpoliatio eſt, ita indulgentiæ reſtitutio bonorum ac dignitatis, uno nomine, amiſſorum omnium eſt recuperatio. Conſtantinus *l. ult. in fin.* C. *de ſentent. paſſis & reſtitutis*.

EX LIB. X.

APERTISSIMI juris eſt, quod ex cujuſque patrimonio ceciderit in caſum, & legibus & recto juris ordine fiſci advocatis agentibus vindicetur. Conſtantinus *l.* 5. C. *de delatorib.*

Plerumque inverecunda petentium inflatione ita conſtringimur, ut etiam non concedenda tribuamus. Grat., Valent. & Theodoſ. *l.* 1. C. *de petit. bon. ſubl.*

Omne ſemen alienas appetendi fortunas ſtirpitus eruere (Princeps) debet. Theod. & Valent. *l.* 1. C. *de petit. bon. ſubl.*

Su-

Superfluum eſt hoc precibus poſtulare, quod jam lege permiſſum eſt. Leo *l.* 1. C. *de theſaur.*

Unuſquiſque ſuis fruatur, & non inhiet alienis. Leo *l.* 1. *in fin.* C. *de theſaur.*

Obſiſtere commodis publicis & ſtatutis neceſſitatibus, non poſſunt privilegia dignitatum. Arcad. & Honor. *l.* 20. C. *de annon. & tributis.*

Filios in poteſtate patris poſitos ad munera ſeu honores non poſſe evocari, falſo tibi perſuaſum eſt. Diocl. & Maxim. *l.* 5. C. *de Decurionibus.*

Nullus qualibet prærogativa fultus, a debitis muneribus habeatur immunis. Valens, Valent. & Gratian. *l.* 28. C. *de Decurionib.*

Utique unumquemque criminoſum non dignitas debet, ſed pœna comitari. Grat. Valent. & Theod. *l.* 38. C. *de Decurionib.*

Duæ partes ordinis in urbæ poſitæ, totius Curiæ inſtar exhibent. Arcad. & Honor. *l.* 45. C. *de Decurionib.*

Convenit, leges futuris regulas imponere, non præteritis calumnias excitare. Anaſtaſius *l. pen. in fin.* C. *de Decurionib.*

Quod ſummis apicibus dignitatum non eſt conceſsum, hoc alii ſibi vindicare non audeant. Juſtinianus *l. ult. in medio* C. *de Decurionib.*

In-

Infirma est venditio, si legis forma negligatur. Valent., Theod. & Arcad. *l.* 1. *C. de prædiis Decurionib.*

Naturale vitium est, negligi quod communiter possidetur, utque se nihil habere, qui non totum habeat arbitretur: denique suam quoque partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ. Theod. & Valent. *l.* 2. C. *quando & quib. quarta pars deb.*

Quid enim tam durum tamque inhumanum est, quam publicatione, pompaque rerum familiarium, & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias. Theod. & Valent. *d. l.* 2. *in fin. pr. C. quando & quibus quarta pars.*

In necessariis, sibique conjunctis personis sub liberalitatis appellatione debitum naturale persolvitur. Theod. & Valent. *l. un. in princ. C. de imponenda lucrat. descrip.*

Nec enim juris optimi est, matrimonium, cum tot tantisque suis difficultatibus opprimatur, adventitiis etiam cumulare ponderibus. Theod. & Valent. *l. un. C. de impon. lucrat. descript.*

Origine propria neminem posse voluntate sua eximi, manifestum est. Diocl. & Maxim. *l.* 4. *C. de municipibus.*

Cives quidem origo, manumissio, allectio, vel adoptio, incolas vero domicilium facit.

facit. Diocl. & Maxim. *l.* 7. *C. de incolis.*

Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus. Valent., Theod. & Arcad. *l. ult. C. de incolis.*

Majoribus honoribus functos, ad minores devocari non oportere, rationis est. Diocl. & Maxim. *l.* 2. *C. quemad. civilia. munera.*

Magistros studiorum, doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia. Julianus *l.* 7. *C. de professorib. & medicis.*

Turpe est, ut patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur, (Philosophus scil.) Valent. & Valens *l.* 8. *C. de professorib. & medicis.*

Consentire etiam is videtur, qui non testificatur dissentire nominationi. Severus & Antoninus *l.* 1. *C. de filiisfam. & quemadm. pro his pater teneatur.*

In discendis artibus etiam est accommodandum. Constantinus *l.* 1. *C. de excusat. artificum.*

Publicæ utilitatis interest, non ex amicitia creationes fieri, sed æstimatione vera, & commodo Reipubl. Alexander. *l. un. C. si propter inimicit. creatio facta sit.*

Consensum, non ignorantiam volumus obligari. Arcad. & Hon. *l.* 3. *C. de tabulariis.*

Leges

Infirma est venditio, si legis forma negligatur. Valent., Theod. & Arcad. *l.* 1. C. *de prædiis Decurionib.*

Naturale vitium est, negligi quod communiter possidetur, utque se nihil habere, qui non totum habeat arbitretur: denique suam quoque partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ. Theod. & Valent. *l.* 2. C. *quando & quib. quarta pars deb.*

Quid enim tam durum tamque inhumanum est, quam publicatione, pompaque rerum familiarium, & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias. Theod. & Valent. *d. l.* 2. *in fin. pr.* C. *quando & quibus quarta pars.*

In necessariis, sibique conjunctis personis sub liberalitatis appellatione debitum naturale persolvitur. Theod. & Valent. *l. un. in princ.* C. *de imponenda lucrat. descrip.*

Nec enim juris optimi est, matrimonium, cum tot tantisque suis difficultatibus opprimatur, adventitiis etiam cumulare ponderibus. Theod. & Valent. *l. un.* C. *de impon. lucrat. descript.*

Origine propria neminem posse voluntate sua eximi, manifestum est. Diocl. & Maxim. *l.* 4. C. *de municipibus.*

Cives quidem origo, manumissio, allectio, vel adoptio, incolas vero domicilium facit.

facit. Diocl. & Maxim. *l.7. C.de incolis.*

Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus. Valent., Theod. & Arcad. *l. ult. C. de incolis.*

Majoribus honoribus functos, ad minores devocari non oportere, rationis est. Diocl. & Maxim. *l.* 2. C. *quemad. civilia. munera.*

Magistros studiorum, doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia. Julianus *l.* 7. C. *de professorib. & medicis.*

Turpe est, ut patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur, (Philosophus scil.) Valent. & Valens *l.* 8. C. *de professorib. & medicis.*

Consentire etiam is videtur, qui non testificatur dissentire nominationi. Severus & Antoninus *l.* 1. C. *de filiisfam. & quemadm. pro. his pater teneatur.*

In discendis artibus etiam est accommodandum. Constantinus *l.* 1. C. *de excusat. artificum.*

Publicæ utilitatis interest, non ex amicitia creationes fieri, sed æstimatione vera, & commodo Reipubl. Alexander. *l. un.* C. *si propter inimicit. creatio facta sit.*

Consensum, non ignorantiam volumus obligari. Arcad. & Hon. *l.* 3. C. *de tabulariis.*

Leges

Leges inexorabiles. Theod. & Valent. *l. ul. C. de tabulariis, ſcribis.*

EX LIB. XI.

INTERCIPERE contractum emendi vendidique fas prohibet. Valent., Valens & Gratianus *l.* 1. C. *de prædiis naviculariorum.*

In aliena calamitate (Naufragorum) fiſcus jus non habet, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur. Conſtantinus *l.* 1. C. *de naufragiis.*

Quod ab uno committitur, id totius delinquitur periculo numeri. Theodoſ. & Valent. *l.* 5. C. *de fabricenſib.*

Pietas mea dona non expetit, neque regium ſibi offerri a privatis cultum requirit. Leo *l. un. C. nulli licere in fremis.*

Quod in initio diſpoſitionis conſtitutum eſt, id in poſterum nulla addita novatione ſervetur. Theod. & Valent. *l. un. in fin. C. de collegiatis.*

Linguarum confuſio permixta vel locorum, aures & mentes a ſtudio literarum avertit. Theod. & Valent. *l.* 1. *in fin. C. de ſtudiis liberal. V. R.*

Rempublicam, ut pupillam, extra ordinem juvari, moris eſt. Alexander *l.* 3. C. *de jure Reipub.*

Quo-

Quoties duobus non ſeparatim, ſed pro indiviſo munus injungitur, unuſquiſque eorum periculo ſoliditatis videtur obſtrictus. Gordianus *l.* 2. *C. quo quiſque ordine conveniatur.*

Primates viri, populi ſtudiis ac voluptatibus grati eſſe cupiunt. Valens, Grat. & Valent. *l.* 1. C. *de ſpectaculis.*

In lætitia publica ſervetur honeſtas, & verecundia caſtis moribus perſeveret. Arcad. & Hon. *l. un.* C. *de majuma.*

Malæ fidei poſſeſſorem eſſe nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur. Valent. & Valens *l.* 7. *in fin.* C. *de agricolis.*

Litibus imponenda celeritas. Juſtinianus *l.* 20. *in princ.* C. *de agricolis.*

Noſtra jura præjudicium generare nulli debent. Juſtinianus *l.* 22. *in princ.* C. *de agricolis.*

Ignorantiæ locus non eſt, cum ad criminis rationem ſolum iſtud ſufficit, quod incognitum ſibi tenuit. Valent., Theod. & Arcad. *l. un.* C. *de colonis Illyricianis.*

Grave eſt non ſolum legibus, verum etiam æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios moleſtari. Zeno *l. un.* C. *ut nullus ex vicaneis pro alienis vican. debit. teneatur.*

Nulla ratione debet quis ab hoc, quod in com-

commune omnibus profuturum eſt, ſejungi. Conſtantinus *l.* 1. C. *collat. fundorum.*

Si privati juris debita non patimur denegari, multo magis præbenda ſunt civitatibus quæ jure debentur. Valentinianus *l.* 5. C. *de diverſ. præd. urb. & ruſt.*

Legibus ſimiliter omne hominum genus tenetur. Theod. & Valent. *l. un.* C. *de conductor. præd. fiſcal. domus Aug.*

Gravior pœna conſtituenda eſt in hos qui noſtri juris ſunt, & noſtra debent cuſtodire mandata. Theodoſ. & Valent. *l. un. in fin.* C. *de conductor. præd. fiſcal. domus Aug.*

EX LIB. XII.

PATERNOS honores invidere filiis non oportet. Valens, Grat. & Valent. *l.* 11. C. *de dignat.*

Repetiti faſces, virtutes ſæpe meriti comprobant, non augent: quia nihil altius dignitate. Theod. & Valent. l. 1. C. *de Conſulib.*

Sede prior debet eſſe ante provectis, locus conſpectior, decernendi loquendique facultas antiquior, cui eſt ſplendor adepti Magiſtratus vetuſtior. Gratian., Valent. & Theod. *l. ul.* C. *de Præf. Prat.*

Sicut læſis implorandi præſidii facultatem

tem denegari non convenit, ita nec calumniandi viam patimur diutius esse patefactam. Leo *l. pen. C. de præpos. sacri cubiculi.*

Juriſperiti laudabilem in ſe probis moribus vitam esse demonſtrent, & docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi ſubtilitatem, copiàmque differendi habere debent. Theod. & Valent. *l. un. C. de profeſſor. qui in urbe Conſtantinop.*

Indignum eſt, deſides à propriis tamdiù muniis aberrantes, (quos esse convenit aſſiduos) numerari. Theod. & Valent. *l. 3. C. de domeſticis & protector.*

Nemini liceat, cum ſit poſterior tempore, locum præcedentis ambire. Theod. & Valent. *l. 7. C. de prox. ſacr. ſcrinior.*

In controverſiis, quas in judiciis moveri contigerit, æqualitatem litigatoribus volumus ſervari. Anaſtaſius *l. 12. §. 4. C. de proxim. ſacr. ſcrinior.*

Non videatur noſtra ſanctio aliquid habere imperfectum. Juſtinianus *l. 7. C. qui militare poſſint.*

Honoris augmentum non ambitione, ſed labore ad unumquemque convenit devenire. Arcadius & Honor. *l. 14. C. de re militari.*

Peregrinationis labor ſociatus, commilitii jus, & obeundorum munerum con-

ſor-

ſortium, affectioni fraternæ nonnihil addidiſſe, quinimò vice mutuâ chariores invicem ſibi eos reddidiſſe, credendus eſt. Gordianus *l.* 4. *C. de Caſtrenſi peculio*.

Plenum æquitate atque juſtitiâ eſt, ut qui aut ſucceſſione fruitur, aut emptione vel extructione gaudet, electam præcipuè judicio ſuam partem teneat, & relictam. Arcad. & Honor. *l.* 2. *C. de metatis*.

Principis ſalus, populi ſalus. Conſtantinus *l.* 1. *C. de veteranis*.

Veniam delinquentibus non permittimus, nec indulgentiis crimina ſublevamus. Grat., Valent. & Theod. *l.* 6. *C. de cohort. princip.*

Nullam poſſeſſionem alterius pro alienis debitis publicis vel privatis, præcipimus conveniri. Honor. & Theod. *l.* 4. *C. de executoribus*.

Utilitas publica præferenda eſt privatorum contractibus. Dioclet. & Maxim. *l.* 3. *C. de primipilo*.

FINIS *Florilegii ex Codice*.

FLORI-

FLORILEGIUM SENTENTIARUM EX NOVELLIS JUSTINIANI.

OMNIBUS hominibus terminus vitæ est mors. *Nov.* 1. *c.* 1. *sub finem*.

Leges neminem in paupertate vivere, neque in anxietate mori permittunt. *Nov.* 1. *in fine Epilogi*.

Mulierem, (quæ inviolatum morientis thorum servat) & miramur pariter & laudamus, & non procul a virginitate ponimus. *Nov.* 2. *c.* 3. *in medio*.

Pene nihil immensum bonum est. *Nov.* 3. *in princ.*

Ecclesia, Imperii mater. *d. Nov.* 3. *in princ.*

Ecclesiasticæ expensæ hominibus locupletibus non distribuendæ, ita ut inde inopes necessaria non mereantur. *Nov.* 3. *cap.* 3.

Non minor nobis cura esse debet horum, quæ sanctissimis Ecclesiis prosunt, quàm ipsius animæ. *Nov.* 3. *in f. Epilogi.*

Humana natura quodam modo labitur ad delicta. *Nov.* 5. *c.* 2. *sub finem.*

Seniorum conversatio, juventutis educatio perfecta. *d. Nov.* 5. *c.* 3. *in fine.*

Maxima in hominibus sunt dona Dei, Sacerdotium & Imperium: illud divinis ministrat, hoc humanis præsidet. *Nov.* 6. *in princ.*

Pene universa geruntur & competenter, si rei principium fiat decens, & amabile Deo. *Nov.* 6. *in f. princ.*

Pudicitia quam maxime mulieres exornat. *Nov.* 6. *c.* 6. *in fine.*

Quid est stabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem? cùm omnis noster status sub perpetuo motu consistat. *Nov.* 7. *c.* 2. *in princ.*

Oportet ea, quæ communiter & generaliter in omnium utilitatem sanciuntur, potius valere quam ea, quæ circa aliquos studentur agi ad corruptionem communium legum. *Nov.* 7. *c.* 9. §. 1.

Uno principio illico dato, plura sequuntur. *Nov.* 8. *in pr.* §. 1.

Multitudo numerosa nihil habet honestum: quoniam in paucis ex multis, quæ secundum virtutem est, vita salvatur.

tur. *Nov.* 10. *in princ.* §. 1. *in f.*

Pater, licet legum contemptor & impius ſit, tamen pater eſt. *Nov.* 12. *c.* 2.

Caſtitas etiam ſola, Deo cum fiducia potis eſt hominum animas præſentare. *Nov.* 14. §. 1.

Quanto quilibet præeſt melioribus, tanto major ipſe & honeſtior eſt. *Nov.* 15. *in f. princ.*

Et maximorum, & mediocrium & parvulorum nobis cura eſt: & nihil eſt tale, quod a noſtra ſolicitudine removeamus. *Nov.* 15. *in princ. Epilogi.*

Semper equidem clemens aliquid definimus: ſed quia non hoc cum lege agimus, erubeſcimus. *Nov.* 15. *in priac.*

Plurimæ neceſſitates circum aſſiſtunt hominibus. *Nov.* 15. *c.* 7. *in medio.*

Nulla maxima cura, per quam ſemper aliquid adjicit Deus ſceptris noſtris, extra nos conſiſtit pro (ſubditorum) ſolicitudine & providentia. *Nov.* 18. *in f. Epilogi.*

Non erubeſcimus, ſi quid melius etiam horum, quæ ipſi prius diximus, adinveniamus, hoc ſancire, & competentem prioribus imponere correctionem, nec ab aliis expectare corrigi legem. *Nov.* 22. *in fin. princ.*

Nullus culpabit quare non futurum ſci-

verunt, & hoc quod videbatur quidem & tractabatur, omnibus modis crediderunt, quod vero nondum factum erat, non formidaverunt. *Nov.* 22. *c.* 1.

Disponat unusquisque super suis ut dignum est, & sit lex ejus voluntas. *Nov.* 22. *c.* 2. *in princ.*

Eorum quæ in hominibus subsequuntur, quicquid ligatur solubile est. *Nov.* 22. *c.* 3.

Superveniens servitus non procul a morte differt. *Nov.* 22. *c.* 9.

Communicare delicto pessimum omnium peccatorum est. *Nov.* 22. *c.* 15.

Multæ hominibus ad malitiam viæ *sunt*. *Nov.* 22. *c.* 15.

Mors omnia solvit. *Nov.* 22. *c.* 20.

Felix & beatum est utrumque contrahentium perdurare in priori conjugio; & non procreatam sobolem sequentibus matrimoniis forsitan contristare. *Nov.* 22. *cap.* 20.

Erubescit lex castigatores filios genitoribus statuere. *Nov.* 22. *c.* 24.

Quod ex lege datum est lucrum, privatus auferre modis omnibus non valebit. *Nov.* 22. *c.* 33.

Leges etiam in ipsa arma imperium habere volumus. *Nov.* 25. *c.* 5. *in f.*

Quanto ipsum altius in sublime evehimus, si probo se gerat: tanto rursum gravioribus

vioribus eum percellemus pœnis, ſi quis contra leges deliquerit. *Nov.* 26. *c.* 4. *ſub. fin.*

Nihil in pravo magnum exiſtere, cum a noſtris dictum eſt majoribus, tum nos ex ipſis judicavimus probavimuſque factis. *Nov.* 29. *c. pen. ſub fin.*

Concordia nihil unquam inter homines præclarius extitit, & præſtantius. *Nov.* 30. *c.* 1. *in princ.*

Depauperatio potius eſt quam locupletatio, ſi quis ſordidis utendo manibus arbitretur ex eo lucrum facere, quod multifariam poſtmodum cum impietate & ſummo probro reſtituet. *Nov.* 30. *c.* 7. *in princ.*

Juſtitia nihil inter homines unquam extitit robuſtius, aut pulchrius, quodve Deum & Imperatorem placare conciliareque magis poſſit. *Nov.* 30. *c.* 9. *ſub fin.*

Non eſt inhumanitas, ſed potius ſumma quædam humanitas, cum multi paucorum animadverſione ſalvantur. *Nov.* 30. *cap.* 11.

Perperam effuſeque poſita, ſi ad competentem perveniant ordinem, & belle diſponantur, aliæ propemodum res apparent, ſpecioſæ pro turpibus, ornatæ pro incultis, articulatæ diſtinctæque pro incompoſitis prius & confuſis. *Nov.* 32. *in princ.*

Quod in multitudinem dividitur, onus insensibile propemodum facit eis, qui hoc sustinent. *Nov.* 38. *in princ.*

Congruens magis est, amplificare rem in paucis corporibus angustatam, quam multitudinem multitudini adjicere. *Nov.* 38. *c.* 6.

Decursio & varietas humanæ naturæ paulatim egens curatione, non aliter ad bene se habendum revocatur, nisi etiam quod particulariter ei resistit, corrigatur. *Nov.* 39. *in princ.*

Tempus ferre omnia consuevit. *d. Nov.* 39. *in princ.*

Nuptiis nihil utilius, tanquam solis facere homines valentibus. *d. Nov.* 39. *in fin. princ.*

Ea quæ communiter omnibus prosunt, iis quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus, *Nov.* 39. *c.* 1. *in princ.*

Nihil inter homines sic est indubitatum, ut non possit (licet aliquid sit valde justissimum), tamen suscipere quandam solicitam dubitationem. *Nov.* 44. *c.* 1. §. 1.

Melius est pauca agere caute, quam multis interesse periculose. *Nov.* 44. *c.* 1. §. 3. *in fine.*

Conversatio nostra recta sit, & plena orthodoxa fide, omni alia hæresi merito constituta sub odio. *Nov.* 45. *c.* 1. *in f.*

Deus

Deus respicit quæ geruntur ab hominibus, & si quid egerint per dolum, aut lucrum, aut machinationem, hoc in suis recipient animabus viventes ac morientes. *Nov.* 46. *c.* 1. *in f.*

Veracium solummodo amator est Princeps. *Nov.* 58. *in præfat.*

Unam esse omnium perfectissimam virtutem arbitrandum est hominibus, quæ jura omnibus distribuit: hæc est ex causa cognominata justitiæ *Nov.* 60. *in pr.*

Nihil est aliud falsitas, nisi veritatis imitatio. *Nov.* 78. *in princ.*

Nihil est furore amoris vehementius; quem retinere, philosophiæ est perfectæ, monentis etiam, & insilientem atque inhærentem concupiscentiam, refrænantis. *Nov.* 74. *c.* 4. *in pr.*

Omne bonum sive a Deo acquiritur hominibus, sive ab Imperio sequente Deum, decet esse mansurum, & omnis malitiæ ac diminutionis extraneum. *Nov.* 81. *c.* 2.

Multis undique natura novitatibus utitur. *Nov.* 84. *in pr.*

Multæ sunt homini & anxietates innumeræ, & repentinæ mortes. *Nov.* 84. *c.* 1. *in f. prin.*

Omnino oportet non sola delictorum nos contentos esse prohibitione, sed etiam timorem inferre justum transgressoribus.

Nov. 88. *c.* 1. *in medio.*

Diffugiendum quidem quod malum eſt; inveniendum vero undique quod melius eſt. *Nov.* 89. *in præf.*

Oportet ſemper aliquod inchoare bonum, non ea quæ a quibuſdam præexiſtunt, deſtruere. *Nov.* 89. *c.* 7.

Non erit decens, ut quæ bene excluſa ſunt, in Rempublic. rurſus introducantur. *Nov.* 89. *c.* 11. §. 2.

Neceſſitas inexcuſabilis. *Nov.* 91. *c.* 9.

Multa quilibet cogitans & conſiderans inveniet. *Nov.* 94. *c.* 1.

Quod raro fit (ſicut etiam vetus ſapientia docet) non obſervant legislatores, ſed quod fit plerumque & reſpiciunt & medentur. *Nov.* 94. *c.* 2.

Quod factum eſt, infectum manere impoſſibile eſt. *Nov.* 97. *c.* 1.

Per omnia juſtitiam æquitatemque honorare convenit. *Nov.* 97. *c.* 1.

Deus eſt communis omnibus pater. *Nov.* 98. *c.* 2. *in f.*

Imperatori & ipſas Deus leges ſubjecit, legem animatam eum mittens hominibus. *Nov.* 105. *c.* 2. *in fin.*

Quod longis ita ſervatum eſt temporibus, & tenuit immutabiliter, quomodo non eſt juſtum & in aliis omnibus valere, quæ poſtea erunt? *Nov.* 106. *c.* 1.

Quid

Quid ſic proprium eſt legum, ſicut claritas, maxime ſuper defunctorum diſpoſitionibus? *Nov.* 107. *c.* 1. *in pr.*

Unam nobis eſſe in omni noſtræ Reip. & Imperii vita, in Deo ſpem credimus: ſcientes, quia hæc nobis & animæ, & Imperii dat ſalutem: unde & legislationes noſtras inde pendere competit, & in eam reſpicere, & hoc eis principium eſſe & medium & terminum. *Nov.* 109. *in præfat.*

Non eſt juſtum, æqualibus cum orthodoxis hæreticos dignos fieri privilegiis. *Nov.* 109. *c.* 1.

Quod medicamenta morbis, hoc exhibent jura negotiis: unde conſequitur, ut nonnunquam a judicio diſcordet effectus, & quod credebat conjectura prodeſſe, experimento inveniatur inutile. *Nov.* 111. *in præf.*

Quod in legum poſitum eſt poteſtate, non egebit aliqua extrinſecus diſpoſitione. *Nov.* 113. *c.* 1.

Si pro cauſis corporalibus cogitamus, quanto magis pro animarum ſalute providentia eſt noſtræ ſolicitudinis adhibenda? *Nov.* 115. *c.* 3. *ſub. fin.*

Conſiderare debent parentes, quia & ipſi filii fuerint, & eadem a ſuis parentibus ſperaverunt: & ſimiliter qui nunc filii

ſunt, debent ſtudere parentum animos ſanare, quia & ipſi parentes fieri deſiderant, & a ſuis filiis optant honorari. *Nov.* 115. *c.* 5. *in princ.*

Quis enim ibi delinquit, ubi ſalutem petat? *Nov.* 117. *c.* 15. *in fin.*

In delicto æquali, ſimiles eis imponere pœnas juſtum eſſe putamus. *Nov.* 127. *c. ult.*

Nullum ita magnum ſubjectorum delictum eſt, quod non clementia Principis medeatur. *Nov.* 129. *in præf.*

Primum eſſe & maximum bonum omnibus hominibus credimus, veræ & immaculatæ Chriſtianorum fidei rectam confeſſionem. *Nov.* 132. *in pr.*

Nihil ſine via ad quæſtionem eſt imperio (i.e. nihil quidquam eſt, de quo Princeps non ſit ſolicitus.) *Nov.* 133. *in præf.*

Neque enim viros mulierum ſtudia decent, neque rurſus virilia mulierum collegiis conveniunt. *Nov.* 133. *c.* 3.

Multa ſunt humana, & nullus poteſt naturam ſic retinere, ut non peccet nihil: hoc enim proprium eſt ſolum Dei. *Nov.* 133. *c.* 5.

Mens fruſtra (i.e. otio) vacans, nihil bonorum parit. *Nov.* 133. *c. ult.*

Male adinventa, malæque conſuetudines, neque ex longo tempore, neque ex lon-

longa consuetudine confirmantur. *Nov.* 134. *c.* 1.

Oportet nos humani generis infirmitatem protegere. *Nov.* 134. *c.* 13.

Unicuique integrum est his, quæ ipsi a lege data & concessa sunt, renuntiare. *Nov.* 136. *c.* 1.

Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium: quippe ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quod regiones atque civitates frequentes reddat: unde denique optimæ Reipubl. coagmentatio fiat. *Nov.* 140. *in præf.*

Eos qui violento affectu, odioque semel correpti fuerint, perquam est difficile sanare. *Nov.* 140. *in f. præf.*

Legis interpretationem culmini tantum Principali competere, nemini venit in dubium: cum promulgandæ quoque legis auctoritatem fortunæ sibi vindicet eminentia. *Nov.* 143. *in præfat.*

Nullus misericordiam petens sine actu a facie Principis recedere debet. *Nov.* 147. *in præfat.*

FINIS.

SERIES
DIGESTORUM,
ET
CODICIS.

J. G.

JURIS STUDIOSIS.

REM *non novam aggreſſum me pridem, & nunc repetere, laboremque perexiguæ utilitatis ſumpſiſſe me ſumereq; quis hoc opere cæptoque putet: Ego vero contrà contendo, remque hanc uti ſummæ utilitati deputo, ita novi operis gratiam aliquam mereri pertendo. Utilitatem ejus cum aliæ commendant, tum iſtud potiſſimum, quod cum juris ſtudium uſum triplicem potiſſimum habeat: de jure inquam publice diſſerere, quæ* Recitationum & Diſputationum *materies eſt: Paratitla juris digerere, qui* Tractatuum *ſi quando fundus eſt: de jure denique decernere vel reſpondere, quod* Sententiæ, ſeu Judicia, Conſilia, Reſponſa, Deciſiones *præſtant: in his ſane omnibus perſpecta ſemel titulorum ſeries & continentia utramque pene paginam efficit: Quis enim non paſſim hodie videt, quam multa in* Recitationibus *deſiderentur hujus rei ignorantia: quot* Diſputantibus *remoræ objiciantur, quam multa ibi diſſuere, quam inaniter reciprocari oporteat; interea dum*

mens

mens titulo perveſtigando, ejuſque ſententiæ eliciendæ, intenta, ſeſe bona fide in alia ſimul explicare nequit. Auſim dicere, potiſſimam horarum partem his ſæpe non ſine rubore abſumi. Rurſum quis neſcit, ad eximium illum Paratitlorum *uſum, non illum dico, quem falſo titulo hactenus mentiuntur Paratitlon ſcriptores, verum genuinũ illum, quem Juſtinianus præſcripſit, quem Græci exemplo ſuo firmarunt, quẽ Leunclavius prodidit, quoties videlicet ex aliis titulis alii replentur, (id enim eſt παρατιτλον) unice conferre titulorum ſeriem & continentiam in numerato habere? Auſim dicere, potiſſimam privati ſtudii, vel tractatuum partem perire, ni hoc agas, ni hoc ſcias. Tandem quis neſcit, judicantibus, vel de jure* Reſpondentibus, *quantum interſit ſcire cujuſque tituli vel minimi continentiam, & ſic cujuſque materiæ ſedem, unde neque vera, neque falſa Oracula ſua, ſi quando uſus tulerit, promere poſſint: ne alioquin indices & ſæpe fruſtra, perrepere: ne aliorum ſcripta compilare cum propriæ famæ jactura neceſſe ſit? Sane clientum multi hac cauſa*

Inconſulti, abeunt, ſedemque odere Sibyllæ.

Auſim dicere, hanc potiſſimam ferme tot inanium, & flexiloquarum Conſultationum

cau-

cauſam . Quæ cum ita ſint , juris Studioſis auctor eſſe ſoleo , ut una cum Inſtitutionibus ante omnia brevem titulorum , qui per Pandectas , & Codicem extant , cognitionem ſibi comparaſſe velint : juxta uſui futuram , ſive ad privata ſtudia concedant , ſive foro ſeſe immergant , ut ferme hodie cruda ſtudia in forum propelluntur , ſpeſque ſuas multi ambitioni donant .

Id deinceps quamplurimis , ut perſuadere poſſem , viſum eſt , novam hanc ſeriem concinnare , ad eum modum , ut ne infra , vel ſupra modum conſiſteret : Et ad ideo libentius pertractus ſum , quod viderem complurimos titulos nullo ſatis commodo vinculo hactenus ſuperioribus copulari ; imò Tribonianî incogitantiam , oſcitantiam ubique perſtringi . Quid enim aliud fit , cum vulgo dicitur , titulum Nautæ , Caupones , *itemque titulum* de Publicanis , *nonniſi ſola vocis ambiguitate , & homonymia cum ſuperioribus cohærere ? Quid aliud faciunt hi , qui titulum* ad l. Rhodiam de jactu , *jocularîter titulo* de exercitoria actione , *velut ſcapham navi cohærere ſcribunt ? Quid aliud faciunt , qui actionum ſpecies a* lib. 9. Digeſt. *& deinceps miſere confundunt , unaque ſpecie emenſa ad eandem ex intervallo mox redeunt ? Vel etiam una actionum diviſione propoſita , aliam atque aliam ſubin-*

ſubinde coniminiſcuntur? Liquebit etiam ex hac ſerie, quam verum ſit illud, quod tanto niſu adſtruere conabantur, nullos eſſe in jure titulos generales: Imo quam fœdus ſit error eorum, qui nullam omnino Ordinis rationem reddi poſſe putant, atque ideo etiam de nova juris methodo cogitant: cum contra egregie inter ſe hic cohæreant omnia, & vero ad juris Romani Imperiique ſtatum accomodata ſint: ut omnino optandum fuerit, ſpretis aliis omnibus methodis, huic unice adhæreri, eoque omnia ſtudia dirigi. Inter alia jucundum erit & illud videre, quod vulgo hactenus inſuper haberi dolendum eſt, quæ ſit trium poſteriorum librorum Codicis continentia, quibus alioquin juris publici *tractatus continetur. Ex hac ipſa tandem titulorum ſerie haud contemnendæ obſervationes quædam deſumi poſſunt. Primo quidem, ſi collatio Codicis, & Pandectarum inſtituatur, diverſos nonnullos titulos in his occurrere, pro diverſitate videlic. ſtatus Imperii, Adminiſtrationumque & Officiorum, ac proinde & rerum. Secundo, titulos ſæpe alio ſitu ordineque locatos in Digeſtis, atque in Codice; ſua tamen utrobique ratione. Tertio, ſpecialiores multo titulos in Codice extare, quam in Digeſtis. Quarto, in Codice plures titulos occurrere, qui perfectam ſententiam, juriſque diſpo-*

*disposition*em *continent*. *Quinto*, *cum ad Edicti perpetui ordinem ferme utrumque corpus compactum sit*, *attamen in Codice magis observatus is*. *Sexto*, *ex hac serie apparebit*, *titulos quosdam pro subjecti ratione suo certoque loco positos*, *latius tamen sese porrigere*, *tracto eo adsumptoque vicino affinique tractatu*. *Septimo*, *videre est ex hac quoque serie*, *de eadem materia agi quandoque non uno loco*, *sed diversis diverso fine*. *Octavo*, *notare licet limitaneos*, *sic ut dicam*, *titulos quosdam*, *& velut in confinio positos*, *ceu vicinis utrimque titulis communes*, *vel uni tantum propiores*. *Nono*, *singulares titulos singulare aliquid contra jus commune continentes*, *modo præmitti*, *modo subjici liquebit*. *Tandem occurrunt sui quoque quidam nævi*, *seu defectus in titulis*: *Sunt enim*, *qui quod pollicentur non præstant*: *contra sunt*, *qui aliud quid præstant*, *quam quod pollicentur*: *& sic* Rubrum *&* Nigrum, *ut loquuntur*, *inter se discrepant*. *Et hæc quidem postremo loco dicta*, *repetita hac prælectione monenda putavi*: *ubi & secretior quædam nunc connexionis ratio alicubi a me redditur*. *Tandem quæ paulo prolixius semel in Digestorum serie notata sunt*, *ea in Codice strictim tantum attigi*, *ne frustra repetita fastidium parerent*. *Quæcunque hæc sint*, *iis mactè estote*, *& valete*, *juris Studiosi*.

SE-

SERIES
DIGESTORUM;
SEU
PANDECTARUM.
JURISPRUDENTIA
ROMANA OMNIS,

Seu universa Juris Civilis Romani, quod Pandectis, seu Digestis continetur, cognitio, sex partibus absolvitur.

Pars Prima exhibet FINEM ultimum, aliaque quædam Juris in universum principia.

Secunda ORIGINEM Juris, Magistratuum item, & Jurisprudentium Romanorum historiam notitiamque edisserit.

Tertia SPECIES Juris, causasque adeo efficientes ejus proponit.

Quarta SUBJECTA, & Objecta tria persequitur.

Quinta VERBORUM ad Jus pertinentium significationes continentur.

Sexta tandem REGULIS quibusdam Juris generalibus studiosi animus imbuitur.

PARS

PARS PRIMA
DIGESTORUM
e SEPTEM
(QUÆ TA' ΠΡΩΤΑ VOCANTUR)

Conſtat Libris quatuor prioribus.

Agitur in ea.

1. De PRINCIPIIS Juris : *lib.* 1. *tit.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
2. De PRÆPARATORIIS Judiciorum, *Eodem libro* 1. *a tit.* 9. *ad finem ejus libri , & lib.* 2. 3.
3. De RESTITUTIONIBUS
4. Et de RECEPTIS.] *lib.* 4.

LIBER

LIBER PRIMUS.

1. DE PRINCIPIIS JURIS *nonnullis.*

2. DE MAGISTRATIBUS.

FINIS Juris omnis, ſimul & virtus, quam Juris conditores & profeſſores colunt, eſt Juſtitia: de qua, ut & de aliis Juris (i.e. Æqui bonique) principiis nonnullis, veluti de ejus diviſione, ſignificatione Juris, & Juris arte, ſcientiaque, quam Juriſconſulti profitentur, agitur *Titulo* 1. *de juſtitia & jure*.

2. *Origo* Juris ipſius in Republ. Romana, jam inde a Regibus, ejuſque proceſſu: 2. ut & *Magiſtratuum* omnium in eadem Republ., qui jus adminiſtrabant, recenſus: 3. tandem & ſucceſſio *Prudentum* (i. e. Juriſconſultorum), qui jura ſcil. interpretabantur, ut quiſque alteri ſucceſſerit: indicatis quoque eorum ſectis (Sabiniorum inquam, & Proculianorum) & quis cuique Sectæ addictus fuerit, retexitur. *Titulo* 2. *De Origine juris & omnium Magiſtratuum, & Succeſſione Prudentum*.

3. *Spe-*

3. *Species*, ſeu partes Juris Romani, atque adeo cauſæ ejus conſtituentes, ſeu efficientes quatuor tantum hic proponuntur, [cum tamen ſint & aliæ) puta 1. *Leges*; quæ expreſſo videlicet Populi Romani conſenſu juſſoq; latæ, non in democratico tantum ſeu populari ſtatu, verum etiam aliquandiu adhuc inter initia Monarchiæ Romanæ, ut apparet ex legibus Juliis, Papiis, aliiſque nonnullis, quæ tum latæ fuerunt. 2. *Senatuſconſulta*, quæ & ipſa de jure privato a Senatu ſub Imperatoribus lata, quæque Oratione Principis firmari mos erat. 3. *Longa Conſuetudo*, quæ pro jure legeque obſervari ſolet, in his quæ non ex ſcripto deſcendunt. *tit.* 3. *de legibus Senatuſque conſultis & longa Conſuetudine*. 4. *Conſtitutiones Principum*, ſeu Imperatorum, verſo jam Reipubl. ſtatu, traslataque populi Romani *ei & in eum*, i.e. abſolute, & perpetuo jure poteſtate; nam quod Principi placuit, legis habet vigorem. tit. 4. *De Conſtitutionibus Principum*.

Et hactenus quidem, quatuor ſuperioribus titulis actum eſt de principiis nonnullis Juris. Juris, inquam in genere, ſeu in communi, *titul.* 1. In ſpecie vero, de principiis Juris 2. civilis ſeu populi Romani,

mani, iisque vel Historicis *titul.* 2. vel partibus istius Juris efficientibus, seu constituentibus, de quibus agitur *titul.* 3. & 4.

4. *Subjecta* nunc *Objectaque* Juris, circa quæ jus versatur, quoque jus omne collimat, sequuntur: quæ tria, ut in Institutionibus, ita & in his quoque Pandectarum libris ordine pertractantur; Personæ, inquam, Res, & Actiones.

1. *Personarum* differentiæ variæ fuerunt; varioque eæ adeo & diverso Jure per varios Juris articulos, totoque quod deinceps explicabitur, jure, habitæ. Quare divisiones earum speciesque tribus titulis sequentibus nunc proponuntur. Et quidem ex duplici respectu: Primo quidem, ratione status tum naturalis, seu gentium, tum publici: *titulo quinto de statu hominum.*

Hoc respectu sane: 1. alii sunt liberi, alii servi: 2. Ex liberis rursum alii ingenui, alii libertini: 3. Item alii Cives, alii peregrini: 4. Alii juste, alii injuste nati: 5. Alii sanæ mentis, alii furiosi 6. Alii nati jam, alii nascituri: 7. Mares alii, aliæ fœminæ. &c.

Ratione vero status privati, seu familiæ, (ita enim sequens titulus superio-

ri

ri connectendus est, non ut vulgo fit) alii sunt sui juris, i.e. patres familias, seu familiæ suæ principes, & capita; alii vero alieni, ut servi familiares, filiique familias. *tit.6. de his qui sui vel alieni juris sunt*. Qui quidem filiifamilias non justis modo nuptiis, seu nativitate constituuntur, verum etiam legis actione, i.e. Adoptione: uti retro iidem filiif. variis modis patria potestate liberantur. tit. 7. *de Adoptionibus & Emancipationibus, & aliis modis, quibus potestas solvitur*.

2. *Res* quoque, ut in vario discrimine sunt, ac proinde & diverso jure habentur, ita & de earum divisione & qualitate hic agitur. *tit.* 8. *de Divisione rerum, & qualitate*.

Nempe quod aliæ divini juris sint, extra hominum scil. commercium positæ, aliæ vero humani. 2. Item aliæ naturali jure omnibus communes, aliæ publicæ, aliæ Universitatis, aliæ nullius, puta res divini juris, aliæ singulorum; Aliæ corporales, aliæ incorporales, quæ solo jure non corpore aliquo censentur.

3. *Actiones*, (hinc enim jam potissimus Actionum tractatus incipit), tertium Juris subjectum sive objectum constituunt:

Actiones, inquam, si privatos respicias, id est jus persequendi ejus quod cuique debetur: Ad quas quidem actiones diriguntur deinceps sequentes tituli omnes ad finem ferme libri 49., etsi sub his titulis ad quamlibet materiam continentia alia multa occurrant.

Cæterum in actionibus primo loco considerandus venit *Magistratus*, seu Judex jus dicturus, seu a quo actionem olim impetrari jusve dici oportuit, coram quo ea institui, a quo demum ea definiri debeat. Hinc adeo sequens tractatus de Magistratibus sub 14. titulis hoc loco positus est.

Porro quæ de *Magistratibus* (quomodo scil. ad Alexandri Severi ferme tempora, hisque proxima, ii fuere: nam sequentium deinceps Imperatorum, quorum potissimum constitutiones in Codicem relatæ sunt, tempestate, alia longe Magistratuum facies seu ratio extitit, ut series Codicis ostendet), hoc libro tractantur, ad quatuor capita referuntur.

1. Primum ostenditur, quodnam *Seminarium* ferme Magistratuum plerorumque in Repub. vel Imperio Romano fuerit, seu ex quonam potissimum ordinesine [, Senatorius, Equestris, & Plebejus] Magistratus

tus plerique ſumerentur : nempe ex ordine Senatorio : inde *titulus 9. de Senatoribus*.

Ita enim hic titulus ſuperioribus connectendus venit, (non ut vulgo) : hoc quippe titulo non agitur de decretis ſeu de Judiciis Senatus, multo minus de primis Judicibus ordinariis in ſtatu populari, verum de Senatoria dignitate, quænam videlicet ea ſit, quibus ea competat, [uxoribus ſcil. & liberis quoque Senatorum], viciſſim quibus ea eripiatur.

2. Secundo *Genera Magiſtratuum* ſpeciatim proponuntur: erant ſcil. Magiſtratus alii Urbani, alii Provinciales: [de his enim hactenus hic agitur], nam de Municipalibus poſtea demum agetur *lib.* 50., cum tamen in Codice junctim de his quoque agatur uno eodemque libro, puta *libro primo*.

1. *Urbani* ſeu *Urbici* Magiſtratus erant, qui domi, i. e. in ipſa urbe Roma Rempublicam adminiſtrabant, juſque dicebant, numero Sex. 1. Et horum quidem alii cum Imperio erant: puta 1. *Conſules*, ſub Monarchico ſtatu pariter, ac ſub populari: quibus tamen, præter voluntariam Juriſdictionem [puta adoptiones, manumiſ-

ſiones, emancipationes, quæ apud eos celebrabantur, & honorem Faſtis nomina dandi, (i. e. ut annus de eorum nomine deſignaretur) hoc ævo ſub Imperatoribus pauca admodum relicta fuere. *tit.* 10. *de Officio Conſulis*. 2. *Præfecti Prætorio*: quia ulicæ diſciplinæ primum præpoſiti erant, & ex Equeſtri ordine aliquandiu ſumebantur, & mox diœceſes integras pluresve adminiſtravere; ſic quidem, ut poteſtas eorum ad ſummum poſt Principem faſtigium evecta fuerit, inter alia appellandi ab his jure denegato (ita enim diſtinguenda ſunt tempora; non vero confuſe de Præfectis Prætorio agendum & per ſaturam). *tit* 11. *de Officio Præfecti Prætorio*. 3. *Præfectus Urbis*, qui publicæ diſciplinæ, quieti & ſaluti tum Urbicæ, i. e. in ipſa Urbe Roma, tum ad centeſimum milliarium uſque præerat: (nam peculiaris hæc ejus diœceſis erat), cujuſque notio erat de omnibus criminibus. *tit.* 12. *de Officio Præfecti urbi*.

2. Sine imperio erant in Urbe Roma Magiſtratus nonnulli, & duo quidem hi: puta *Quæſtores*, qui quærendæ, (unde & his nomen inditum,) ſervandæ & viciſſim erogandæ publicæ pecuniæ præerant, quanquam & *Quæſtorum* nomen officiumque ad alia quoque poſtea traductum. Nam &

Quæ-

Quæſtores fuere (qui & *Candidati* Principis dicti), qui legendis Cæſaris in Senatu Orationibus, libellis & epiſtolis vacabant. *tit.* 13. *de Officio Quæſtoris. Prætores* item, qui Juriſdictioni tantum Civili præerant, nullo modo vero criminali. *tit.* 14. *de Officio Prætorum.*

3. *Extra ordinem* jus dicebat in Urbe Roma *Præfectus Vigilum*, qui ex equeſtri ordine ſumebatur, & cum ſeptem cohortibus Civitatis ſecuritati invigilabat, qua diurnæ, qua nocturnæ, ab incendiis & effracturis. *tit.* 15. *de Officio Præfecti Vigilum.* Et hæc quidem de Urbanis Magiſtratibus.

2. *Provinciales* Magiſtratus ſunt qui foris (i. e. in Provinciis Imperii Romani) Rempublicam adminiſtrabant cum imperio, juſque dicebant: Erant autem hi, 1. *Proconſules*; qui quidem ſortiebantur & adminiſtrabant olim cum pleniſſima poteſtate & imperio Provincias Senatus populique Romani, & in his jura reddebant. (Notandum enim, Auguſtum, Principeſque his proximos arcano politico Provincias curandas inter ſe & Senatum diviſiſſe.) Qui & ipſi Proconſules, propter diffuſam adminiſtrationem, *Legatos* ſuos, ſeu adjuvas & adjutores quoſdam habuere, quibus videlicet ſuam, ſi quando vellent,

mandarent Jurisdictionem. *tit.* 16. *de Officio Proconsulis & Legati*. At in Cæsaris Provinciis, ac nominatim in Provincia Ægypti, *Præfectus Augustalis* erat (ab Augusto Imperatore ita dictus) quique ex Equitibus olim sumebatur. *tit.* 17. *de Officio Præfecti Augustalis*. In cæteris vero Provinciis, erant olim qui *Præsides*, seu *Legati Cæsaris* dicebantur. *tit.* 18. *de Officio Præsidis*.

Verum hæc quidem ita olim observata distinctaque: hoc quippe Jurisconsultorum, e quibus Pandectæ conflatæ sunt, tempore, quo jam omnes Provinciæ in Cæsaris potestate erant, inter Proconsules & Præsides, id tantum ferme discriminis reliqui fuit, quod illorum dignitas major erat, majusque fastigium, horum vero minus.

Fiscalibus speciatim causis in Provinciis, inter fiscum & privatos jus dicturus, præerat *Procurator Cæsaris*, qui & *Rationalis* dicebatur. *tit.* 19. *de Officio Procuratoris Cæsaris & Rationalis*.

In Urbe denique Alexandrina (quæ erat velut altera Roma) & instar Præfecti Urbis Romæ, erat peculiaris quidam Magistratus, qui *Juridicus* dicebatur, quemque unum Judicem Alexandrini habebant. *tit.* 20. *de Officio Juridici*; qui quidem titulus, ut dixi, peculiaris est Juridico Alexandriæ, (unde & *Alexandriæ* vox

no-

nominatim addita in titulo Codicis): neque enim ulli alii hoc ævo *Juridici* fuere.

Et hæc quidem de Magistratibus in specie, seu de generibus Magistratuum, qui Jurisconsultorum tempestate fuerunt. Nunc communia omnibus Magistratibus duo subjiciuntur, circa formam juris dicendi ab his.

3. *Tertio* igitur observandum hoc loco, [qui & ipsi Edicti perpetui ordo erat], Magistratus qua Urbanos, qua Provinciales, jus dixisse, non per se tantum, verum etiam *per alios*, quibus videlicet ipsi jurisdictionem suam, jure videlicet Magistratus sibi competentem, non vero specialiter Lege sibi delatam (quam utique mandare non poterant), mandassent. *tit.* 21. *de Officio ejus, cui mandata est Jurisdictio.*

4. *Quarto* notandum, Magistratus non solos ferme jus dixisse, verum *Adsessores* insuper suos, seu Consiliarios quosdam habuisse, qui juris peritiam ipsis suggererent: sive quia ipsi ferme Magistratus arma magis, quam jura plerumque nossent; sive quia adjutoribus nonnullis potestas omnis eget, quorum consilio regatur. *tit.* 22. *de Officio Adsessorum.*

Ex Lib. II.

1. *De* Modo Jurisdictionis.

2. *&* *de* In Jus Vocando.

5. Quinto circa Magiſtratus, *Modus* ſeu *Formula Juriſdictionis* attendenda venit, Magiſtratui videlicet cuique competentis, ab his exerendæ exercendæque, ſeu Magiſtratus de cauſis notio.

Ita enim hujus libri initium ſuperiori cohæret, & quidem juxta ordinem Edicti perpetui, (ubi poſt tractatum de Magiſtratibus municipalibus, eorumque poteſtate & officio, ea ſtatim ſubjiciebantur, quæ ad modum & formulam Juriſdictionis pertinebant), non ut aliter vulgo.

Spectandum ſcilicet jus imploraturo, ſeu acturo, quænam Juriſdictionis ſpecies cuique Magiſtratui competat, & in quoſnam Juriſdictionem habeat: uti ipſi Magiſtratui attendendum, quomodo recte riteque, pro dignitate ſua, eam exercere poſſit. Cavendum utique illud inter cætera Magiſtratui, i. e. ut ne ſibi aut ſuis, ne majori aut æquali, ne extra territorium, ne ſupra Juriſdictionem ſuam, niſi partium

tium consensu jus dicat. *tit.* 1. *de Jurisdictione*: uti retro cavendum, ne quod jurisdictionis perpetuæ causa propositum est in Albo Prætoris, ab aliquo corrumpatur, de quo hoc eodem titulo seu loco agitur, pariter ut in Edicto perpetuo, nempe quia in Albo Prætoris jurisdictionis perpetuæ formula continebatur. Secundo cavendum illud Magistratui, uti æquabiliter omnibus jus dicat, non vero *jus novum* (i. e. iniquum), dolo statuat: eodem alioquin ipse jure, pariter cum eo qui impetravit, (quæ altera hujus Edicti pars est), adversario aliquando postulante, usurus. *tit.* 2. *Quod quisque Juris in alterum statuerit, ut eodem ipse utatur.*

Tertio, quod auctoritatem vimque Magistratus attinet, pœnali Judicio Magistratus quilibet jurisdictionem vimque suam & auctoritatem tueri potest, imo debet. *tit.* 3. *Si quis jus dicenti non obtemperaverit.* Et hæc de Magistratibus: quæ prima visio est in Actionibus & Judiciis.

II. In Jus Vocatio (i. e. adversarii juris experiundi gratia, ad eum qui Jurisdictioni præest, citatio) munita Magistratus Jurisdictione, secundum est in actionibus caput, seu momentum, præliique adeo velut forensis jam signum, & initium omnium actionum instituendarum. §. *ult. Inst.*

Inſt. de pœna temere litigantium: qui quidem etiam Tractatus *Perſonas* litigatorum reſpicit. Hac vero parte, hæc generalis regula tenenda eſt, *in jus vocatum quemcumque* (ſub eodem Romano videlicet Imperio conſtitutum) *ad eum qui juriſdictioni præeſt venire debuiſſe*, vel hoc ipſum ſciatur, num Juriſdictio ejus eſſet. Hinc adeo lex illa 12. tab. *Si in jus vocat*, *atque* [i. e. ſtatim incunctanter] *eat. tit.* 4. *de in jus vocando*.

Cujus quidem regulæ tum ampliationes, tum exceptiones quædam ſubjiciuntur. In genere quidem præmittitur *tit.* 5. *Si quis in jus vocatus non jerit, ſive quis eum vocaverit, quem ex edicto non debuerit.* Speciales vero exceptiones ſequentes ſeptem proponuntur, quibus & ſinguli ferme tituli deſtinati ſunt, quibus ſcil. in jus vocatus a vadimonio deſerto excuſatur.

Primo in jus eundi neceſſitate in jus vocatus liberatur, ſi vocatus ſit, qui vocari non debuit, i.e. qui jure non potuit, veluti ſine permiſſu Prætoris parens & patronus, &c. *d. tit.* 4. *ſup.*: imo & *Rubrica d. tit.* 5. [nam in nigro ſeu in ipſis legibus ſub eo titulo poſitis nihil tale hodie continetur.]

Secundo in jus vocatus ab in jus eundi neceſſitate liberatur, ſi idonee ſatisdet, ſeu caveat: quo pertinent quatuor tituli

ſe-

ſequentes: Idonee, i.e. ſi de cautione fidejuſſoria agatur, ſi idoneis & locupletibus fidejuſſoribus, ſeu vadibus datis, non quibuſcunque, (niſi qui in jus vocatus eſt ex neceſſariis perſonis ſit, ibi enim qualiſcunque fidejuſſor accipiendus eſt, veluti pro parente & patrono.) Quod etiam lege 12. tabularum cautum fuerat: *tit. 6. In jus vocati, ut eant, aut ſatis vel cautum dent*. Caveri ſcilicet hoc caſu oportet, non etiam vi reum eximi, alioquin vi eximens pœnali judicio quanti ea res eſſet, de qua ageretur, tenebatur. *tit. 7. Ne quis eum qui in jus vocabitur, vi eximat*.

Porro *Formæ* cautionis judicio vel potius in jure ſiſti non unius generis erat; verum quadruplex, pro diverſitate ſciliçet reorum ſeu perſonarum. Alii quippe ſatisdare tenebantur fidejuſſoribus datis, puta cæteri omnes præter ſequentes: Alii *jurato* tantum promittebant, ut Perſonæ Clariſſimæ. 3. Alii nudæ ſuæ *promiſſioni* committebantur (puta rerum immobilium poſſeſſores, & Reſpublicæ. Quæ quidem perſonarum & cautionum diverſitas obtinet & in aliis cautionibus, & ſtipulationibus Prætoriis. *l. 1. §. 3. ff. de ripa munienda*) *tit. 8. Qui ſatisdare cogantur, vel jurato promittant, vel ſuæ promiſſioni committantur.*

4. Ad formam quoque ſeu diverſitatem cautionis, ſeu ſatisdationis, pertinet illud, quod ſi ſervi nomine noxalis actio (de qua alioquin agitur *lib.* 9.) ab aliquo intentaretur, dominus ſervum defendens, *tum in eadem cauſa, in qua tunc erat, donec judicium acciperetur, judicio ſiſti* promittere tenebatur: *In eadem cauſa ſiſti*: i. e. ſic ut ne jus actoris ad experiendum deterius interea fiat. *tit.* 9. *Si ex noxali cauſa agatur, quemadmodum caveatur*

3. *Tertio*. Imo & poſt cautionem quoque quandoque excuſatur Reus quadantenus, puta ſi ſine dolo ejus, per tertium aliquem, ejuſque dolo factum fuerit, quo minus Judicio ſiſtatur; tum enim actori in factum actio competit, quanti ejus interfuit reum ſiſti: & eo demum ſolvendo non exiſtente, in ipſum reum actio reſtituitur, ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & actor damno afficiatur. *tit.* 10. *de eo per quem factum erit, quo minus quis in Judicio ſiſtat*.

4. Excuſatur vocatus in jus, ſi ex *ſontica* cauſa, veluti morbo, aliave qua ſimili, in Judicio ſe non ſteterit, ſeu vadimonium deſeruerit. *tit.* 11. *Si quis cautionibus in judicio ſiſtendi cauſa facti, non obtemperaverit*.

5. Item ſi eum in diem tempuſque vocatus

catus sit, quo in foro Justitium est (veluti si feriatus dies sit), item si messis, vindemiæque tempore, quibus fora silebant, ut & die pridie Kal. Januarii, quo die vota pro Principis salute fiebant, vel si dilationem quis impetraverit. Neque enim alio fine hic positus est. *tit.* 12. *de feriis, dilationibus, & diversis temporibus.*

Ubi verba illa *& diversis temporibus*, non sunt accipienda de temporibus dilationum, quod aliis visum est, quique adeo putant, hunc titulum quod pollicetur non præstare, verum pro diversis temporibus, *præter ferias* scil.

Et hactenus quidem quinque Exceptiones. Sequuntur nunc duæ aliæ, quæ in Edicto perpetuo ipsum titulum *de in jus vocando* præcedebant, tanquam in jus vocationem vel eundi necessitatem præcedentes: nempe titulus *de edendo*, *& de Pactis*.

6. Sexto igitur excusabatur Reus, si Actor actionem ei prius non *edidisset*, i. e si actor non demonstrasset reo, sive in albo Prætoris sive *Libello*, quanam actione experiri vellet. *tit.* 5. *de Edendo*. In jus vocaturus scil. alium, vel qui adversario necessitatem in jus eundi imponere vellet, prius

prius, vel ſimul actionem edere debebat, ut ſciret reus, atque apud ſe decernere poſſet, utrum cedere an contendere ultra deberet: & ſi contendendum putaret, veniret inſtructus, alioquin nihil agebat actor reum in jus vocando: qua cauſa ipſa & in Edicto perpetuo, & in Codice titulus hic *de Edendo* præmittur titulo *de in jus vocando*. Cæterum edendæ actionis occaſione, hoc ipſo titulo agitur & de editione Inſtrumentorum litis, ut & de edendis rationibus ab argentario his, ad quos eæ pertinent.

Tandem a vadimonio deſerto excuſatur Reus, ſi interea de re vel negotio litigatores inter ſe *pacti* fuerint, vel *tranſegerint*, quod honoraria ferme amici opera intercedente, ubi bellum quodammodo indictum eſt, fieri ſolet: Ecquis enim de pœna laboret, poſt tranſactum negotium? Quo pertinebat etiam Lex XII. tab. poſt alias de in jus vocando, *rem uti pacunt, orato; ni ita pacunt, in comitio, &c.* Atque hoc reſpectu, ſeu hac in occaſione, ſubjiciuntur hic duo iſti tituli, [ut etiam oſtendit *lex 2. in pr. ſi quis cautionibus*]: etſi latius ſeſe alioquin illi porrigant, puta *tit. 14. de Pactis, & titulus ult. de Tranſactionibus*.

Ex

Ex Lib. III.

De Causæ Conjectione, *seu de* Litis Contestatione. *Ubi agitur de Personis, quæ liti prosequendæ intervcniunt.*

III. *Causæ conjectio*, seu *litis apud Magistratum contestatio* ad Judicium accipiendum, tertium momentum est in actionibus: quando videlicet post fundatam Magistratus Jurisdictionem, postq; rei in jus vocationem, partibus jam cominus pro tribunali constitutis, Prætor cognitionem suam & audientiam præbere incipit. Nam & ita lex XII. tab. *Nisi ita pacunt in comitio aut in foro, ante meridiem causam concito, cum perorant ambo præsentes, &c.* Et quisq; pro se quod a Magistratu desiderat, postulat. De quo hoc libro agitur, servato in hoc quoq; Edicti perpetui ordine. Hac vero parte spectanda sunt duo, 1. *Personæ* liti subsistentes; 2. Deinde *Causæ* controversiæq; adeundi Prætoris, seu quarum causa Prætor adibatur.

Primo de *Personis*. Ad litem igitur contestandam, atq: adnegotium tractandum, litem

litemque prosequendam, pro tribunali variæ personæ interveniunt, ut Postulatores, qui si pro aliis postulent *Advocati* dicuntur, de quibus est *tit.* 1. *de Postulando*: [*postulare* enim est desiderium suum, vel amici sui, in jure exponere, vel alterius desiderio contradicere.] Porro non omnibus, vel non semper postulare, vel Advocatis quibusq; esse licebat, imo tres ordines Edicto suo Prætor complexus fuerat, eorum quibus postulare vel omnino non liceret, vel non promiscue: de quibus in genere *dicto titulo*. Quo sane quoq; numero sunt infames: Neque enim infames advocationis munere pro omnibus fungi possunt: Qua quidem occasione seu respectu inseritur, ut in Edicto perpetuo, ita & hic quoque *tit.* [qui sese alioquin latius porrigit], 2. *de his qui notantur infamia*. Quo titulo ostenditur, ex quibus causis infamia irrogetur, quomodo etiam titulus in Codice concipitur.

2. Præter Advocatos sunt & aliæ personæ, quæ liti peragendæ superstant & accedunt: Puta *Procuratores & defensores*; Illi Actorum, isti Reorum, de quibus hoc loco ordineq; agitur, (pariter ut in Edicto) *tit.* 3. *de Procuratoribus & defensoribus*.

Qui

Qui quidem titulus, etsi ad quoscunque Procuratores negotiorum pertineat, proprie tamen ad *Litium* procuratores spectat : Sic quidem, ut eo inter alia agatur de compellendo procuratore, qui in se litem susceperit, judicium accipere, & retro, de mutandis quandoque Procuratoris causis : tandem de Procuratore dato ab actore ad actionem exercendam, cogendo ad eundem defendendum viri boni arbitratu.

Neque tantum hujusmodi privatorum procuratores existunt, ut defensores ; verum etiam *Universitatum* (i.e. Societatum, Collegiorum & Corporum) sui Procuratores quidem existunt : qui quidem *Actores* & *Syndici* vocantur, qui scil. Universitatum nomine actiones movent, seu exercent, easdemq; defendunt; qui quidem vel a lege designantur, vel lege deficiente a duabus, ut minimum, partibus ordinis seu corporis constituti sunt . *tit.* 4. *Quod cujusque Universitatis nomine vel contra eam agatur* .

Et hi quidem omnes ex mandato alienas Actiones exercent . Alii quippe sunt *voluntarii*, qui sine mandato, seu ultro, alienis sese negotiis litibusque offerunt, & interveniunt, eaque exercent, vel excipiunt,

qui

qui *negotiorum geſtores* dicuntur ; de quibus *tit.* 5. *de negotiis geſtis*.

Qui & ipſe titulus , pariter ut titulus *de procuratoribus* , etſi ad quorumcumque negotiorum , etiam extra Judicium , geſtores pertineat , attamen hoc loco propter lites poſitus eſt.

Ab his autem omnibus , ſive pro ſe agentibus , poſtulantibus , ſive pro alio intervenientibus , *Calumnia* abeſſe debet, alioquin is , qui ut calumniæ cauſa negotium faceret , vel non faceret , pecuniam accepiſſe probatur, peculiari actione in factum tenetur: intra annum in quadruplum ejus pecuniæ quam accepit ; poſt annum in ſimplum . Et hæc quidem *tituli ultimi de Calumniatoribus* tum ordinis ratio, ad exemplum quoque Edicti perpetui, tum ſenſus eſt.

Hactenus Præparatoria Judiciorum: nunc de cauſis & actionibus .

Ex

Ex Lib. IV.

De Cauſis & Litibus, ex quibus Magiſtratus aditur; ac primum 1. *de* RESTITUTIONIBUS: 2. *de* RECEPTIS.

1 *Cauſæ*, ſeu *lites*, reſque & controverſiæ ipſæ, earumque differentiæ, ex quibus, vel ob quas Prætor aditur, in actionibus quarto loco ſpectandæ ſunt.

Cauſæ igitur reſque, ſeu Controverſiæ ſunt vel Civiles, vel pœnales, ſeu criminales. Civiles intentantur triplici fine apud Prætorem, puta ut vel 1. *Reſtituat* amiſſam actionem, ac proinde & rem: 2. ut *Recepta*, officio ſeu Miniſterio quodam publico præſtato, reſtitui jubeat: 3. ut novum nunc primum *Judicium* conſtituat.

1. Prima cauſa reſque civilis, ob quam Prætor aditur, eſt *in integrum Reſtitutio* (i. e. redintegrandæ rei, vel cauſæ actio, auctore Paulo.)

Cujus proinde tractatus, ut in Edicto perpetuo, ita & hic quoque, hoc ordine, hac ratione poſitus eſt, non ea, quam reddunt alii, occaſione *tituli de poſtulando*, quo infamia notati, nec in integrum reſtituti, poſtulare pro omnibus prohibentur, quod

quod & longe nimis petitum, & ad aliud reſtitutionis genus pertinet.

Cæterum de in integrum reſtitutionibus agitur primum generaliter, indicatis etiam cauſis earum. *tit.* 1. *de in integrum reſtitutionibus:* qui & ipſe titulus generalis in Edicto perpetuo erat. Mox ſingulæ reſtitutionum cauſæ, & ſex quidem ſpeciatim pertractantur, (ex quibus vel lapſis, vel circumſcriptis ſubvenitur, ex cauſis videlicet extrinſecis vel intrinſecis); i.e. *Metus*; nam quod metus cauſa (i.e. inſtantis vel futuri periculi timore, non quocunque, ſed majoris malignitatis, qui merito & in hominem conſtantiſſimum cadat), geſtum eſt, id ratum non habet Prætor. *tit.* 12. *Quod metus cauſa geſtum erit.* 2. *Dolus malus*, ſi inquam, cui alius obfuit calliditate quadam, ſeu fallacia & machinatione, alterum decipiendi, circumveniendi, fallendi cauſa. Cæterum actio hæc quia famoſa eſt, tantum datur ſi de his rebus alia actio non ſit. *tit.* 3. *de dolo malo.* 3. *Ætatis* ipſius lapſi lubricum, (i.e. ſi quis infirmitate lapſus ſit minor 25. annis). *tit.* 4. *de Minoribus* 25. *annis.* 4. *Capitis diminutio*; capitis enim ſeu ſtatus ſui diminutionem minimam paſſus ſi quis eſſet, (i.e. ſi quis poſt contractum a ſe habitum

bitum emancipatus fuiſſet, vel vice verſa cum ſui juris eſſet contractus tempore, poſtea adrogatus fuiſſet), ſtricto olim jure actiones, quæ ei & adverſus eum competebant, extinguebantur, veluti jam alia novaque perſona conſtituta: verum e Prætore ei & in eum actio reſtituebatur, perinde ac ſi id factum non fuiſſet. *tit.* 5. *de Capite minutis*.

Qui titulus ut in Edicto, ita & hic ea ratione quam dixi, poſitus eſt: quo titulo tamen de capitis diminutione in univerſum agitur.

5. *Majores quoque* 25. *annis*, quandoque ex quibuſdam cauſis reſtituuntur, veluti propter juſtam abſentiam: item propter caſus adverſos. *tit.* 6. *ex quibus cauſis majores* 25. *annis in integrum reſtituuntur.* 6. *Alienatio* tandem *judicii mutandi cauſa facta*: Nam ſi quis rem, vel poſſeſſionem alienando dolo modo moleſtum adverſarium pro ſe adverſario ſuo objecerit, alienatio hæc juſta in integrum reſtitutionis cauſa eſt. Sic quidem, ut quamlibet extincta actione, (per hanc videlicet alienationem ejus reſpectu, qui alienavit) idem nihilominus actione in factum adverſario teneatur, quanti ſcilicet ejus intereſt, alium adver-

adverſarium ei non oppoſitum fuiſſe. Hinc hoc loco, ſicut in Edicto, poſitus eſt *tit. 7. de alienatione judicii mutandi cauſa facta.*

11. Secunda cauſa, ob quam Prætoris cognitio, non vero actio, poſtulatur, eſt *Receptum*: ut id ſcilicet præſtari jubeat. Ita enim hic titulus ſuperioribus cohæret, ut in Edicto perpetuo, ita & hic quoque, non (quod alii volunt) quaſi a judicio ad extra judicium tranſeatur, ſeu a Magiſtratibus ad Judices, & primum quidem ad compromiſſarios. *Receptum* eſt, cum quis ne privata benevolentia (ut Procuratores, negotiorum geſtores, Mandatarii, Depoſitarii, id genus alii, verum officii, vel Miniſterii alicujus publici genere, fideque publica, quid in ſe, fidemque ſuam recipit. Hoc vero caſu Prætor receptam rem præſtari reddique jubet: cujuſmodi recepti generaliter accepti, [unde titulus quoque generalis *de receptis*, duobus poſtremis hujus libri titulis communis], duæ ſpecies hic proponuntur. 1. Prior eſt, cum quis ex *compromiſſo* partium (quod ad ſimilitudinem Judiciorum redigitur) arbitrium in ſe, *officii* cujuſdam *publici* genere, ſemel recepit: Qua ex re etiam quandoque Judex aditur, nempe ut arbiter ſuſcepto officio perfungi, i. e. ſententiam dicere ſi detrectet, a Prætore cogatur,

gatur: pariter ut altero Edicto litigatores arbitri ſententiæ ſtare jubentur. *tit.* 8. *de Receptis qui arbitrium receperunt, ut ſententiam dicant.*

2. Secunda Recepti, cujus cauſa Magiſtratus aditur, ſpecies eſt, cum *Nautæ, Caupones, Stabularii*, publico quodam Miniſterii genere fungentes, quid cujuſque ſalvum fore citra contractum vel ſtipulationem ullam recipiunt, quod utique fit, etſi res eis adſignatæ ſive conſignatæ non ſint, verum eo ipſo quod in navim, cauponam, ſtabulum admiſſæ ſunt: (quod ſingulare admodum eſt); quo caſu niſi receptum illi reſtituant, etſi ſine culpa eorum res pereant, in eos peculiare Judicium datur. *tit. ult. Nautæ, Caupones, Stabulari, ut recepta reſtituant.*

Atque ita recte hic titulus ſuperiori, ut in Edicto perpetuo, ita & hic quoque cohæret, non vero a Triboniano (quod quidam calumniantur) alieno, aut deſerto loco infartus ex ſola homonymia, eaque inſigni & ruſtica (ut hoc jam traducunt nonnulli), vocis *Recepti*, ſic ut receptum arbitrium non niſi ridicule conferatur cum recepto Nautæ, Cauponis, Stabularii. Quorum & hic lapſus eſt, quod veterem

rece-

receptitiam actionem, his duobus Recepti ſpeciebus connumerant, cui actio de pecunia conſtituta ſucceſſit, quia receptum iſtud ex privato tantum officio & gratia, privatoque contractu deſcendit.

PARS

PARS SECUNDA
DIGESTORUM,
QUÆ DE JUDICIIS INSCRIPTA

Conſtat libris Septem: puta *lib.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Agitur in ea

1. De JUDICIIS ordinandis. *lib.* 5.
2. De JUDICIIS, ſeu Actionibus & controverſiis, in quibus agitur de vindicando DOMINIO rei alicujus. *lib.* 6. 7. 8.
3. Ob DAMNUM datum. *lib.* 9.
4. De Actionibus EX REI ipſius NATURA deſcendentibus. *lib.* 10.
5. Ex nudo FACTO aliquo. *lib.* 11.

EX LIB. V.

1. DE JUDICIO ORDINANDO, ſeu CONSTITUENDO.
2. ET DE ACTIONIBUS, quibus agitur de vindicando DOMINIO rei univerſalis.

III. TErtia & potiſſima frequentiſſimaque cauſa, ob quam cognitio

tio Prætoris ab Actore poſtulatur, eſt, ut in verba litis jus componat: id eſt, ut *Judicium* nunc primum ordinet, ſeu conſtituat, actionem Judicemque pedaneum de negotio cogniturum dando, vel cognitionem ſibimet, prout ferme ipſi videbitur, vindicando. Qua parte duo occurrunt. 1. Primo quidem Judicium ipſum, & proceſſus judiciarius. *Judicium* lata ſignificatione hic accipitur, etiam pro cognitione Prætoris, non modo pro notione Judicum pedaneorum: *Judicium* eſt legitima quæcumque controverſiæ apud Judicem quemcunque tractatio & dijudicatio. *tit. de Judiciis, & ubi quiſque agere vel conveniri debeat.*

Et ſic quidem hic titulus ſuperioribus apte cohæret, ut in *Edicto* perpetuo, ita & hic quoque, non quaſi a Judicibus compromiſſariis ad Judices ordinarios hic tranſeatur, quod quibuſdam videtur. Quo quidem ſingulari titulo agitur de proceſſu Judicario omni, in quo potiſſimum tractatur de Foro Judiceque competente. Qui Judices dare darive poſſunt: De Legitima perſona ſtandi in Judicio: de ordine Judiciorum: De officio Judicis, & cæteris ad proceſſum pertinentibus. Tractatione perſonarum ſive rerum, ſive actionum: Quem

ti-

titulum inter alios Juris Studioſis commendare maxime ſoleo, ut ita paulatim *foro* ſeſe immergant: quique in Codice in varios titulos & ſingulares diſcerptus eſt.

2. His ita præmiſſis, nunc de ipſiſmet litibus, controverſis, & exinde Actionibus, ſeu Judiciis. *Lites* igitur reſque, ſeu controverſiæ, & notiones civiles, ob quas Judicium conſtituitur, vel Judex addicitur, varii admodum generis ſunt, ſeu deſcendunt eæ non ex contractu ſemper, ſed ex actu aliquo, geſtove, de quibus tribus *v. l.* 19. *de V. S.*, ex variis cauſarum figuris, & *obligationibus*, ex quibus alter alteri ad aliquid tenetur, etſi non ex contractu, ſeu crediti ſemper cauſa. *l.* 1. *in pr. de obligationibus. l. omnem* 20. *de Judiciis*. De his igitur ſingulis ſpeciatim deinceps agitur, quæ ſcilicet cujuſque natura viſque ſit, ad librum 44. uſque incluſive. Mox generatim ſeu *complexive* poſtea de obligationibus, imo & de Actionibus in genere agetur *lib.* 44. *tit. ult.* & lib. 45. 46. Et initio quidem tenendum, alias actiones petitorias eſſe, alias poſſeſſorias: de primis ad librum uſque 41., de poſtremis, tribus libris 41. 42. 43. De petitoriis primum.

1. Primum igitur actionum civilium,

ſeu controverſiarum genus eſt, in quibus agitur de *Dominio* rei alicujus, ſeu quæ in id intenduntur, ut dominium alicujus rei *petatur*, vindiceturque: dominium inquam proprietatis. Dominium porro eſt, vel rei alicujus univerſalis, vel ſingularis.

Univerſalis rei dominium voco, quod in jure aliquo univerſali conſiſtit, qualis eſt hæreditas: eſt enim ſucceſſio in univerſum jus & dominium quod defunctus habuit, cujuſque nomine hæreditatis petitio competit. 1. Et *ſpecialis* quidem eo nomine actio, ſeu qualificata, ut vocant, cauſamque petendæ hæreditatis ſingularem habens, vel præparatoria ad hæreditatis petitionem, ut alii volunt, liberis & parentibus competit, fruſtra, ſeu immerito, & non ex officio pietatis exhæredatis vel præteritis, (quandoque etiam his neceſſaria) puta querela ſeu accuſatio inofficioſi, ſeu petitio hæreditatis ex cauſa inofficioſi. *tit.* 2. *de inofficioſo teſtamento*: qui hoc loco ea qua dixi ratione, ut in *Edicto* perpetuo, ita & hic poſitus eſt.

2. Generaliter alioquin & in univerſum aliis ex cauſis ad hæreditatem avocandam, vindicandamque, quæ hæredi, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato competit, hæreditatis petitio datur: *tit.* 3. *de Hæreditatis petitione*. Et quidem ſub tribus

am-

ampliationibus. Nempe enim hæreditatis petitio datur, & cum hæreditatis tantum pars, non etiam assis, id est tota hæreditas petitur, de quo *tit.* 4. *Si pars hæreditis petatur*.

2. Est & hæreditatis petitio, quæ datur ei, qui etsi non jure civili, verum Prætorio tantam hæres est: neque enim hæredi tantum hæreditatis petitio datur, sed & bonorum possessori, qui similis est hæredi. *tit.* 5. *de possessoria hæreditatis petitione* 3. Postremum hæreditatis petitio datur & ei, cui non directo jure hæres est, verum obliquo & indirecto; nam ei, cui restituta est ex fideicommisso hæreditas ex Scto Trebelliano, hæc actio, seu hæreditatis petitio competit, quia & hic hæredi comparatur. *tit. ult. de Fideicommissaria hæreditatis petitione*.

Ex Lib. VI.

De Dominio Rei Singularis Corporalis.

2. *Singularis* rei Dominium ejusque nomine actio petitoria sequitur, servato Edicti perpetui ordine. Singulare dominium est singularis sive corporis, sive juris alicujus dominium: quo nomine

quæ actiones competunt, tribus libris explicantur, hoc inquam libro 6., & duobus proximis 7. & 8. Hujuſmodi autem res ſunt vel corporales, vel incorporales, i.e. *Corporalium rerum vindicatio* competit rerum dominis, vel iis, qui vice Dominorum ſunt; & ſic tribus hominum generibus. Primo quidem veris Dominis, & proprietariis, ſeu ob dominium vere & proprie dictum, quæ actio proprie *Rei Vindicatio* dicitur. *tit.* 1. *de rei vindicatione*: qui titulus hoc nexu hic pariter ut in Edicto perpetuo, poſitus eſt.

Secundo, fictitiis quoque Dominis, quique proprietariis ſimiles ſunt, & jus dominio ſimile habent, veluti *bonæ fidei poſſeſſoribus*, competit hæc rei vindicatio: his quippe, ſi rei a ſe bona fide poſſeſſæ nondum a ſe uſucaptæ, poſſeſſionem caſu aliquo amiſerint, peculiaris fictitiaque quædam actio ad eam vindicandam, haud aliter atque ſi uſucapiſſent, a Prætore accommodatur, quæ *Publiciana* in rem, a Publicio videlicet Prætore ita dicta fuit. *tit.* 2. *de Publiciana in rem actione*; qui titulus, in Edicto pariter hoc ſitu poſitus erat.

Tertio, *Emphyteutis* quoque (qui & ipſi fictitii Domini ſunt, veroſque Dominos imitantur) rei vindicatio, ſeu actio ve-

vectigalis, vel de fundo vectigali competit. Emphyteutis inquam, id est iis, qui agros plerumque steriles, & jejunos ac squalidos, verum a se deinceps meliores cultioresque cultura reddendos, (unde *Emphyteuticorum* agrorum nomen, a propagatione & melioratione), in perpetuum, vel ad tempus non modicum, sub vectigalis, i.e. pensionis cujusdam præstatione, a veris Dominis sive privatis, sive Rebuspublicis & Civitatibus, vel etiam a Principe conductos habent. His scilicet quoque ad agrum emphyteuticum, cujus possessionem amiserunt, vindicandum, rei vindicatio competit: Nam etsi Emphyteuta revera fundi emphyteutici dominus non sit, universa tamen rei utilitas ad ipsum spectat. *tit. ult. Si ager vectigalis*, i. e. *Emphyteuticarius petatur*: qui ideo hic positus est, pariter ut in Edicto perpetuo.

Ex Lib. VII.

De Dominio Rei Singularis *incorporalis: ac nominatim de* Usufructu, *& affinibus ejus.*

2. *Incorporalium* rerum singularium vindicatio est, qua res singulares in jure, jurisve intellectu consistentes, &

quidem a corporis ipſius, in quo jus conſiſtit, non domino vindicatur: puta *ſervitutes*. Servitutes autem ſunt vel perſonales, vel reales.

1. *Perſonales ſervitutes* dicuntur, cum res aliqua aliena, veluti fundus, aut ſervus alienus alteri perſonæ, ejuſque utilitati ſervit. Ejus vero generis ſervitutes ſunt hæ quatuor. Uſusfructus, Operæ ſervorum, Uſus, & Habitatio: De quibus ſigillatim prius.

1. *Uſusfructus* eſt jus utendi fruendi ſalvo integro jure, & ſic pleniſſima ſervitutis perſonalis ſpecies, rebus alienis, ſalva rei ubſtantia: de quo ſunt ſex tituli priores hujus libri. Primo agitur *de modo conſtituendi* uſusfructus, deque jure fructuarii, & intra quem *modum* is uti frui debeat. *tit.* 1. *de Uſufructu, & quemadmodum quis utatur fruatur*. Secundo titulo oſtenditur, jure *accreſcendi* ſæpe uſufructuarii jus augeri: altero ſcilicet, cui idem uſusfructus conjunctim legatus fuerat, non concurrente; unde fit ut alter partem ejus retineat, & ob non concurſum uſumfructum totum, neque diminutum habeat; quod jus accreſcendi dicitur: [cui accreſcendi juri & in aliis multis juris articulis locus eſt]. *tit.* 2. *de Uſufructo accreſcendo*. Tertius titulus eſt de *Tempore*, ſeu die

uſus-

usufructus cedentis, i. e. a quo tempore usufructus alicui constitutus relictusve deberi incipiat: & sic morientе post. fructuario usufructus ad hæredes ejus transmittatur; nempe usufructus semel ab adita hæreditate & statim acquiritur, si pure legatus sit. *tit. 3. Quando dies usus-fructus cedat.*

Hactenus de Usufructu adquirendo. Vicissim amittitur is quoque certis modis, de quibus agitur *tit. 4. Quibus modis usus-fructus amittatur*: Et in his quidem rei ipsius, in qua usufructus consistit interitu: nisi usufructus sit earum rerum, quæ usu consumuntur: tum enim remedio cautionis ex S. C. usufructus rei absumendæ per usum mox absumptæ sustinetur. *tit. 5. de Usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur, vel minuuntur.*

Actio tandem usufructus nomine, vel est *confessoria*, qua quis scilicet usumfructum sibi in re aliena deberi intendit: vel *negatoria*, qua Dominus rei negat, rei suæ usumfructum alii deberi. *tit. 6. Si ususfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.*

2. Operæ quoque *Servorum*, speciem quamdam servitutis personalis, imo & ususfr[illegible] quodammodo obtinent; nam ususfr[illegible]s servorum in operis consistit. *tit. 7. de operis servorum.*

3. *Usus* item circa fructum, i.e. usus ad necessitatem tantum, & ad esse, non ad bene esse. 4., ut & *Habitatio*. *tit.* 8. *de usu & habitatione*.

Omnibus autem his servitutum speciebus commune est, ut is, cui constitutæ sunt caveat, sese usurum fruiturum boni viri arbitratu: finitoque jure suo possessione cessurum, eamque Domino restituturum. *titulo ultimo*, *Usufructuarius quemadmodum caveat*. Hactenus de Servitutibus personalibus.

EX LIB. VIII.

De SERVITUTIBUS PRÆDIORUM.

2. PRædiorum, seu reales *Servitutes*, (quæ propriæ & absolute *servitutes* dicuntur, de quibus in Edicto perpetuo pariter hoc situ actum fuit), sunt qualitates & jura quædam, quibus res alterius rei alienæ, puta, prædium prædio servit, de quibus post personales (pariter ut in materia Legatorum *lib.* 3.), in genere agitur. *tit.* 1. *de Servitutibus*.

Sicut autem prædia vel urba[illegible] vel rustica, quæ quidem ipsa non t[illegible]co seu situ, quam qualitate & genere [illegible]us invicem

cem distinguuntur, ita servitutes quoque, aliæ sunt prædiorum urbanorum : *tit. de Servitutibus prædiorum urbanorum* : Aliæ vero rusticorum : *tit.* 3. *de Servitutibus prædiorum rusticorum* . Quæ licet ita distinguantur, communia tamen pleraque inter se habent: *tit.* 4. *Communia prædiorum tam urbanorum, quam rusticorum*. Certe eodem modo vindicantur, confessoria vel negatoria actione. *tit.* 5. *Si servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur* . Et utraque certis modis amittitur, veluti confusione (acquisito altero prædio, sive dominante, sive serviente): item non utendo, seu usucapione libertatis, & cessione. *tit. ult. quemadmodum servitutes amittuntur*.

Ex Lib. IX.

De actionibus Ob Damnum Datum.

11. SEcundum causarum actionum, seu controversiarum litiumque civilium genus, & quidem petitoriarum, est, *damni alicujus in corpus aliquod nostrum dati nomine*, & ad id sarciendum comparata.

Ita enim hic liber superiori, servato &

hic, ut & proximo Edicti perpetui ordine, optime connectitur, non affinitate quadam cum rei vindicationibus, inter alia, quod dominis solis, & adversus dominos hæ actiones dentur; quod Cujacio quoque visum fuit.

Damnum porro hoc in quadruplici differentia est; 1. vel enim damnum sine injuria ulla facientis datur, puta a *Quadrupede* (quod damni genus proprie *Pauperies* dicitur. Ejus actionis, quæ eo nomine competit, vis hæc est, ut aut noxa a Domino sarciatur [i. e. æstimatio damni offeratur seu præstetur], vel certe animal ipsum quod noxam, damnumve dedit, ei cui nocitum est, in noxam dedatur. *tit.* 1. *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* 2. Vel *damnum* injuria a libero homine datur, alieno videlicet servo, vel quadrupede, cæterisve rebus, (quod *damnum injuria* dicitur, vindicaturque *lege Aquila*) *tit.* 2. *ad legem Aquiliam*. 3. Cui similis est, & ad superiorem accommodata specialis quædam actio legis Aquiliæ in duplum, adversus eos, e quorum ædibus, ubi habitant, eum in locum, qua vulgo iter fit, vel in quo consistitur (puta statione vel græce στάσει) quid in liberum ho-

mi-

minem effusum, vel dejectum fuerit, etsi ipsi non dejecerint, vel effuderint. *tit. 3. de his qui effuderint, vel dejecerint.* Et ita quidem hic titulus hic positus est: Cum in Edicto perpetuo cohæsisse videatur iis titulis, qui lib. IV. continentur, *de servo corrupto, & de aleatoribus*. 4. Denique a *Servo* damnum datur: quam in rem sunt proditæ actiones *noxales*: quæ ita dicuntur a *noxa*, i. e. damno, maleficioque servorum; quarum actionum hæc pariter vis est, ut liceat domino deditione ipsius corporis quod deliquerit, id est servi, litis æstimationem evitare. *tit. ult. de Noxalibus actionibus*: qui quidem titulus non est generalis omnibus noxalibus actionibus (generaliter scilicet acceptis), quæ ob damnum datum competunt, quod Cujecius hic voluit, verum specialis de noxa a *servo* data.

Ex Lib. X.

De Actionibus, quæ ex Rei Ipsius Natura, *seu naturæ facto, oriuntur.*

111. Tertium genus controversiarum, seu actionum civilium descendit ex *Rei ipsius natura*, seu *naturæ ipsius facto*: quæ scilicet inter aliquos, citra con-

hic, ut & proximo Edicti perpetui ordine, optime connectitur, non affinitate quadam cum rei vindicationibus, inter alia, quod dominis ſolis, & adverſus dominos hæ actiones dentur; quod Cujacio quoque viſum fuit.

Damnum porro hoc in quadruplici differentia eſt; 1. vel enim damnum ſine injuria ulla facientis datur, puta a *Quadrupede* (quod damni genus proprie *Pauperies* dicitur. Ejus actionis, quæ eo nomine competit, vis hæc eſt, ut aut noxa a Domino ſarciatur [i. e. æſtimatio damni offeratur ſeu præſtetur], vel certe animal ipſum quod noxam, damnumve dedit, ei cui nocitum eſt, in noxam dedatur. *tit.* 1. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.* 2. Vel *damnum* injuriâ a libero homine datur, alieno videlicet ſervo, vel quadrupede, cæteriſve rebus, (quod *damnum injuria* dicitur, vindicaturque *lege Aquila*) *tit.* 2. *ad legem Aquiliam.* 3. Cui ſimilis eſt, & ad ſuperiorem accommodata ſpecialis quædam actio legis Aquiliæ in duplum, adverſus eos, e quorum ædibus, ubi habitant, eum in locum, qua vulgo iter fit, vel in quo conſiſtitur (puta ſtatione vel græce στάσει) quid in liberum ho-

mi-

minem effusum, vel dejectum fuerit, etsi ipsi non dejecerint, vel effuderint. *tit.* 3. *de his qui effuderint, vel dejecerint.* Et ita quidem hic titulus hic positus est. Cum in Edicto perpetuo cohaesisse videantur iis titulis, qui lib. 11. continentur, *de servo corrupto, & de aleatoribus.* 4. Denique a *Servo* damnum datur: quam in rem sunt proditæ actiones *noxales*: quæ ita dicuntur a *noxa*, i. e. damno, maleficioque servorum; quarum actionum hæc pariter vis est, ut liceat domino deditione ipsius corporis quod deliquerit, id est servi, litis æstimationem evitare. *tit. ult. de Noxalibus actionibus*: qui quidem titulus non est generalis omnibus noxalibus actionibus (generaliter scilicet acceptis), quæ ob damnum datum competunt, quod Cujacius hic voluit, verum specialis de noxa a *servo* data.

Ex Lib. X.

De Actionibus, quæ ex Rei Ipsius Natura, *seu naturæ facto, oriuntur.*

111. Tertium genus controversiarum, seu actionum civilium descendit ex *Rei ipsius natura*, seu *naturæ ipsius facto*: quæ scilicet inter aliquos, citra con-

contractum ullum, vel delictum damnumve, actionem aliquam inducit.

Hæc enim est hujuscæ materiæ connexio, ut in Edicto perpetuo, ita & hoc libro simul & ejus complexio, & continentia: Nam quod ajunt, mistas actiones, i. e. tam in personam, quam in rem directas hoc libro contineri, id neque omnino verum est, cum actio ad exibendum non sit talis, ac proinde connexionis ratio illa consistere non possit, verum mere personalis, licet in rem scripta. *l.* 3. §. 3. *ad Exhib.*

Hujus vero generis sunt tria sequentia

1. *Vicinia*. Inter confines scilicet prædiorum rusticorum, vicinia ipsa actionem finium regundorum producit, ad agrorum scilicet fines, olim varietate successionum, vel irruptione fluminis, vel aliter confusos, *regundos*, determinandos, amota veteri obscuritate. *tit.* 1. *Finium regundorum*.

2. *Communio*, quæ est societas involuntaria, in quam nonnulli incidunt, non vero contractu, vel tractatu habito [v. l. 32. *ff. pro socio*] vel affectione societatis consentiunt, seu eos conjungit ad societatem non consensus, sed res. *l.* 25. §. 16. 17. *fam. erciſc.* Re ipsa & negotio. *d. l.* 32. *pro socio.*

Quæ

Quæ communionis ratio duas actiones, seu duo judicia divisoria producit. 1. Actionem *Familiæ Erciscundæ*. Datur ea actio inter cohæredes, volentes a communione discedere, ad res hæreditarias dividendas: (nam *familiæ* appellatione veniunt res hæreditariæ: & *erciscere*, veteri verbo est dividere. *tit.* 2. *Familiæ erciscundæ*. 2. Item producit communio actionem *communi dividundo*. Hæc superiori similis datur inter alios quam socios, inter quos scilicet res aliunde communis est; quanquam & diserte Gajus *l.* 2. *hoc tit.* hanc actionem quoque tribuit contracta societate, veluti in re pariter emenda. *tit.* 3. *Communi dividundo*. 3. Postremo hujus generis est sola *exibendæ*, seu repræsentandæ rei alicujus, quæ petitur, ratio, seu *interesse*; quia scilicet rem aliquam vindicaturis nobis, & propter rei vindicationem maxime, & ut experiundi sit copia, interest rem aliquam nobis *exhiberi*, i. e. ejus potestatem fieri, eamque repræsentari: & sic hæc actio, ut ex ipsius rei natura descendit, ita & præparatoria ferme est rei vindicationis, & ad *exhibendum* dicitur. *tit. ult. ad exhibendum*.

EX LIB. XI.

De actionibus ex NUDO HOMINIS FACTO *aliquo nascentibus, citra contractum ullum, damnumve in corpus datum.*

IX. QUartum genus actionum, seu causarum & controversiarum civilium est, quod nascitur ex *Facto* aliquo, non Naturæ, verum nudo hominis facto: rursum non ex contractu ullo, vel ob damnum in corpus datum.

Ita enim hæc materies in Edicto perpetuo, & hic liber integer superioribus & proxime sequenti, cohæret: cujus etiam tituli omnes certa lege invicem optime colligati sunt; quod nemo quod sciam adhuc vidit. Neque enim placere debet Cujacii sententia, quasi liber hic *supplementum* sit totius hujus partis secundæ Digestorum: atque adeo hujus libri *tituli* 1. 3. 4. 5. supplementum sint libri *noni* tit. 2., & 6. libri decimi: tit. 7. & 8. libri sexti.

Factum autem hujusmodi nudum est vel legitimum, vel illegitimum: Rursum, factum

factum istud nudum est vel religiosum, vel irreligiosum.

1. *Legitimi* facti nudi, & judicialis quidem, actionem producentis, duæ tantum species hoc libro tractantur. (Nam & tertia quædam, & primo quidem loco in Edicto perpetuo posita fuerat, puta de Judice litem suam faciente). Prima est *Interrogatio in jure facta*. Nam si actor in jure ante judicium quandocunque acceptum, intentionis suæ formandæ instruendæque causa, aliquem interrogaverit: *An ne is fieret auctor, & qua ex parte* [id est an & quatenus sit ille, a quo actor jus suum consequi possit]; v. g. Si quis ignarus utrum talis, vel talis sit, eum interrogaverit, utrum hujus, vel illius [forte debitoris] hæres sit, & qua ex parte: item, si noxali actione acturus servi nomine alium interrogaverit, utrum hic ejus servus sit, isque interrogatus responderit, [quod omnino tenetur]: ex hac jam interrogatione & responso, nascitur actio (quasi adversus obligatum ex contractu), *quæ Interrogatoria actio* dicitur. Et sic hæc interrogatio instruendi judicii causa, non litis decidendæ, fiebat. *tit.* 1. *de Interrogationibus in Jure faciendis, & interrogatoriis actionibus.*

Altera specialis facti legitimi nudi judicialis

cialis eſt, actionis cum aliis communis ab uno intentatio: Nempe ſi lis pluribus communis apud Judicem aliquem a quibuſdam agi cœperit, ne continentia cauſæ dividatur, neve varie judicetur, apud eundem Judicem ab aliis quoque agi, alioſve conveniri oportet. *tit.* 21. *de quibus rebus ad eundem Judicem eatur.*

2. *Illegitimi* facti, ſine damno corporali; ſpecies hæ quatuor, quarum nomine actio vel competit, vel denegatur, notentur. 1. Si *corrupti* ſervi alieni mores (nam de damno in corpus ejus dato actum fuit ſuprā *lib.* 9.) fuerint, eo nomine in eum qui corrupit quanti ea res eſt, in duplum judicium datur. *tit.* 3. *de ſervo corrupto.* 2. Si *fugitivus* ſervus receptus, ſeu celatus fuerit. *tit.* 4. *de Fugitivis.* 3. *Si aleatoribus* domum quis ſuam ad ludendum præbuerit, etſi luſor non fuerit, iſque verberatus, damnumve ei datum fuerit, ſive quid eo tempore de domo ejus ſubtractum eſt, ſuſceptori iſti actio eo nomine denegatur: contra, ſi ludendi cauſa vis facta fuerit, in eum qui vim intulerit, animadvertitur. Denique & ejus quod in alea luſum eſt, ſæpe repetitio datur. *tit.* 5. *de Aleatoribus.* 4. Facti nudi illegitimi actionem producentis poſtrema ſpecies eſt, ſi *falſus modus a Menſore renunciatus*

dolo

dolo malo fuerit : a Menſore inquam , qui inter aliquos adhibitus fuit , cum de finibus forte inter eos contentio eſſet , vel cum emptor ſcire vellet vel venditor , cujuſmodi ager veniret , vel propter judicium , vel cujus alterius rei ergo . Hoc ſcilicet caſu in Menſorem actio in factum datur . *tit. 6. Si Menſor falſum modum dixerit* .

Qui quidem titulus eadem ratione hoc ſitu in Edicto perpetuo poſitus erat .

3. *Religioſum* factum nudum , ſine damno corporali , ut & retro *irreligioſum*, circa funerum & ſepulchrorum ſcilicet religionem , obligationem & actionem civilem quandoque inducit , ſeu tribuit , tum ei , a quo factum quid circa id fuit: tum adverſus eum, qui quid fecit : rurſum quia vel ipſe quid fecit , vel alium quid facere prohibuit . Et ita quidem hic tractatus ſuperioribus cohæret , pariter ut in Edicto . Quia , inquam , quid ipſe fecit: puta , 1. quia *mortuum intulit* in locum, quo jus non erat : nam is eo nomine in factum actione tenetur . 2. Quia *ſumptus* in funus alienum erogavit ſeu fecit , & ſic cum defuncto quaſi contraxit; quo nomine ſpecialis actio *funeraria* ei ex æquo

& bono,

& bono, & quidem privilegiata, competit. Rursum, quia alium quid circa religionem funerum & sepulchrorum agere prohibuit: veluti ne funus duceret. *tit.7. de Religiosis & sumptibus funerum, & ut funus ducere liceat*: 2. ne mortuus inferretur quo jus erat: 3. ne *sepulchrum* ædificaret. Adversus hos omnes quippe in factum actio eo nomine datur. *tit. ult. de mortuo inferendo, & sepulchro ædificando.*

PARS TERTIA.

DIGESTORUM,

QUÆ DE REBUS INDIGITATUR:

Conſtans libris 8., puta *lib.* 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

De Rebus Creditis.

Ex Lib. XII.

De CERTI PETITIONE CERTÆ ÆSTIMATIONIS.

V. QUintum genus controverſiarum, ſeu actionum, vel Judiciorum civilium, eſt de Rebus Creditis: ſeu quæ competunt *crediti* nomine, & ob negotium aliquod geſtum, vel obligationem contractam, quod & factum quoddam eſt. *l. conſiliis 7. §. ult. ff. de curatore fur.*: i.e. tractatus inter contrahentes: qualis eleganter deſcribitur *l.* 8. *verſ. quod ſic. de reſcindenda vend.*

Qui

Qui quidem tractatus hic instituitur ad exemplum ordinemque Edicti perpetui, & hoc quidem nexu, non quo nonnulli, qui hic novam Judiciorum & actionum divisionem incipiunt: vel ut alii, qui e vindicationibus ad contractus hic transiri ajunt.

Est autem *creditum*, quoties fidem alienam secuti, alicui rei adsentimur: *Rerum* vero creditum, eo quod res aliqua intervenit necessario ad constitutionem contractus, seu ad obligationem actionemque constituendam. Atque istud est hujus partis Tertiæ totius argumentum, & sic generalis hic titulus, quod nonnulli perperam negabant.

Rebus porro creditis, vel certum quid nominatim formula actionis comprehenditur, seu petitur, vel incertum.

1. *Certum petitur*, cum apparet quid, quantum sit quod petitur, seu cum res, vel quantitas, qua de agitur, certa, pondere, numero vel mensura expressis formula seu actione *condicitur*, [id est designatur]. Unde & eædem certi petitiones *Condictiones* dicuntur: Nam hoc sibi vult *condictio*. Et his quidem actionibus Judex

reum

reum in id præcise quod petitur, vel condemnandum, vel absolvendum habet: & hic actio *si certum petatur*, & *condictio* eadem sunt: hæc suo nomine designatur, illa de primis Edicti verbis.

Certum autem istud rursum habet vel certam æstimationem, vel incertam. 1. *Certæ æstimationis* res certa petitur, cum non res ipsa tantum certa est, seu petitur designaturque, verum & æstimatio ejus quoque certa est. Quod in tribus negotiis, & obligationibus, quæ Re contrahuntur evenit. Primo quidem in *Mutuo*, seu in pecunia numerata credita, mutuove data; est enim pecuniæ publica solennisque æstimatio, unaque & eadem potestas. *tit.* 1. *de rebus creditis, si certum petatur, & de condictione:* cujus tituli proinde [qui tribus appellationibus constat] sententia, ex superioribus jam ita clara esse potest, de quo alioquin tumultuantur Interpretes: Nempe, ut breviter id complectar. 1. *Rerum creditarum* appellatio generalis est. 2. Crediti vero species est ea, ex qua *certum petitur*. 3. Quæ eadem & *condictio* una voce dicitur, seu certi condictio. 2. Item certa, non tantum res, sed & æstimatio est rei debitæ ex *Jurejurando* decisorio; quo etiam genere quasi contrahitur. (*l.* 5. §. 2. *ff. de peculio*)

culio). *tit.* 2. *de Jurejurando ſive voluntario, ſive neceſſario, ſive Judiciali.*

Ita enim hic titulus ſuperiori de rebus creditis, ut in edicto perpetuo, & hic quoque apte cohæret: non vero quod quidam tradunt, quaſi jusjurandum frequentius detur de pecuniis creditis.

Ac nominatim certa eſt æſtimatio, ſi in *litem juratum* fuerit, quia jusjurandum iſtud in litem nihil aliud eſt, quam litis ſeu rei in Judicium deductæ, ſeu intereſſe, ab actore facta, per jusjurandum a Judice delatum, æſtimatio. *tit.* 3. *de in litem jurando.*

3. Denique certa æſtimatio eſt *Promutui*, quod eſt inſtar mutui: cum videlicet pecunia aliqua alteri data, promiſſave fuit, non mutui quidem contrahendi animo, verum data promiſſave ſine cauſa, apud alium reſidet, quæ condictioni, ſeu repetitioni locum facit.

De quibus condictionibus poſt titulum *de rebus creditis & de Jurejurando* in Edicto perpetuo pariter actum fuit, ut hic.

Hujuſmodi porro condictionum quinque genera hoc libro pertractantur: Vel enim datum

datum quid fuit, promiſſumve ex cauſa, vel ſine cauſa.

1. *Ex cauſa* rurſum, vel *futura*, vel quaſi præſente: *Futura*, i. e. ob rem vel finem aliquem, eumque vel honeſtum, vel turpem. Si ob finem *honeſtum* res aliqua data promiſſave fuerit, veluti ut Romam eas, cauſaque ſecuta non fuerit (i. e. Romam tu non jeris, ejus repetitio omnimodo competat, quæ condictio dicitur *cauſa dati, cauſa non ſecuta. tit. 4. de cauſa dati*) nam ita reponendum, non *cauſa data cauſa non ſecuta*. 2. Si vero ob *turpem* cauſam datum promiſſumve quid fuerit, non omnimodo, i. e. non ſemper condictio competit: nam ſi dantis vel promittentis turpitudo aliqua ea in re verſetur, res condici non poteſt. 3. Cui ſimilis eſt quoque condictio *ob injuſtam cauſam*: ſi videlicet quid detur ex ſtipulatione per vim extorta, & ſic ex principio dandi injuſto. *tit. 5. de condictione ob turpem vel injuſtam cauſam*.

2. *Quaſi ex præſente* cauſa, ſeu quaſi exiſtente, cum tamen revera nulla cauſa exiſteret, ſi quis quid per errorem promiſerit, dederitve, condictio ei pariter competit, quæ *indebiti condictio* dicitur. *tit. 6. de Condictione indebiti*.

Poſtremo condictio competit, ſi *ſine*

causa ulla res data vel promissa fuerit, vel rediit ad non justam causam . *tit. ult. de condictione sine causa:* cujus tituli lex 2. speciem aliquam præbet. Et sic (ut superiora summatim colligam) condictio competit dati promissive: 1. Sive quia ex principio injusto quid datum promissumve fuit, veluti *vi*, vel *ob turpem causam. tit.* 5. 2. Sive quia ab initio causa nulla existebat, & sic per *errorem. tit.* 6. 3. Sive quia ex causa, verum quæ *secuta* non est . *tit.* 7. 4. Sive quia ex causa, quæ *finita* est, rediitque ad non causam . *tit. ult.* Ex his autem causis quandoque incerti etiam condictionem competere docent *l.* 22. *ff. de cond. indeb. l.* 3. *de condict. sine causa* .

Et hactenus quidem de certi petitione certæ æstimationis.

EX LIB.

Ex Lib. XIII.

1. De Certi Petitione Incertæ æſtimationis.
2. De Mixta Actione, modo certæ, modo incertæ æſtimationis.
3. De Incerti petitione, & contractibus Unius Principaliter utilitatem continentibus.

2. *Incertæ* variæque æſtimationis certi petitio eſt, quoties res quidem libello certa petitur, condicitur, ſeu deſignatur, varia tamen admodum incertaque rei petitæ æſtimatio eſt, ac proinde lis a Judice æſtimanda venit. Incerta, inquam æſtimatio: idque variis ex cauſis; 1. ſive ratione *intereſſe* alicujus: 2. ſive ratione *legis*, obligationem inducentis: 3. ſive ratione *materiæ* ſubjectæ. 4. tandem ratione *loci*. Et ſic quatuor hujus generis incertæ æſtimationis condictiones ſunt.

De quibus in Edicto perpetuo hoc ipſo ſitu, ordineque actum fuit.

1. *Condictio furtiva* prima in hoc genere eſt: nam cum ea condictio domino, ſingulari furum odio, ad rei furtivæ per-

ſecutionem, contra jus commune (quo condictio alioquin domino non datur), detur, in eamq; actionem veniat res, quamlibet mortua apud furem, & ſic ejus æſtimatio: item id quod intereſt agentis, ac proinde in ea in litem juretur; apparet utique, rem aliquam, etſi certam (veluti ſervum furtivum), incertæ tamen adhuc æſtimationis ea condictione peti. *tit.* 1. *de Condictione furtiva*.

2. Item *ex lege condictio* incertam æſtimationem continet. Ex lege condictio eſt, quoties Lex novam aliquam obligationem inducit, neque tamen ſatis actionis genus determinat, ſeu nominatim exprimit: tum quippe indefinite *ex lege condictio* datur. Ea vero incertæ & variæ æſtimationis eſt, quia & obligatio varia & incerta eſt. Exemplum hujus rei ponebat Cujacius in condictione ex lege Julia, & ex lege Cincia. *tit.* 2. *de Condiction. ex lege*.

3. Hujus generis eſt etiam *Condictio Triticaria*: nam cum alia atque alia cæterarum, præter pecuniam numeratam, ſpecierum [quarum nomine hæc actio ſive condictio competit] æſtimatio ſit, ad æſtimationem utique res neceſſario deducitur. Atque hæc eſt illa condictio, quæ *Triticaria*, non *triticiaria* dicitur, a tritico videlicet, ſpecierum ut potiſſima, ſeu inſigniore,

gniore, & neceſſaria maxime, ita & omnium maxime incertæ æſtimationis, & revera arbitraria, quia æſtimat in ea Judex rem arbitrio ſuo, habita ratione utilitatis temporis & loci. *tit.* 3. *de Condictione triticaria*.

4. Denique actio ſeu condictio *Ejus quod certo loco* ex ſtipulatione, vel teſtamento dari (veluti Epheſi] debuit, proxime ſuperiori *de condictione triticaria* optime cohærens, utpote cum in ea æſtimatio rei petitæ pro loci quoque ratione fiat, incertam æſtimationem continet, & arbitraria eſt: Nam cum commemoratio ejus loci, quo dari res debuit, item loci quo dari petitur, in libello fiat, magna autem loci utilitas ſit, quia varia ſunt rerum per ſingulas Civitates pretia, & pecunia quoque alibi locorum facilius & levioribus uſuris invenitur, alibi vero difficilius & gravioribus, arbitrio utique Judicis, qui huic actioni addictus eſt, hoc omne æſtimandum venit, tum in gratiam *rei*, ſi is alio loco conveniatur, quam quo eum conveniri ejus intereſt: & retro in gratiam *Actoris*, ſi ejus interſit alio loco rem accipere; nam hæc actio utriuſq; utilitatem continet, i.e. alterutrius: Inde igitur condictio, ſeu actio hæc arbitraria diſerte dicitur: de qua eſt *tit.* 4. *de eo*

quod certo loco dari oportet.

II. Mixtum quoddam actionis genus nunc ſequitur, quo modo certum petitur, modo incertum: certum rurſum *modo certæ*, *modo incertæ æſtimationis*, puta actio *de pecunia conſtituta*, ſeu conſtitutoria, id eſt de pecunia citra ſtipulationem, pro ſe vel alio jam obligato, promiſſa in diem locumve plerumque certum: Nam in conſtitutum veniunt & aliæ ſpecies præter pecuniam numeratam, quæ omnes tamen *pecuniæ* appellatione hic veniunt. Et hæc eſt ſententia *tit.* 5. *de Pecunia conſtituta*.

Quique adeo ſuperioribus ita recte cohæret, uti pariter cohæſit in Edicto perpetuo, non vero quaſi hic titulus eodem pertineat, quo ſuperior, nempe quod eo quoque peti poſſit alio die locove, id quod alio dari debuerat, verum medio loco inter certi petitiones [ſive certæ ſive incertæ æſtimationis eæ ſint] & incerti petitiones, quia eadem actione modo certum petitur [idque modo certæ æſtimationis, modo incertæ], modo incertum.

III. *Incerti* tandem petitio eſt, cum res libello petitur ex obligatione aliqua ſeu contractu aliquo, incerta generali & vaga formula; puta, quia ita formula concepta eſt:

eſt: *Quidquid te mihi ex hac vel illa cauſa dare oportet ex fide bona* &c. unde & *bonæ fidei* Judiciis nomen inditum.

De quibus hoc ipſo loco in Edicto actum fuit.

Porro contractus iſti, ex quibus incertum petitur, ſunt quinque generum, & varias ideo quoq; præſtationes recipiunt. Nam inconnexionis ratio hic reddi poteſt. Quanquam & hæc non diſplicet; ſcil. peti *Incertum* vel ex obligationibus, quæ re contrahuntur; res, puta quatuor, Commodato, Pignore, (de quibus duobus titulis poſtremis hujus libri 12.): *Geſto* alieno & Depoſito (de quibus *lib.* 14. 15. 16.) 2. vel ex obligationibus, quæ *conſenſu* contrahuntur. *lib.* 17. 18. 19.

1. Prima ſpecies horum contractuum, ex quibus incertum petitur, & quidem ex obligationibus, complectitur Commodatum & Pignus, in quibus etiam *unius principaliter e contrahentibus* negotium geri utilitaſque verti videtur: *Commodatum* ſc. eſt cum res utenda gratis cum modo, ſive ad certum uſum datur: ſive certo loco aut tempore datur; quod plerumq; ſolam commodatarii utilitatem continet. *l.* 5. §. 2. *ff. commodati*: cujus etiam nomine

duplex actio proponitur: Directa domino, rei ſuæ recuperandæ gratia; contraria vero ei, qui commodato accepit, variis ex cauſis. *tit. 6. Commodati vel contra.* 2. *Pignus* (cujus utilitas in uſum irrepſit) Quod quidem etſi dicatur utriuſque gratia dari, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur: & creditoris, quo magis in turo ſit creditum. *l.* 5. §. 2. *ff. commodati.* §. *ult. inſt. quib. mod. re contr. obl.* & in ſummam, ut dicitur eleganter a Papiniano, pignus proponitur (ſupponitur, opponitur) propter contractus fidem, ac reſtituendæ rei vinculum; & pignus debitor diſtrahere poteſt, ut ad ſuum commodum perveniat. *l. 6. ff. de diſtract. pign.* attamen creditoris potiſſimum utilitatem continet. Ejus porro nomine pariter duæ actiones competunt: una directa, quæ datur debitori adverſus creditorem ad pignus recuperandum, ſoluto debito: Contraria, creditori adverſus debitorem, ad impenſas forte in rem pignoratam factas recuperandas. Quæ actiones proprie *Pignoratitiæ* dicuntur (nam de hypothecaria, quæ adverſus tertium poſſeſſorem competit, agetur proprie libro 20.) *tit. ult. de Pignoratitia actione, vel contra.*

EX-

Ex Lib. XIV.

De Actionibus, & Incerti petitionibus, quæ ex Alieno Gesto *dantur, vel non.*

2. *Secunda* contractuum, seu obligationum Re species, ex quibus incertum petitur, est eorum, in quibus *alterius alicujus quam contrahentis* negotium geritur quæriturq; adeo, quatenus seu in quantum alter teneatur, & retro is actionem habeat ex alterius gesto, ut quinque casibus sequentibus; de quibus hoc eodem loco ordineque actum fuit in Edicto. 1. *Exercitoris* (i.e. ejus, qui navem exercet.) negotium geritur a Magistro navis (i.e. ab eo, qui navi præpositus est]. Nam si ab isto negotium aliquod gestum fuerit, ejus rei nomine cui impositus est, in ipsum Exercitorem, [i.e. dominum) actio eo nomine in solidum transfertur, quæ ab exercitore, *exercitoria* dicitur. *tit.* 1. *de Exercitoria actione*.

2. *Vectorum* quoque (id est eorum, qui eadem navi vehuntur) a convectore vel Magistro navis, negotium quodammodo geritur (quodam quasi contractus cum alio initi genere.] Ei quippe, qui se mari incerto una cum aliis vectoribus credidit

(ut loquitur Rutilius, inter alios) maritimaque tempeſtate oborta, inclementis fortunæ cohibendæ, cum ventis decidit (ut ad rem loquitur Juvenalis *Satyra* 14. ſicut Seneca dixit. 4. *Nat.* 6. cum grandine paciſci), jactu mercium ſuarum in mare facto, in convectores alios actio datur, ad agnoſcendam ſcil. jacturæ partem, ut ita quod pro omnibus datum eſt, omnium contributione ſarciatur. Quod quidem Legis Rhodiæ de re nautica caput inter alia fuit: Rhodiæ inquam, i.e. Rhodienſium, quorum, utpote qui & Maris aliquando imperium tenuere, nauticæq; rei diſciplina excellebant, Leges quædam a Romanis quanquam victoribus receptæ fuerunt. Et hæc eſt ſententia ſimul & connexio [de qua hactenus anxie laboratur) cum ſuperioribus *tit.* 2. *de Lege Rhodia de jactu*.

Non vero quaſi hic titulus ceu ſcapha ſuperiori ſubjectus fuerit. In Edicto ſane Prætoris de hac lege Rhodia de jactu actum videmus junctim cum titulo de locato, uti colligo ex ordine librorum Pauli ad Edictum, ac nominatim ex ejus *l.* 2. *de L. Rhodia de jactu*.

3. *Negotiatoris* item alicujus negotium geritur ex alieno geſtu, puta ab *Inſtitore* ejus

ejus (i.e. ab eo, qui præpoſitus eſt negotiationi alienæ) contrahente ejus rei gratia, cui præpoſitus eſt ; ſic ut ex negotio Inſtitoris ei & in eum actio in ſolidum competat, quæ *Inſtitoria* vocatur a perſona miniſtrante , ut exercitoria a domino. *tit. 3. de Exercitoria actione.*

4. *Domini* quoque *& Patris* negotium quandoque geritur , reſque vertitur , ex filiorum , ſervorum , liberorumque hominum ab his poſſeſſorum contractu , & ſic vi poteſtatis . De quo eodem ordine locoque actum fuit in Edicto. Hac vero parte diſtinguendum venit : Vel enim filii ſervive ſcientibus Parentibus & Dominis , vel neſcientibus contrahunt , vel denique expreſſe jubentibus . 1. Si *ſcientibus* iis filii ſervive in merce peculiari negotientnr, ejuſq; rei cauſa quid cum his contractum fuerit , Parentibus autem vel Dominis a filiis vel ſervis aliquid quoque debeatur , quicquid in merce peculiari eſt , inter illos & creditores pro rata portione *tribui* (i. e. dividi) debet : diviſione tamen ipſi domino conceſſa , vel ſi diviſio inique facta fuerit , reformari : unde *Tributoriæ* actioni nomen inditum a tribuendo . *titul. 4. de Tributoria actione .*

2. *Neſcientibus* Patribus vel Dominis , ſi quod cum his qui in eorum poteſtate

ſunt, negotium geſtum erit, actio regulariter non datur. *tit.* 5. *Quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicetur*. Ac nominatim ex cauſa mutui contracti, patre inſcio, filius familias neque patrem, neque ſe, ne poſt mortem quidem patris ullo modo obligat. Et hæc eſt ſententia S. C. Macedoniani. *tit. ult. de S. C. Macedoniano*.

EX LIB. XV.

APPENDIX LIBRI SUPERIORIS XIV.

SUperior regula de neſcientibus Dominis vel Parentibus, ut in eos actio regulariter non detur ex contractu filiorum & ſervorum, duas patitur exceptiones, & eas tamen non in totum, ſed in tantum. 1. Si *Peculium* ii habeant: ad finem quippe peculii Pater, & Dominus tenentur actione de Peculio, ex juſta præſumptione. *tit.* 1. *de Peculio*. Et hæc ipſa tamen actio non ſemper perpetua eſt, verum annua tantum, extincto videlicet Peculio. *titul.* 2. *Quando de peculio actio annalis eſt*. Secunda exceptio eſt, ſi in *rem* Patris vel Domini *verſum* quid fuerit: nam quatenus in rem Patris Dominive ver-

verſum eſt, hactenus quoque actio in eos æquitate ſuadente competit. *tit.* 3. *de in rem verſo.* 3. *Jubentibus* denique Dominis vel Patribus, ſi filii ſervive contraxerint, in ſolidum jam Patrem vel Dominum ii obligant. *tit. ult. quod juſſu.* Et ita quidem hi tres tituli ſuperiori libro ſubjiciuntur, pariter ut in Edicto eodem ſitu: at non & ordine, nam in Edicto hi tituli hujus libri paulo aliter poſiti videntur.

Ex Lib. XVI.

I. Appendix *altera libri* 14.
II. *De* Contractu, *ſeu obligatione* Ex Re: ubi unius *tantum e contrahentibus utilitas vertitur.*

Debitoris certe cujuſcunque negotium Mulier inutiliter gerit, apud creditorem ejus intercedendo; mulieres enim fruſtra pro aliis ſeſe obligant. Quæ Sententia eſt Senatuſconſulti Vellejani. *tit.* 1. *ad S. C. Vellejanum.*

Qui ita ſuperioribus apte cohæret, pariter ut in Edicto cohæſit.

Judiciali quoque aliquo quaſi *contractu*, nego-

negotium alterius quandoque geritur, ut ecce, ſi cum tibi obligatus eſſem, litem mecum tu conteſtatus fueris [atque ita judicio quaſi contraxeris. *leg.* 3. §. *idem ſcribit* 11. *ff. de peculio*) rem meam omnino certo caſu geſſeris: Nam ſi tu viciſſim obligatus mihi ex alia cauſa ſis, adquires mihi exceptionem *compenſationis*: Ac maxime negotium meum hac parte geſſeris; ſi naturaliter tantum mihi fueris obligatus: nam quod natura debetur, etſi peti non poſſit, venit tamen in compenſationem. *tit.* 2. *de compenſationibus.*

Atque ita hic titulus ſuperioribus recte cohæret, ut etiam cohæſit in Edicto perpetuo.

3. Tertia ſpecies contractuum, & ultima quidem obligationum ex re, ex quibus incertum formula ſeu actione petitur, eſt eorum, in quibus *Unius tantum e contrahentibus negotium geritur*: veluti in *depoſito*: Dat enim depoſitarius beneficium in ſuſcipienda re; cum depoſitum ſit conventio gratis ſervandæ ſeu cuſtodiendæ rei alienæ. *tit. ult. Depoſiti vel contra.* Et ita quoque hic titulus in Edicto poſitus erat.

Ex

Ex Lib. XVII.

1. *De* Mandato. 2. *& de* Societate.

SEquuntur actiones, seu petitiones incerti, quæ enascuntur ex obligationibus ex Consensu, puta Mandato, Societate, Emptione, Venditione, Locato, Conducto, & similibus. Sic enim hic ordo quoque reddi potest: modo meminerimus, agi de incerti petitionibus. Et primo quidem loco occurrit 4. *Mixtus* quidam contractus, ex quo incertum petitur, puta *Mandatum*, i. e. conventio, qua roganti fides datur gratis procurandæ alicujus rei. Fit enim Mandatum modo unius tantum contrahentium, modo utriusque, modo tertii alicujus gratia: Unde & duplex actio nascitur: directa, quæ domino negotii datur: contraria vero, quæ mandatario, seu mandanti. *tit.* 1. *Mandati vel contra.*

5. *Ultima* contractuum, seu obligationum ex quibus incertum petitur, & quidem obligationum ex *consensu*, species est eorum, qui utriusque contrahentium semper utilitatem continent: unde ex utroque latere directa jam actio nascitur. Quo in censu sunt sex: Societas, Emptio, Venditio,

ditio, Locatio, Conductio, Æſtimatoria, Permutatio, & contractus innominati. Porro quæ utilitas in his vertitur, aliquando eſt inæqualis; etſi plerumque æqualis. 1. *Inæqualis* inquam aliquando: quod in unico *Societatis* contractu cernitur ſeu evenit. Nam & Societas ita iniri poteſt, ut inæquales partes ſocii ex ſocietate ferant. *tit.* 2. *pro Socio.*

EE LIB. XVIII.

De Contractibus, ſeu Obligationibus ex conſenſu, UTRIUSQVE *utilitatem æqualiter continentibus: ac primum*

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

ÆQualiter tandem utriuſque contrahentis utilitas vertitur, in quinque ſequentibus contractuum ſpeciebus.

1. Primum quidem in *Emptione venditione*: de cujus ſubſtantia, forma, materia, & effectu, agitur hoc integro libro, & inſuper *tit.* 1. *lib. proxime ſequentis.* 1. *De ſubſtantia* ſcil. emptionis venditionis, ut & de nonnullis in ea *pactionibus* & legibus, ſeu conditionibus, quæ ſcil. ei apponi poſſunt, vel quandoque ſolent, agitur

tit.

tit. 1. *de Contrahenda emptione*, *& de pactis inter Emptorem & Venditorem compoſitis*. Inter quas leges, conditiones ſeu conventiones, ſingulares hæ duæ ſunt: puta, *In diem addictio* (i.e. cum venditioni hæc lex ſeu conditio adjicitur, ut ſi melior intra certum tempus conditio ab alio adferatur, a priore emptione diſcedatur) *tit.* 2. *de in diem addictione*. 2. *Lex Commiſſoria* [i. e. pactio, qua convenit, ut ſi ad diem pecunia ſoluta non fuerit, res vendita *committatur*, id eſt reſolvatur, & ad venditorem, ſi is velit, recurrat ſive revertatur). *tit.* 3. *de lege Commiſſoria*. Hactenus de ſubſtantia, pactiſque venditioni emptioni adjectis.

2. Quod *materiam* venditionis emptionis attinet, non tantum res corporales, ſed & incorporales vendi ſolent & poſſunt, veluti hæreditas, & actio, in quibus quid venditum intelligatur, quidque alterum alteri ex hac cauſa præſtare oporteat, explicat *tit.* 4. *de hæreditate vel actione vendita*.

2. *Vis & effectus* perfectæ venditionis quatuor ſubjiciuntur. 1. Perfecta ſemel venditio *reſcindi*, ſeu ab ea ab una parte recedi non poteſt, exceptis certis caſibus, quibus perfecta etiam quandoque venditio reſcinditur, & ab ea impune recedere licet.

cet. *tit.* 5 *de reſcindenda venditione, & quando liceat ab emptione diſcedere.*

2. *Periculum* & commodum rei venditæ ſtatim ut perfecta eſt venditio, ad emptorem migrat ſeu tranſit. *tit.* 6. *de Periculo & commodo rei venditæ.* 3. Regulariter venditori competit actio ad implendum contractum; Exceptis certis & ſingularibus quibuſdam caſibus, qui hic præmittuntur titulo mox ſecuturo de actionibus empti & venditi, quibus ob non impletam conditionem actione opus non eſt, verum vel confiſcationi locus fit, vel manus injectionem venditor habet, vel ipſo jure quid perficitur, quod ab emptore implendum erat; vel denique irritum fit id quod ab emptore factum fuerit: puta, quando conditionem impleri, venditoris peculiariter non intereſt, ut in tribus ſequentibus caſibus, 1. ſi venditus fuerit ſervus, ea conditione a Domino, *ut exportaretur* (ἐπ' ἐξαγωγῇ) hoc enim caſu, ſi legi ab emptore non pareatur, vel ſervus in fiſcum redigitur, vel venditori in eum manus injectio eſt. 2. Si venditus fuit ſervus ut *manumitteretur*: nam ſi legem non expleat emptor, ſervo ex Conſtitutione Marci & Commodi libertas ipſo jure repræſentatur. 3. vel retro, *ut ne manumitteretur:*

teretur : quæ pactio efficit, ne manumisso ab emptore libertas competat. *tit. ult. de servis exportandis, vel si ita mancipium venierit, ut manumittatur, vel contra.*

Ex Lib. XIX.

1. *De* Empt. et Vendit. adhuc. 2. *De* cæteris *quinque speciebus Obligationum ex consensu, seu contractuum, in quibus utriusque contrahentium utilitas æqualiter vertitur.*

4. Regulariter alioquin, ut dixi, & in commune, venditionis perfectæ effectus hic est, ut *Actionem empti venditi* producat, ad implendum videlicet ultro citroque contractum: (nam tres tituli, qui continentur *lib.*21. pertinent ad consequentiam Emptionis, non ad impletionem contractus. (Venditori scil. actio empti venditi competit adversus emptorem ad pretium, ejusque tardius soluti, usuras accipiendas: Et vicissim emptori, adversus venditorem, ad rem emptam accipiendam, & si quid ejus interfit sua die rem traditam. *tit.* 1. *de Actionibus empti & venditi.* Et hæc quidem de Emptione & venditione.

2. *Locatio conductio* quoque, quæ Emptioni

ptioni & venditioni proxima eſt, æqualiter utriuſque contrahentis utilitatem continet. *tit.* 2. *Locati conducti*.

3. Item *æſtimatæ rei venditæ traditio*, nam & hic contractus emptionis ſimilis eſt, unde *æſtimatoriæ actioni* nomen. *tit.* 3. *de Æſtimatoria.*

4. *Rerum permutatio* itidem aperte utriuſque contrahentium utilitatem continet. *tit.* 4. *de rerum permutationibus*.

Denique *innominati Contractus* quidam ſunt, qui utriuſque contrahentium utilitatem continent, & permutationi accedunt, & ex quibus incertum petitur, (unde *incerti Civilis actio* ex iis competere dicitur. *l.* 7. §. 2. *in fin. de Pactis*) veluti hi quatuor, *do ut des*, *do ut facias*; *facio ut des*, *facio ut facias*: Ex quibus quæ actio competit, *præſcriptis verbis* dicitur; ideo ſcilic. quia negotium, quod certo nomine exprimi non poteſt, per rei geſtæ notationem, narrationem, verborumque circumſcriptionem, exprimitur: (videnda eſt lex 6. *de tranſactionibus*). *tit. ult. de præſcriptis verbis*, *& in factum actionibus*.

PARS

PARS QUARTA
DIGESTORUM,

Conſtans Libris 8.

Qua agitur

1. *De Tribus* ADMINICULIS & ACCESSORIIS *rerum creditarum lib.* 20. 21. 22.
2. *De* NUPTIIS *lib.* 23. 24. 25.
3. *Et de* TUTELIS *lib.* 26. *&* 27.

EX LIB. XX.

De Adminiculis Rerum Creditarum, ac primum de PIGNORIBUS *& Hypothecis.*

ADminicula, ſeu pediſſequæ actiones, παρακολουθήματα, rerum creditarum ſeu contractuum, nunc tribus libris interjiciuntur a Juſtiniano: interrupto, quod ipſemet profitetur, duabus conſtitutionibus *de confirmatione Digeſtorum*, Edicti perpetui ordine.

Nam

Nam ut de duobus libris, puta 20. & 21. dicam, in Edicto poſt titulos de Actionibus empti, locati, de Æſtimatoria: ſubjiciebatur ſtatim tractatus de Nuptiis; & longo poſt intervallo in Edicto actum de Actione Serviana, & de Salviano interdicto pignorum nomine: in tractatu videlicet de Interdictis: de Edicto vero Ædilitio nihil in Edicto Prætoris continebatur, cum de eo proprium eſſet Ædilium Curulium Edictum. De Exceptione rei venditæ, actum in tractatu de Exceptionibus. De evictionibus actum ſuo, & continuo loco, in tractatu de empti, & venditi actione. Tandem de duplici ſtipulatione in materia de ſtipulationibus. Igitur hæc omnia hunc in locum a Juſtiniano compulſa, congeſta, eo fine ut tractatus de pignoribus & hypothecis longe diſtaret a tractatu de pignoratitia actione: & quia cætera Emptionum & venditionum conſectanea eſſent, & actiones hæ quaſi pediſſequæ illarum, ut ita quæ de eodem loquuntur, jungerentur. Quæ omnia Juſtinianus ipſe præfatur. Quod librum 22. attinet, non aliam Juſtinianus ordinis rationem reddit, niſi hunc librum ſeu tractatum excogitatum *de Uſuris*, *Probationibus*, *& Præſumptionibus*, & juxta tractatum de rebus collocatum. Nihil ſcilic.

de

de his in edicto Prætoris comprehenſum fuerat, & viſus hic locus opportunior Juſtiniano huic tractatui interjungendo: Nobis interim hæc ſeries placet, ad tuendum Juſtiniani inſtitutum.

Adminicula, ſeu *pediſſequæ* actiones rerum creditarum varii generis ſunt: His enim vel ſecuritas creditori conciliatur, vel indemnitas emptori, vel lucrum adventitium quæritur, vel denique mixturæ quid ex his omnibus eſt.

1. *Securitas creditori* conciliatur Pignoribus & Hypothecis, quorum tractatus ad ſex capita refertur. Primo de his agitur in genere, 2. ut & de modo pignoris contrahendi, *tit.* 1. *de pignoribus & hypothecis*. Inter quæ & illud eſt, quod pignora & hypothecæ, non expreſſe, ſeu manifeſtarie tantum, verum etiam tacite quandoque, ſeu juſta quadam præſumptione, præſumptaque partium voluntate, vel legis ſeu juris diſpoſitione, poteſtateque contrahuntur, (unde duæ pignoris & hypothecæ ſpecies enaſcuntur, expreſſum & tacitum). *titul.* 2. *In quibus cauſis pignus vel hypotheca tacite contrahitur*.

Et hæc de modo contrahendi pignoris, ejuſque adeo ſpeciebus. 3. Nunc *de rebus*, quæ pignori obligari poſſunt: ſcilic. non

om-

omnes res pignori obligari poſſunt, neque ab omnibus. *tit. 3. quæ res pignori vel hypothecæ datæ obligari non poſſunt.*

4. *Jus* in pignore ſæpe evenit ut plures habeant: Sic quidem, ut quia modus ejus non omnibus ſufficit, alii aliis potiores ſint pignore vel hypotheca: veluti. 1. *Tempore* priores; quive in priorum locum ſucceſſerunt. 2. *Privilegio* potiores, ſeu privilegiati. *tit. 4. Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur.*

5. Superioribus ita conſtitutis, *utilitas* jam pignoris hæc eſt, ut diſtractio ejus, debitore in ſolutione ceſſante, permiſſa ſit, ſolennibus tamen juris præmiſſis. *tit. 6. de diſtractione pignorum & hypothecarum.*

6. *Solvitur* denique pignus certis modis, puta ſatisfaciente quoquo modo debitore. *tit ult. quibus modis pignus, vel hypotheca ſolvitur.*

EX LIB. XXI.

De Adminiculis, ſeu Remediis EMPTORI *competentibus*

2. INdemnitas emptori nominatim, conciliatur, ſeu quæritur remediis, ſeu adminiculis ſequentibus, & actionibus pe-

pediſſequis ſeu Miniſtris παρακολουθήμασι
Ac primo quidem *Ædilitiis* actionibus arbitrariis, quæ proditæ ſunt ab Ædilibus Curulibus (penes quos cura fori rerumque venalium erat, & ut venditiones rite celebrarentur, fraude omni ſubmota.) Nam ſi damnum ſit *in re empta*, puta ſi vitium aliquod in ea ſit animi aut corporis, aut morbus occultus, ob eam venditoris reticentiam, emptori actio datur. Item ſi venditor aliquid dixerit promiſeritve circa rem venditam, duplex his caſibus Ædilitii Edicti remedium competit. 1. *Redhibitionis*, i. e. ut venditione in totum reſciſſa, venditor rem refuſo pretio recipiat. 2. *Æſtimatoria quanto minoris*: qua quidem actione venditio non reſcinditur, verum ex pretio tantum detrahitur redditurque Emptori, quo minoris res eſt, & quanto minoris is emiſſet, ſi vitia illa ſciviſſet. *tit.* 1. *de Ædilitio Edicto, & redhibitione, & quanto minoris*. Si vero *Extrinſecus* damnum accidit, ut quia res empta a tertio revera evicta fuit, adverſus venditorem actio competit, modo in ſimplum, modo in duplum ex ædilitia ſtipulatione. *tit.* 2. *de Evictionibus, & duplici ſtipulatione*. Et ita quidem hic titulus ſuperiori con-

nectitur & continuatur: non quaſi Ædilitio Edicto applicentur ædilitiæ ſtipulationes.

Adverſus evincentem alioquin quemcunque emptori competit exceptio rei venditæ & traditæ. *tit. ult. de Exceptione rei venditæ & traditæ.*

Et hactenus quidem de iis adminiculis, quæ rebus creditis propria ſunt.

EX LIB. XXII.

De Tribus aliis Adminiculis, puta de USURIS, PROBATIONIBUS, *&* IGNORANTIA.

SEquuntur deinceps tria *Adminicula* alia, quæ ut rebus creditis quoque competunt, ita ad perſonarum quoque nexum, & ad cauſas alias (imo & Criminales) ambitu ſuo pertinent. Unde hoc loco poſita ſunt quaſi in confinio, inter tractatum de actionibus deſcendentibus ex rebus creditis, ſeu contractu, & iis quæ deſcendunt ex perſonarum credito.

3. *Lucrum* igitur *adventitium* creditori cuicunque, ſeu ex quacunque cauſa, ſive ex contractu, quod frequentiſſimum, ſive ex perſonarum nexu, quæritur, extra ſeu præter rem ipſam, uſuris, fructibus & cauſis

cauſis, & omnibus aliis acceſſionibus; Quæ ex ſola mora quandoque debentur. *tit.* 1. *de Uſuris & Fructibus, & cauſis, & omnibus acceſſionibus, & mora.*

Cæterum uberrimæ maximæque uſuræ permittuntur, quoties pecunia [i.e. res quælibet credita] periculo creditoris eſt, veluti ſi navigaturo ea conditione credatur, idque eſt, quod nauticum fœnus, & *pecunia trajectitia* dicitur. *tit.* 2. *de Nautico fœnore.*

4. *Mixtam* cauſam ſuperioribus omnibus, obtinent ſequentia adminicula & accidentia rerum & actionum, non tantum in actionibus, quæ deſcendunt ex rebus creditis, verum etiam in iis, quæ deſcendunt ex nexu perſonarum, imo & in criminalibus. 1. Primum *Probationes* & Præſumptiones. *tit.* 3. *de Probationibus & Præſumptionibus:* quæ quidem fiunt vel per inſtrumenta: *tit.* 4. *de Fide Inſtrumentorum & amiſſione eorum*: vel per teſtes. *tit.* 5. *de teſtib.*

2. Item *Ignorantia*, cujus in contrahendo, vel quaſi contrahendo aliiſque juris materiis, ſeu articulis ſæpe ratio habetur. Ignorantia enim, quandoque lucro captando, modo ad damnum ſaltem evitandum, prodeſt. Qua parte, [ut breve faciam] tenenda eſt Papiniani regula: *Errorem fae-*

ti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obeſſe: Juris autem errorem ne quidem fœminis in compendiis prodeſſe: Cæterum, omnibus juris errorem in damnis amittendæ rei, non nocere. tit. ult. de Juris & facti ignorantia.

Hactenus de rebus creditis, & adminiculis ſeu pediſſequis actionum, quæ ex iis deſcendunt, ſive propriis, ſive communibus cum iis, quæ deſcendunt ex perſonarum nexu, de quibus mox ſtatim.

Nunc ad ordinem Edicti perpetui reditur.

EX LIB. XXIII.

De NUPTIIS. *Ac primum de tempore Nuptias præcurrente.*

6. SExtum civilium controverſiarum genus naſcitur ex quodam *Perſonarum nexu*, ſeu credito, ſic ut dicam, ſeu ex quaſi contractu, ob aliquod ſcilicet animorum & perſonarum vinculum, quandoque etiam, nulla re intercedente. Hujus vero generis ſunt duo ſequentia. 1. *Nuptiæ* ſeu Matrimonium. 2. *& Tutela*. De quibus deinceps agitur, libris ſequentibus quinque, ſervato hac quoque parte Edicti perpetui ordine. Nuptiæ, inquam, creditis,

diti, ſeu nexus perſonalis ſpecies eſt, & ideo de eo hic agitur per ſe, non occaſione dotis dictionis tantum, quod nonnulli parum apte cenſebant.

1. In *Nuptiis* tria tempora ſpectanda ſunt. 1. Præcedens eas. 2. Intercedens, & conſtantis Matrimonii. 3. Succedens, ſeu tempus contrahendi, conſtantis, ſoluti Matrimonii: duo ſcilicet ἐρίσματα, tertium vero, μέσον.

1. In *contrahendis* nuptiis hæ tres viſiones occurrunt. 1. *Sponſalia*, quæ ſunt mentio & repromiſſio futurarum Nuptiarum. *tit.* 1. *de Sponſalibus*. 2. *Ritus Nuptiarum*, (verbo Pontificali) i. e. quomodo ſeu qua ſolennitate, & inter quas perſonas rite, ſeu ſecundum leges nuptiæ contrahi, vel conſiſtere poſſint. *tit.* 2. *de Ritu Nuptiarum*. 3. *Dotis* ab uxore datio, dictio, vel promiſſio. Cujus ſane jus varium admodum eſt & multiplex, imo & ſingulare. *tit.* 3. *De Jure Dotium*. Sed & aliquando, prout pacta dotalia interceſſerunt, quæ utique admittuntur, ſi modo dotis conditionem deteriorem non faciant, neque bonis moribus, aut Juri Civili adverſentur. *tit.* 4. *de Pactis dotalibus*. Illud Dotis inæſtimatæ ſingulare eſt, ex L. Julia, ut ne maritus, licet dominus

dotis, fundum dotalem inæſtimatum (ἀδιατίμητον) alienare vel obligare poſſit. *tit. ult. de fundo dotali.*

EX LIB. XXIV.

De his quæ ſpectant ad TEMPUS *conſtantis Matrimonii, & ad conſequens, ex parte Mulieris.*

CONſtante matrimonio hæc duo incurrunt. 1. *Donationes* inter virum & uxorem; quæ utique prohibitæ ſunt. *tit.* 1. *de Donationibus inter virum & uxorem.* Quanquam hic titulus in Edicto poſitus videtur in cenſu, ſeu ordine eorum, qui pertinent ad actiones, ſoluto Matrimonio. 3. *Mali mores* conjugum, qui divortiis cauſam dare ſolent, uti & repudiis inter ſponſos. *tit.* 2. *de Divortiis & repudiis.*

3. *Soluto Matrimonio*, ſeu dirempto jam, actiones ſequentes enaſcuntur, tum a parte mulieris, tum a parte viri, tandem & ab utraque parte.

1. *A parte Mulieris*, dotis repetitio inſtituitur (neque enim conſtante matrimonio dos repeti poteſt, niſi marito ad inopiam vergente. Cæterum, a quo, quando

quando, qua formula, quatenus dos peti ſoluto matrimonio poſſit, tractatur *tit. ult. Soluto Matrimonio dos quemadm. petatur*. A quo titulo digeſtum *Infortiatum*, quod vocant, initium ducit.

Ex Lib. XXV.

De his quæ ſpectant ad

1. Tempus Consequens *Nuptias, tum a parte viri, tum ab utraque.*
2. *& De Adfini quodam Nuptiarum.*

1. A *Parte viri* ſoluto matrimonio actio, ſeu reputatio adverſus repetitionem dotis ſæpe competit: puta impenſarum in res dotales factarum nomine. *tit.* 1. *de Impenſis in res dotales factis.*

3. *Ab utraque* tandem *parte* ſoluto matrimonio ſequentes actiones competunt; eæque partim rerum, partim liberorum nomine. 1. *Rerum*, puta rerum conſtante matrimonio amotarum, i. e. ſublatarum, *amovendi* enim vox hæc electa, ut alia nonnulla, ad mitigandam ſcilicet lenitate verbi rei triſtitiam, propter reverentiam memoriamque veteris conjugii: quæ quidem actio, ut dixi utrique conjugum communis eſt: (quo etiam nomine peculiaris marito retentio ex dote olim dabatur) ob res inquam amotas. *tit.* 2. *de*

Actione rerum amotarum. 2. *Liberorum* etiam nomine ſoluto matrimonio non jam retentiones, ut olim quandoque, verum actiones hinc inde variæ competunt: idque qua ſuſceptorum vel editorum, qua ſuſcipiendorum liberorum nomine (quo pertinent ſequentes quatuor tituli) 1. *Suſceptorum* liberorum nomine, ſoluto ſcilicet matrimonio maritus ex ſe ſuſceptos liberos agnoſcere alereque tenetur, ſi modo uxor ei poſt divortium teſtato denunciaverit, ſe ex eo prægnantem eſſe, neque is contra denunciavit: quæ ſententia eſt SC. Planciani. *tit.* 3. *de agnoſcendis & alendis liberis*, ubi ob cognationem materiæ additum *vel parentibus, vel patronis, vel libertis*.

2. *Suſcipiendorum* item liberorum ſoluto matrimonio nomine, hæ duæ actiones quandoque incurrunt. I. Inſpiciendus ſcilicet venter, & cuſtodiendus partus quandoque venit, idque tribus ex cauſis, vivo partim, partim mortuo marito. 1. *Vivo*, ſi mulier poſt divortium dicat ſe ex viro eſſe prægnantem, idque maritus neget. 2. Retro ſi mulier neget, ſe ex viro eſſe prægnantem. 3. Denique ſi *mortuo* marito dicat ſe eſſe prægnantem. *tit.* 4. *de Inſpiciendo ventre, cuſtodiendoque partu*. 2. *In poſſeſſionem* quoque bonorum,

ante

ante editionem partus, mulier mittenda quandoque venit. Qua parte tamen, ne fraudibus mulierum locus fiat, neve aliis prædæ inde occaſio præbeatur, duobus titulis ſequentibus occurritur. Primo ne in poſſeſſionem miſſa mulier circumſcribendi alicujus cauſa, clam, & per quandam machinationem alium in poſſeſſionem introducat. *tit.* 5. *ſi ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium translata eſſe dicatur.* Secundo, ne ſciens prudens ſe prægnantem non eſſe, vel ex alio, in poſſeſſionem veniat. *tit.* 6. *ſi mulier ventris nomine in poſſeſſione calumniæ cauſa eſſe dicetur.*

Adfine tandem nuptiarum, ſeu imitamentum quoddam matrimonii, hic ſubjicitur, quod eſt *Concubinatus*, licita potius vel permiſſa jure Romano civili conjunctio, ſeu conſuetudo, quam legitima ſeu ritu ullo riteque contracta. *tit. ult. de Concubinis.*

Ex Lib. XXVI.

De Tutela, *deque his quæ ſpectant ad Tutelam.* 1. Deferendam, 2. Conſtantem.

11. *Tutelæ*, ſecunda eſt perſonarum nexus, ſive crediti, quaſique con-

tractus, ſpecies: Tutori quippe pupilli perſona creditur, fideique ejus committitur, ſevandaque commendatur: (Hæc enim etiam *credendi* nominis vis eſt. De Tutelis porro in genere primo agitur, quinam videlicet & quibus tutores conſtituantur, vel non, & quemadmodum. *tit.* 1. *de tutelis*.

In ſpecie, in tutelis (pariter ut in nuptiis) tria tempora ſpectare oportet: Eas præcurrens, iis concurrens, denique [ſic ut dicam facilioris traditionis cauſa] poſtcurrens: ſeu tempus tutelæ deferendæ, delatæ ſeu conſtantis, & finitæ.

1. Defertur, ſeu mandatur Tutela tribus modis; unde & tres tutelæ ſpecies enaſcuntur: Primum *Teſtamento* (unde *teſtamentariæ* tutelæ nomen) a parentibus Tutores dari ſolent liberis in poteſtate habentibus, cujus prima potiſſimaque ratio habetur. *tit.* 2. *de teſtamentaria tutela*: Adeo quidem, ut etiam ſi inutiliter, ſeu mero jure, non recte datus ſit Tutor teſtamento, confirmandus tamen quandoque veniat: & quidem aliquando, ſine inquiſitione. *tit.* 3. *de confirmando Tutore vel Curatore*.

Secundo *Lege* Tutela defertur; [quæ *legitima* ideo dicitur, & Tutores ipſi *legitimi*] teſtamentaria ſcilicet deficiente: nam

nam ſemper legitimam teſtamentaria prævertit. *tit.* 4. *de Legitimis Tutoribus*.

Denique *Magiſtratus providentia* tutela mandatur, [quæ *honoraria* ſeu *dativa* dicitur] deficientibus duabus ſuperioribus. *tit.* 5. *de Tutoribus & Curatoribus datis ab his, qui jus dandi habent, & qui, & in quibus cauſis ſpecialiter dari poſſint*. Idque petentibus perſonis nonnullis ex officio, ſeu neceſſitate; qualis eſt mater, avia, & libertus: Tenentur enim hæ perſonæ liberis ſuis, & Patroni liberis tutores petere; Alioquin mater & avia ſucceſſione liberorum multantur, ex Conſtitutione D. Severi; & liberti puniuntur: De quo, ut & de loco ubi Tutores ita peti poſſint, eſt *tit.* 6. *qui petant Tutores, vel Curatores, & ubi petantur*.

2. Poſt delatam & acceptam tutelam, tria capita, ſeu tres viſiones incurrunt, quæ *officium Tutoris* reſpiciunt. Primo, in quibus conſiſtat officium Tutoris, nempe in duobus. 1. In *Adminiſtratione*: Adminiſtrare ſcilicet tutelam (Inventario ante omnia perfecto) ſi plures ſint, vel omnes debent, vel unus, ſi id utilius ſit, vel de parentis, vel de majoris partis tutorum ſententia, vel ejus, cujus ea de re juriſdictio eſt: quo caſu nihilominus cæteri honorarii Tutores adminiſtrationis

alienæ periculum agnoſcunt, ſeu periculi vicarii ſunt. Adminiſtrationis porro iſtius ut variæ ſunt partes, ita neque ultima pars eſt, Actiones pupilli exercere, & excipere. *tit.* 4. *de adminiſtratione & periculo Tutorum & Curatorum, qui geſſerint vel non, & de agentibus vel conveniendis uno, vel pluribus.* Officium Tutoris conſiſtit in *Auctoritate* & conſenſu pupillis caute præbendo, i. e. in approbando eo quod cum pupillis agitur. Quæ quidem auctoritas quando neceſſaria ſit, & qualis, explicatur *tit.* 8. *de Auctoritate & conſenſu Tutorum & Curatorum.*

3. Secundo, vice verſa, quando ex Tutoris vel Curatoris facto, i. e. adminiſtratione, geſto, contractu, dolo, culpa, pupillus vel adultus actionem exercere, vel conveniri poſſit, tractatur *tit.* 9. *Quando ex facto Tutoris vel Curatoris minores agere, vel conveniri poſſunt.*

3. *Suſpecti* denique ſi ſint Tutores, i. e. ſi tutelam non ex fide gerant, ordinaria & publica accuſatione removendi veniunt, modo cum infamia, modo ſine infamia. *tit. ult. de ſuſpect. Tutorib. & Curatorib.*

Ex

Ex Lib. XXVII.

1. *De his quæ ſpectant, tum ad* Tutelam *deferendam, tum ad delatam jam*: 2. *De his quæ ad* Finitam.

3. Mixta quædam capita ſunt, quæ modo deferendæ, modo conſtantis tutelæ tempore incurrunt: idque tum a parte Tutoris, tum a parte pupilli. 1. A parte Tutoris ſunt *Excuſationes*: Sunt enim cauſæ quædam, quæ a deferenda tantum tutela excuſant (aliæ vero a cœpta quoque. *tit.* 1. *de Excuſationibus*. 2. A parte pupilli actiones ſeu tractatus hi incurrunt. 1. Ubi *educari* & morari pupillus debeat; quod quidem & ab initio, & durante tutelæ officio agitari poteſt. In eo vero multum ſitum eſt, ſive ut moribus, ſive ut vitæ pupilli conſulatur: ſane apud eum ante omnes educari pupillus debet, quem pater deſtinavit, niſi id pupillo non expediat: alias apud matrem, niſi vitricum ſuperduxerit: denique apud alios parentes non ſuſpectos, ſuperioribus deficientibus. 2. Ut *alimenta* pupillo præſtentur, quæ certe facultatum & dignitatis ratione habita, decreto Prætoris conſtituuntur. *tit.* 2. *ubi pupillus educari, vel*

mo-

morari debeat, vel de alimentis pupillo præſtandis.

Et ita quidem hi tituli ſuperioribus, & proxime ſequentibus, cohærent.

4. *Finita* tandem tutela & cura, *Actiones* ultro citroque competunt. Et *directa* quidem pupillo, eaque duplex: prior actio *tutelæ*, ad rationes adminiſtratæ tutelæ ſibi reddendas a Tutore, & in id libris rationum edendis: quæ & ipſa (utilis ſcilicet) adulto accommodatur contra Curatorem: Altera, *rationibus diſtrahendis*; quæ quidem actio pupillo datur in duplum adverſus eum, qui in gerenda tutela, pecuniam, vel quam aliam rem averrit, ſubripuit. *tit. 3. de Tutelæ & rationibus diſtrahendis, & utili curationis cauſa actione.*

Contraria vero tutelæ actio Tutori competit, ad impenſas, ſi quas de ſuo probo more fecit, recuperandas. *tit. 4. de contraria tutelæ & utili actione:* & hæc omnia, non in veris tantum Tutoribus locum obtinent, verum etiam in eo, qui pro Tutore vel Curatore negotia geſſit. *tit. 5. De eo, qui pro Tutore:* vel etiam in eo, qui falſus Tutor fuit. In tantum, ut in integrum reſtitutio detur, ſi quid falſo

ſo Tutore (vel pro Tutore) geſtum erit.

Qua cauſa hic titulus in Edicto perpetuo poſitus eſt in materia de *Reſtitutionibus in integrum*, inter titulum *de capitis diminutione*, & titulum, *de quibus cauſis majores*.

Et in falſum Tutorem judicium detur, ut quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnetur. *tit. 9. Quid falſo Tutore auctore geſtum eſſe dicatur.*

Neque adverſus Tutores, aut Curatores tantum actio ex cauſa tutelæ, vel curationis pupillo competit, ſed & adverſus alias inſuper perſonas quaſdam; & tres quidem. 1. Primo quidem adverſus Fidejuſſores, qui rem pupilli ſalvam fore caverunt, ut & *Nominatores* eorum, qui fidejuſſorum vicem ſuſtinent, & hæredes. *tit. 7. de Fidejuſſoribus & nominatoribus, & hæredibus Tutorum & Curatorum.*

2 Adverſus *Magiſtratus municipales*, ſeu Duumviros, qui idonee caveri curare debuerunt, neque fecerunt; idque in ſubſidium. *tit. 8. de Magiſtratibus conveniendis.* 3. Poſtremum adverſus *Poſſeſſores* rerum, qui res pupilli vel adulti perperam ſine decreto alienatas, puta prædia ruſtica, urbana, ſuburbana) *poſſident*, actio datur

ad

ad eas recuperandas. *tit. 9. de rebus eorum quæ ſub tutela vel cura ſunt, ſine decreto non alienandis, vel ſupponendis.*

Adfines tandem Tutoribus & Curatoribus [minorum ſcilicet], ſunt Curatores furioſorum, aliorumque præter minores: de quo *tit. ult. de Curatoribus furioſo, & aliis extra minores dandis.*

Hic jam Edicti perpetui ordo invertitur: nam poſt titulos de *Tutelis* ſubjiciebantur tituli *de Furtis ſervorum, de Publicanis, deque furto a familia eorum facto, de operis libertorum:* Tandem & *de Bonorum poſſeſſionibus*, ante tractatum de *Teſtamentis*. Nos Juſtinianeum ordinem perſequamur.

PARS

PARS QUINTA
DIGESTORUM,

Quæ de Teſtamentis, Legatis, & Fideicommiſſis inſcripta.

Atque ita eſt

De TESTAMENTARIA SUCCESSIONE, *commodiſque aliis ex Teſtamento.*

Conſtans libris 9., puta 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36.

EX LIB. XXVIII.

De TESTAMENTI SUBSTANTIA, & FORMA.

VII. SEptimum Actionum, ſeu controverſiarum genus naſcitur occaſione ſucceſſionis, commodique alicujus, poſt mortem alterius alicui oblati : ad vindicanda videlicet bona ejus, vel partem ex his aliquam.

Hic

Hic enim nexus eſt, hæc ſeries hujuſce materiæ, per ſe, non ob aditionem tantum hæreditatis, quæ quaſi contractus ſpecies eſt.

Succeſſionis commodique poſt mortem oblati porro tres ſpecies ſunt. Vel enim deferuntur ea 1. ex *Patrisfamilias* cujuſque diſpoſitione & deſtinatione: 2. Vel ex *Prætoris* Juriſdictione: 3. Vel ex ſola denique *Legis* proviſione; unde totidem ſucceſſionum ſpecies conſurgunt: Aliæ ſcilicet teſtamentariæ ſunt, ſeu commodi alia ex teſtamento proficiſcuntur. 2. Aliæ Prætoriæ, quæ *bonorum poſſeſſiones* dicuntur. Aliæ legitimæ.

3. De *Patrisfamilias diſpoſitione*. Primum enim quoque ſemper locum ea inter omnes obtinet.

Etſi in Edicto Prætoris, ut jam dixi, de Prætoriis ſucceſſionibus, ſeu de Bononorum poſſeſſionibus prius actum fuerit, qui ordo etiam in Codice obſervatur.

Paterfamilias, ſcilicet (quod erat in XII. *tabulis*) *uti ſuper pecunia rei ſuæ legaſſet, ita jus eſto*. Dummodo ſcilicet juſtum ſit teſtamentum ejus, ſeu defunctus

tus jure teſtatus ſit, i. e. formam, præſcriptaque legum ſecutus ſit, ſeu obſervaverit. Teſtamento ſcilicet condito propoſitoque, ut id valeat, ſequentia explorandа attendendaque veniunt. 1. Utrum *Is* teſtamentum fecerit, qui jure facere potuit. 2. *Solemniter* ne, ſeu rite teſtamentum factum fuerit, ſeu ordinatum: Quare de utroque agitur ſtatim. *tit.* 1. *qui teſtamenta facere poſſunt, & quemadmodum teſtamenta fiant.*

3. Requiritur, ut ſi Teſtator *Liberos* habeat, ſive jam natos, ſive poſt teſtamentum naſcituros [qui *Poſthumi* dicuntur], eos vel nominatim hæredes inſtituat, vel nominatim exhæredet; alioquin præteritio liberorum, vel ſtatim injuſtum teſtamentum reddit, vel poſtea rumpit. *tit.* 2. *de Liberis & Poſthumis hæredibus inſtituendis, vel exhæredandis.*

4. Excutiendum eſt, num forte teſtamentum caſu aliquo, (alio etiam quam ex ſuperioribus cauſis) injuſtum, ruptum, irritumve in totum factum fuerit. 1. *Injuſtum*, idque quia non jure factum eſt, ubi ſcilicet ſolemnia juris defuerunt: de quo *tit.* 1.; Vel nullius momenti, ob præteritionem filii, de quo ut dixi *tit.* 2. 2. *Ruptum*, puta vel alio teſtamento, vel ſui hæredis agnatione, poſthumique. 3. *Irritum*

ritum, vel ſecuta capitis diminutione Teſtatoris, vel non adita hæreditate. *tit.* 3. *de injuſto, rupto, irrito facto teſtamento.*

5. Spectandum venit in teſtamento, num quædam ibi deleta ſint, ſeu literis corrupta, conſultoque inducta cancellis, vel aliis literis inſcripta: Nam ſi quid horum fuerit, quaſi mutata Teſtatoris voluntate, teſtamentum ea parte rumpitur. *tit.* 4. *de his, quæ in teſtamento delentur, inducuntur, vel inſcribuntur.*

6. Denique illud ſpectandum in teſtamento venit, num *hæres* aliquis eo inſtitutus ſit, vel ex teſtamento exiſtat: id enim caput eſt, & fundamentum teſtamenti; eoque vel deficiente, vel corruente, cætera jure veteri corruebant. Quare jam de hæredibus inſtituendis, & hæredis exiſtentia quatuor titulis ſequentibus agitur. Ac primo quidem, *quinam hæredes* inſtitui poſſint, & quemadmodum: & de partibus faciendis inter cohæredes, & de jure accreſcendi. *tit.* 5. *de Hæredibus inſtituendis.*

Et hic tamen tractatus, ut dixi, ut & reliquorum, qui ſequuntur ad titulum uſque de *Legatis*, rejectus fuerat in Edicto perpetuo poſt tractatum de Legitimis ſucceſſionibus. Nos Juſtinianeo ordini inſiſtamus. Ex-

Excipiuntur tres casus tribus titulis sequentibus, quibus etsi hæres testamento institutus, vel non omnino, vel nondum hæres existat, testamentum nihilominus stat; puta si substitutus alius fuerit. *tit. 6.*; vel conditio nondum extiterit. *tit. 7.* Si tempora deliberandi nondum præterlapsa sint. *tit. ult.* Vel si hæc connexio minus placet, dicamus, tres titulos sequentes, tum ad formam hæredis instituendi pertinere, tum existentiam ejus. Ad *formam*: nempe hæredes instituuntur non primo tantum gradu, sed & secundo, tertiove substituuntur. *tit. 6. de vulgari & pupillari substitutione*. 2. Item non pure tantum, sed & sub conditione hæredes instituuntur; & sic conditione institutioni adjecta hæredis jus suspenditur, sic ut hæres nondum existat. *tit. 7. de Conditionibus institutionum*. 2. Ad existentiam pariter hæredis pertinet: quod si Testator testamento tempus ad deliberandum hæredibus non præstitisset, hæres sæpe a Prætore tempus postulabat, ad deliberandum, utrum expediret ei nec ne agnoscere hæreditatem; quod quidem tempus non minus erat centum dierum. *tit. ult. de Jure deliberandi*. Hactenus de testamenti *substantia formaque*.

Ex

EX LIB. XXIX.

APPENDIX AD LIBRUM SUPERIOREM:

Et

de Hæreditate, deque Fraudibus Heredum coërcendis.

MILITIBUS ſane in teſtamento condendo, ſuperior ferme omnis diligentia formaque remittitur. *tit.* 1. *de Teſtamento militis.*

Et ita quidem hic titulus cum ſuperioribus connectendus eſt: non ut alii aliter. Qui quidem eadem ſemper ratione, veluti ſingularis, ut in Codice, ita & in Edicto perpetuo, præcedebat titulum de teſtamentis.

Materia teſtamentorum ſequitur, ſeu commoda, quæ Teſtamentis deferuntur, quæ triplicia ſunt; vel enim *Hæreditas* teſtamento defertur, vel *Legatum*, vel *Fideicommiſſum*: (quibus adde & tutelam, de qua *lib.* 25.; & libertatem, de qua *lib.* 40.)

De *hæreditate* primum. De Hæredis equidem inſtitutione ipſa, ut & de hæredis deliberatione, jam ſuperius actum fuit:

fuit: nunc *de hæreditatis adquisitione*, quæ hæredem dominum facit: vel *omissione*, quæ eum oneribus hæreditatis liberat. Titulis quinque sequentibus.

Qui tamen tractactus in Edicto perpetuo post bonorum possessiones, post testamentarias successiones, tandem post legitimas & extraordinarias, ultimo loco subjiciebatur: eumque excipiebant tituli de Legatis & fideicommissis.

Hæreditas delata hæredis voluntate vel adquiritur, vel retro omittitur. *tit.* 2. *de adquirenda vel omittenda hæreditate*. Ad quem tractatum pertinent sequentes quatuor tituli, qui in Edicto perpetuo in materia bonorum possessionum jacebant. Eum scilicet in finem *aperiuntur* testamenta solenniter Prætoris officio, & convocatis signatoribus (i. e. Testibus.) Idque statim post mortem Testatoris: Quorum & postea inspiciendi describendique (juramento prius calumniæ præstito) desideranti cuique potestas fit. *tit.* 3. *Quemadmodum testamenta aperiantur, inspiciantur & describantur.*

Hæreditatem cujusque hæredis instituti voluntate omitti modo diximus; ac proinde institutum omissa hæreditate ex testamento

mento, oneribus hæreditariis non illigari; Et retro hæreditatis adquiſitione hæredem dominum deinceps in perpetuum fieri. Et tamen excipiuntur hi caſus. Et primo quidem quod *omiſſionem* attinet, quandoque qui hæreditatem omiſit ex teſtamento, hæreditariis oneribus obligatur: nam ſi hæres inſtitutus, omiſſa cauſa teſtamenti, ut legatarios defraudet, (quia ſcil. hæres, qui hæreditatem omiſit teſtamento delatam, non obligatur legatariis, &c.) hæreditatem ab inteſtato, vel alio modo poſſideat, Prætor in eum actionem pollicetur, non minus quam ſi hæres ex teſtamento extitiſſet. *tit.* 4. *Si quis omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato, vel alio modo poſſideat hæreditatem.*

2. Retro, adquiſita quandoque hæreditas hæredi, ob fraudem factumque aliquod ejus, velut indigno, poſtea eripitur; ut duobus ſequentibus caſibus. Ex *Senatuſconſulto Syllaniano & Claudiano*, eripitur hæreditas hæredi, ſi Teſtatore occiſo ante quæſtionem *de familia* (i. e. de ſervis) habitam, ſuppliciumque de noxiis ſumptum, hæreditatem adierit. *tit.* 1. *de Senatuſconſulto Syllaniano & Claudiano.* 2. Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coëgerit, hæreditas ei eripitur. *tit.* 6. *Si quis aliquem teſtari coëgerit, vel prohibuerit:* quo etiam pertinet in materia poſſeſſionis. *tit.* 13. *lib.* 38. Di-

Diximus teſtamento hæreditatem deferri, ejuſque ſolemnia executi ſumus. *Codicillorum* jus diverſum eſt: nam jure civili neque Codicillis hæreditas, niſi per fideicommiſſum & fideicommiſſi interpretationem dari poteſt, neque eædem ſolemnitates in Codicillis, quæ in Teſtamento, requiruntur. At quæ mox ſequuntur *de Legatis & Fideicommiſſis*, ea tam Codicillis, quam teſtamentis communia ſunt: Ideo *tit. ult. de Jure Codicillorum*, ſeu limitaneus, ſic ut dicam, ac velut arbor in confinio hæreditatum & legatorum, poſitus eſt.

Ex Lib. XXX. XXXI. XXXII.

De Legatis In Genere.

Legata & Fideicommiſſa ſingularia, quæ ſecunda Teſtamentorum & Codicillorum materies eſt, ſeu commodum quod ultima diſpoſitione defertur, ſequuntur; de quibus agitur ordine libris ſex ſequentibus. Ad tria porro capita diffuſus *horum* tractatus refertur. Primo quidem de Legatis agitur *generatim*, & per ſaturam libris tribus, puta *lib.* 30. *de Legatis primo*. 31. *de Legatis* 2., 32. *de Legatis*

3. Qui tractatus in tres ſive libros, ſive titulos, a Triboniano conjectus fuit, non alio exemplo, quam quo Gajus olim aliique nonnulli idem quoque præſtiterant: Ubertate ne materiæ [quod vero propius] an vero alia de cauſa, minus liquet: Nam etſi initio cujuſque libri neſcio qui librorum & ICtorum, unde leges deſumptæ ſunt, ordo ſervetur, nullus tamen perpetuus & certus, perpetuoque canali in his decurrit. Et inanis eſt Accurſii, ſeu Gloſſæ ſententia, in primo libro tractari quid & quantum legari poſſit: in ſecundo, quibus & a quo, & quibus verbis: in tertio, de ſignificatione verborum.

EX LIB. XXXIII.

De LEGATIS *quibuſdam ſingularibus; Seu quæ ſingularem Interpretationem recipiunt,* 1. *Ex rei legatæ natura.* 2., *vel ex uſu verborum.*

POſt tres titulos generales de *Legatis*, de quibuſdam *Legatis* in ſpecie hoc libro agitur, ut & tribus præterea titulis libri ſequentis. Idque ideo, quia ea legata ſingulari quodam jure proprioque cenſentur.

tur, interpretandaque veniunt, cauſis quatuor. Partim 1. ex *Rei* ipſius legatæ natura: 2. partim ex *Verborum* proprietate: 3. partim ex *Favore* quodam: 4. denique ex *Circumſtantiarum* varietate.

1. *Ex rei ipſius legatæ natura* ſequentia legata interpretationem ſingularem, quæ ad alia legata temere transferri non poteſt, recipiunt. 1. *Annua*, ſeu *anniverſariæ* Legata: quæ plerumq; ideo legabantur, quod legatarii ſequioris vitæ eſſent, & ab alimentis penderent. Hujuſmodi vero legata plura ſunt, neque ſemel cedunt, ſed per annos ſingulos, ſic ut primi quidem anni purum ſit legatum, cæterorum vero conditionale, atque ideo morte finiuntur. Deniq; anni initio debentur. *tit.* 1. *de Annuis legatis & fideicommiſſis*. 2. Item *Uſus & Uſusfructus*, & habitationis, & reditus, & operarum (de quibus *lib.* 7. ſup.) legatum hujus generis eſt: Nam & hæc legata pariter morte finiuntur, imo & capitis minutione: Sed neque extremi anni fructus, niſi percepti, ad hæredem tranſmittuntur. *tit.* 2. *de uſu & uſufructu, & reditu & habitatione, & operis per Legatum vel fideicommiſſum*. 3. Item *ſervitutis* realis ſeu prædiorum (de qua *lib.* 8. ſup.) legatum, & ipſum ſin-

gularia quædam habet ; nam & jus reale eſt, & niſi prædium habenti relinqui non poteſt , & præſtatio ejus individua eſt, *tit.* 5. *de Servitute legata*. 4. Item , *Dos prælegata* , vel *relegata* , multa ſingularia habet. Primum quidem ſtatim id præſtari debet: prælegatæ ſc. vel relegatæ doti ineſt emolumentum repræſentationis, ut inquam præſenti die ſolvatur, quæ alias annua , bima, trima tantum die reddenda foret . 2. *Falcidiæ* hoc legatigenus non ſubjacet. 3. Denique, quamlibet bonorum poſſeſſione contra tabulas petita debetur. *tit.* 4. *de Dote prælegata* .

5. Poſtremo *Optionis* & *Electionis* legatum hæc habet ſingularia , ut ante aditam hæreditatem optio non fiat . 2. Item , ut cum cætera legata ab hærede præſtentur, hæc ſuo jure legatarius occupare videatur. *tit.* 5. *de optione vel electione legata*.

2. Ex communi *Verborum uſu* & proprietate , vel etiam teſtatoris conſuetudine, recipiunt interpretationem quinque legata ſequentia, in quibus id unum quæritur , quid quaq; appellatione veniat , quidve Teſtator intellexerit . 1. *Triticum* , *Vinum*, vel *Oleum* legatum . *tit.*6. *de Tritico* , *Vino* , *vel Oleo legato* . 2. *Inſtructum* , vel *Inſtrumentum* (veluti Urbanum , ruſticum , balneatorium) legatum . *Tit.* 7.

de

de inſtructo, vel inſtrumento legato. 3. *Peculium* legatum. *tit.* 8. *de Peculio legato*. 4. *Penus* legata. *tit.* 9. *de penu legata*. 5. Denique *ſupellex* legata. *tit. ult. de ſupellectile legata*.

Ex Lib. XXXIV.

1. *De* Legatis *ſingularibus, quæ ſingularem ex favore aliquo, vel Circumſtantiis interpretationem recipiunt*. 2. *De* vitiis *Legatorum quinque*.

3. Ex *Favore* aliquo ſingularem interpretationem recipiunt *Alimenta* & *cibaria* legata. Horum ſcil. ſingularia hæc ſunt, ut deportatis, & ſervis pœnæ, ut ſervis propriis etiam ſine libertate, relinqui poſſint; ut relicta ad pubertatem uſque, ad plenam pubertatem debeantur, (i.e. ad annum 18.): ut non minuantur ſed augeantur, ob prædia, quæ Teſtator eo nomine juſſit eſſe obligata: ut de iis tranſigi non poſſit (futuris ſcil.), niſi cauſa cognita a Prætore: ut alimentis legatis, non tantum quæ ad victum pertinent debeantur, ſed & veſtitus & habitatio (pariter ut *Educandi* onere impoſito); Quod in Cibariis legatis ſecus eſt. *tit.* 1. *de Alimentis vel cibariis legatis*.

4. Ex *Circumſtantiarum varietate* interpretationem recipiunt ſequentia legata: puta auri, argenti, facti, infecti, mundi muliebris, ornamentorum, unguentorum, veſtis, veſtimentorum, ſtatuarum legata. *Tit.* 2. *de Auro, Argento, mundo, ornamentis, unguentis, veſte vel veſtimentis, & ſtatuis Legato.* Item *liberationis* legatum, nam etſi alias res ſua nemini legari poſſit, id tamen fieri videtur in liberatione legata, cujus vis hæc eſt, ut ſi a me petatur debitum, exceptione doli mali tueri me poſſim; ſi non petatur, agere poſſim ut liberer. *tit.* 3. *de Liberatione legata.*

3. *Vitia* quædam legatorum ſequuntur, i. e. cauſæ, ex quibus legata in irritum ſæpe recidunt, ſeu pereunt in totum, vel in partem. Quæ quidem vitia quinque numero ſunt: puta Ademptio, Dubietas, Inutilitas, pro non ſcripto, Ereptitium.

1. *Adimit* ſcil. interdum Teſtator legatum, quod prius adſcripſerat, & ita quidem, ut quandoque etiam ademptum in alium ſimul transferat. *tit.* 4. *de adimendis, vel tranſmittendis legatis.*

2. Dubium interdum legatum eſt, ſive ob ambiguum ſermonem, ſive ob cauſam aliquam, ob quam legatum in ſuſpenſo eſt, ſive ob eventus & ordinis [veluti nativi-

tatis,

tatis, aut mortis, quo pertinet tractatus *de commorientibus*) perſonave incertum, ſic ut voluntatis quæſtio incidat. *tit.* 5. *de Rebus dubiis.*

3. *Inutilia* legata quædam ab initio ſunt, quale olim erat pœnæ cauſa relictum. *tit.* 6. *de his, quæ pœnæ cauſa relinquuntur.* In hujuſmodi ſane legatis ab initio inutilibus regula, ſeu ſententia Catoniana tenenda eſt, videl. ut quod ab initio teſtamenti facti tempore inutile fuit, id ex poſt facto non convaleſcat. *tit.* 7. *de Regula Catoniana.*

4. *Pro non ſcriptis* habentur, & ſic penes hæredem remanent ea, quæ quis ſibi in teſtamento adſcripſit; Item ſic ſcriptum, ut intelligi penitus non poſſit. *tit.* 8. *de his, quæ pro non ſcriptis habentur.*

3. *Ereptitia* ſunt, quæ etſi teſtamento utiliter legata fuerint, attamen variis ex cauſis, ut indignis, poſtea auferuntur & eripiuntur, fiſcoque acquiruntur. *tit. ult. de his, quib. ut indignis legata auferuntur.*

EX LIB. XXXV.

De MODO *Legati, vel a Teſtatore, vel a Lege impoſito.*

MOdus quoque quidam legato ſæpe tum a teſtatore ipſo expreſſe adjicitur, tum a Lege. 1. A *teſtatore*, ſive quia is conditionem legato adjecit, ſive demonſtrationem, ſive cauſam, ſive modum. Quod conditionem attinet legato adjectam, uſque quo ea impleatur, legatum interea ſuſpenditur, & ſi deficiat, legatum quoque deficit. 2. *Demonſtrationis* adjectæ alia ratio eſt: nam etſi falſa ea ſit, legatum tamen non vitiat, ſi modo de rei veritate conſtet. 3. Ut & ſi *cauſa* (i. e. ratio) legandi addita fuerit: nam & hæc etſi falſa, legatum non vitiat. 4. Quod *modum* legato adjectum attinet, i. e. ſi quid teſtator legatarium ex legato facere voluerit, id utique implendum eſt. *tit. 1. de Conditionibus & demonſtrationibus, & cauſis, & modis etiam, quæ in Teſtamento ſcribuntur.*

3. *Modus* quoq; quidam *civilis* ut Tacitus loquitur, per Leges legatis ſtatutus eſt: quem ſi Teſtator egrediatur, pro ea parte legata & fideicommiſſa vitiantur, minu-

minuuntur: Lege ſcil. Falcidia cautum fuit, ne ultra dodrantem hæreditatis ſuæ teſtatori legare liceret, & ſi quid ultra legatum fuerit, diminutionem patiatur. *tit.* 2. *ad L. Falcidiam*. Adeo quidem, ut ſi cui plus quam per L. Falcidiam licuit, legatum eſſe dicatur, hæres non ante legata ſolvere cogatur, quam deducta Falcidia: ut & ſi incertum ſit, an alia legata emerſura ſint, non ante ea hæres ſolvere cogitur, quam Legatarius caverit ſe reſtituturum ea, ſi Falcidiæ poſtea locus futurus ſit. *tit. ult. ſi cui plus quam per legem Falcidiam licuerit.*

Hactenus de Legatis & Fideicommiſſis ſingularibus.

Ex Lib. XXXVI.

1. *Fideicommiſſa Univerſalia*. 2. *Communia Legatis & Fideicommiſſis.*

3. *Fideicommiſſa Univerſalia* ſequuntur: Quo pertinet S. C. Trebellianum: (in quod transfuſa fuit ſententia S.C. Pegaſiani) quo hæres plus quam dodrantem, vel totam hæreditatem reſtituere rogatus, quartam pariter deducere poteſt, ut ex legatis hæres ex L. Falcidia. *tit.* 1. *ad S. C. Trebellianum.*

Communia poſtremum *legatis & fideicommiſſis* tria ſubjiciuntur. 1. *de Die Legatorum & fideicommiſſorum;* quando videlicet is dies cedat, i.e. legata & fideicommiſſa deberi incipiant; nempe ſi pura ſint, vel in diem certum, a morte teſtatoris ſtatim eorum dies cedit; ideoque ad hæredes legatariorum, & fideicommiſſariorum ea tranſmittuntur: hic enim *ceſſionis diei* effectus eſt: At ſi conditionalia ſint, vel in diem incertum, nonniſi exiſtente conditione, vel die, dies legatorum & fideicommiſſorum cedit. *tit.* 2. *Quando dies legatorum & fideicommiſſorum cedat.*

2. Secundum Legatis & Fideicommiſſis commune eſt, *Cautionis* genus quoddam ab hærede præſtandum, legatorum ſeu fideicommiſſorum nomine, ſc. ſi legati vel fideicommiſſi præſtatio moram patiatur (i.e. ſi ob conditionem, aut diem a teſtatore adjectam) nondum legatum præſtari debeat, aut fideicommiſſum, vel ſi purum legatum hæres præſtare differat, tum hæres cavere debet legatorum ſeu fideicommiſſorum nomine. *tit.* 3. *Ut legatorum ſeu fideicommiſſorum ſervandorum cauſa caveatur.* 3. Quod ſi hæres non fecerit, legatarii & fideicommiſſarii in poſſeſſione rerum hæreditariarum, cuſtodiæ cauſa mittuntur. *tit. ult. ut in poſſeſſionem Legatorum.*

for. vel fideicommiſſorum ſervandor. cauſa eſſe liceat. Hactenus de Teſtamentis, deque teſtamentaria ſucceſſione, aliiſque exinde commodis.

PARS SEXTA
DIGESTORUM,

Conſtans Libris VIII., *puta lib.* 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44.

Ex Lib. XXXVII.

De Successionibus Prætoriis, *ſeu de* Bonorum Possessionibus: *& primo quidem de his, quæ competunt Tabulis Teſtamenti extantibus.*

1. Prætoriæ *ſucceſſiones* ſequuntur, quæ dicuntur *Bonorum poſſeſſiones*, διαθηκαι.

De quibus & in Edicto, & in Codice primo loco actum fuit ante teſtamentarias ſucceſſiones.

Quæ ita a Prætore conſtitutæ ſunt partim adjuvandi, partim corrigendi, partim

ſupplendi juris civilis gratia. Et quia bonorum poſſeſſiones partim ex Teſtamento dantur, partim ab inteſtato, ideo de bonorum poſſeſſionibus agitur medio loco, inter teſtamentarias ſucceſſiones, & legitimas: de iis vero agitur in genere *tit.* 1. *De bonorum poſſeſſionibus*. Sunt autem bonorum poſſeſſiones vel ordinariæ, vel extraordinariæ, ſeu ſubſidiariæ.

1. *Ordinariæ* bonorum poſſeſſiones dantur, vel tabulis teſtamenti extantibus, vel nullis extantibus. De primis prius.

Pariter ut in edicto perpetuo.

1. *Si tabulæ teſtamenti extent*, prima ea poſſeſſionis bonorum cauſa eſt: Teſtamentaria quippe cauſa ſemper præcipua eſt, ut jure Civili, ita & Prætorio. *tit.* 2. *Si tabulæ Teſtam. extabunt*. Et hæc quidem bonorum poſſeſſio, ſi furioſo, & infanti, vel muto, ſurdo, cæcove competat, tum quæritur, an eam admittere poſſint. Hi tres poſtremi ſane eam admittere poſſunt: pro duobus vero prioribus, alii eam poſſunt, veluti Curatores & Patres. *tit.* 3. *de bonorum poſſeſſione furioſo, & infanti muto, ſurdo, cæco, competente*.

Porro tabulis Teſtamenti extantibus, vel contra, vel ſecundum tabulas bonorum poſſeſſio defertur. De

De bonorum poſſeſſione contra tabulas prius.

Pariter ut in Edicto.

Contra tabulas bonorum poſſeſſio defertur liberis & poſthumis vel præteritis, vel non ut oportet exhæredatis. Neque ſuis tantum, ſed & emancipatis, imo & Adoptivis. Item parentibus & patronis. *tit. 4. de bonorum poſſeſſion. contra tabulas.*

Singularia autem multa habet hæc bonorum poſſeſſio, pro ratione perſonarum, quibus competit: puta ratione emancipatorum, naſciturorum, pupillorum. *Emancipatorum* ratione, tria ſingularia hujus bonorum poſſeſſionis contra tabulas ſunt.

De quibus in Edicto perpetuo quoque hic eodem ordine.

Nempe, ſolutionis Legatorum certis perſonis, collationis, & concurſus cum filiis, ſeu nepotibus. Primum igitur ſingulare eſt, ut quanquam legata & fideicommiſſa tabulis adſcripta petita bonorum poſſeſſione regulariter corruant, excipiantur tamen certæ perſonæ: nam petita quamlibet contra tabulas bonorum poſſeſſione, legata teſtamento adſcripta emancipati cer-

certis perſonis edicto comprehenſis præſtare tenentur, puta, parentibus, liberis, uxori, & nurui dotis nomine. *tit.* 5. *de legatis præſtandis, contra tabulas bonorum poſſeſſione petita*. Secundum ſingulare eſt *Collationis*. Nempe petita bonorum poſſeſſione contra tabulas, conferre quoque emancipati non emancipatis fratribus bona propria tenentur, quæ ſcil. communi patre moriente habuerunt, ſic ut tam ex propriis, quam ex paternis in unum confuſis, contingentem portionem ferant. *tit.* 6. *de Collatione*. Et nominatim filia dotem conferre tenetur, & quidem profectitiam dotem, non modo emancipata, ſed & ſua. *tit.* 7. *de Dotis collatione*. Tertium ſingulare eſt, *Concurſus* cujuſdam ut dixi: Nempe patri emancipati petenti bonor. poſſ. contra tabulas, concurrunt jungunturque, unam & eandem in partem liberi ex eo nati, & in poteſtate ab avo retenti, ex edicto ſeu clauſula nova, Edicto inſerta a Juliano. *tit.* 8. *de conjungendis cum emancipato liberis ejus*.

2. *Naſciturorum* quoque liberorum ratione, ſingularis hæc bonor. poſſ. eſt: nam Prætor ventrem quoque mittit, per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, in poſſeſſionem bonorum defuncti, ut alatur, eique inſuper curatore dato proſpicit, rebus ſcil. adminiſtrandis. *tit.* 9. *de ventre*

in

in possessionem mittendo, & Curatore ejus.

3. *Pupillorum* denique ratione, quibus status controversia movetur, singularis hæc contra tabulas bonorum possessio est, nam & his Prætor, si qua eis status controversia moveatur, dilata in pubertatis tempus controversia, causa cognita, bonorum possessionem interim decernit. Idque est quod Carbonianum Edictum dicitur. *tit.* 10. *de Carboniano Edicto*. Et hæc de bonorum possessione contra tabulas.

2. *Secundum tabulas* bonorum possessio omnibus hæredibus sive scriptis, sive nuncupatis datur. *tit.* 11. *de bonorum possessione secundum tabulas.*

Sic absolutus est bonorum possessionis extantibus tabulis tractatus. Antequam ad bon. poss. sec. tabul. transitus speciatim fiat, communis utrique bon. possessioni, eaque singularia, tam secundum, inquam, quam contra tabulas, nonnulla interjiciuntur.

Primum scil. *parenti* quoque manumissori bonorum possessio competit, quasi patrono. *tit.* 12. *si a parente quis manumissus sit.*

Secundo ex testamento quoque militis, utcunque minus solenni bonorum possessio datur: non vero contra tabulas militis. *tit.* 3. *de bonorum possessione ex testamento militis.*

Ter-

Tertio, (qui & ipſe Edicti perpetui ordo erat) *Patronis*, eorumque liberis tabulis extantibus, iiſque præteritis, contra tabulas libertorum bonorum poſſeſſio datur, ſi liberi non extent ad dimidiam partem bonorum avocandam: tabulis vero non extantibus, ſimiliter certis caſibus. Cujus occaſione omnia illa *Patronatus jura* commodaque, inter quæ non ultimum eſt bonorum poſſeſſionis petendæ jus, in anteceſſum exponuntur: ut ex quibus modis jus patronatus adquiratur, vel amittatur. *tit.* 14. *de jure patronatus*.

Patronatus vero jus & in his quoque rebus cernitur, quæ & ipſa hic per occaſionem & propter viciniam tractantur, puta, in obſequiis: Obſequia ſcil. honorem, reverentiam, pietatem, utriſque debent liberti & liberi: cujus ratione 1. neque in jus, niſi venia petita, vocari. 2. deque famoſa actione conveniri. 3. neque Jusjurandum calumniæ exigi. 4. neque in ſolidum condemnari. 5. neque fidejuſſores locupletes judicio ſiſti dare cogi poſſunt. *tit. ult. De obſequio parentibus & Patronis præſtando*: ubi notandum, hac occaſione, propter materiæ perſonarumque vicinitatem, & de obſequio parentibus præſtando agi.

Ex

Ex Lib. XXXVIII.

Quo quatuor continentur:

1. Appendix ad *superiorem librum*.
2. *de bonorum possessione* ab Intestato.
3. *de* Extraordinaria *bon. poss.*
4. *de* Legitimis *successionibus*.

2. *Operæ* quoque sunt pars juris patronatus: *Operæ* 1. officia diurna sive in ministerio, sive in artificio libertatis causa imposita libertis per stipulationem, vel jusjurandum. Has sane operas, si patronus elegerit, a bonorum possessione repellitur. *tit.* 1. *de Operis libertorum.*

Nunc e diverticulo in viam: Bonorum igitur possessio patrono præterito, in partem dimidiam, adversus hæredem scriptum competit: ut & bonorum possessio unde legitimi. *tit.* 2. *de bonis libertorum.* Eademque & de libertis Universitatum, & municipiorum dicenda sunt. *tit.* 3. *de libertis Universitatum.* Item quæ de Patronis dicta sunt, eadem & de liberis patroni dicenda sunt: Et quidem omnibus, nisi pater uni libertum adsignaverit, i. e. significaverit, cujus ex liberis suis libertum eum esse velit. *tit.* 4. *de assignandis libertis.* Denique bonorum possessioni proxima

xima eſt, juriſque patronatus portio eſt, revocatio eorum, quæ in fraudem legitimæ patrono debitæ a liberto facta ſunt. *tit.* 5. *ſi quid in fraudem patroni factum ſit.*

2. *Non extantibus tabulis teſtamenti*, atque adeo ab inteſtato bonorum poſſeſſiones nunc ſequuntur.

Pariter ut in Edicto perpetuo, in tractatu tamen de legitimis ſucceſſionibus, de quibus generatim ut in Edicto, ita & hic agitur: hic vero alio ordine, de gradibus ſeu ordine hac in re ſervando. In Edicto quippe perpetuo, cum de legitimis ſucceſſionibus agitur, & de gradibus illis agitur. Hic aliter, nempe ordine illo in tractatu de bonorum poſſeſſionibus reſervato: ſed tamen ſervato Edicti ordine in eorum diſpoſitione.

Ergo bon. poſſ. hæc, de qua in genere etiam prius agitur, 1. *Liberis* primum datur, quæ bonorum poſſeſſio, *unde liberi*, vocatur. *tit. 6. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt, unde liberi.* 2. Legitimis, i.e. adgnatis, quæ poſſ. bon. vocatur unde legitimi. *tit. 7. Unde legitimi.* 3. Cognatis, quæ bonorum poſſeſſio per fœminas conjunctis, cæteriſque a ſuperioribus excluſis

cluſis competit . *tit.* 8. *Unde Cognat.* In his autem bonorum poſſeſſionibus hoc obſervandum eſt , quod unis repudiantibus, vel non petita bonorum poſſeſſione decedentibus, vel tempore præſtituto excluſis, ne creditores diutius juſto fraudentur, ſequenti in eodem gradu locus fiat; & gradu uno exhauſto , ſequens gradus admittatur : idque eſt *Edictum* quod *ſucceſſorium* dicitur. *tit.* 9. *de ſucceſſorio Edicto* . Proinde exacta graduum cognitio habenda eſt, qua cauſa hic poſitus eſt *tit.* 10. *de Gradibus & adfinibus , & nominibus eorum* . Qui titulus ſeu tractatus alioquin & ad legitimas ſucceſſiones , & ad tractatum de nuptiis quoque pertinet, ubi de gradibus cognationum quoque agitur.

Quarta bonorum poſſeſſio Tabulis teſtamenti non extantibus, eſt ea, quæ *Viro & Uxori* competit . Tribus enim gradibus ſuperioribus deficientibus , ſeu poſt agnatos & cognatos ad decimum uſque gradum , Prætor virum & uxorem , mutuo ad alterius inteſtati bonorum poſſeſſionem vocat. *tit.* 11. *unde vir & uxor.*

His tandem omnibus deficientibus (qui & ipſe ordo Edicti fuit) fit locus *Fiſco*, vel etiam iiſdem extantibus, cum capitali ſententia, is de cujus bonis agitur, damnatus fuerit ; hoc enim caſu capite damnato

nato Fiſcus ſuccedit. Qua tamen parte excipitur miles & veteranus. Nam ſi ex militari delicto hi condemnati fuerint, de bonis caſtrenſibus teſtari poſſunt. Sed & ab inteſtato, caſtrenſia eorum bona, adgnatis vel cognatis ad quintum uſque gradum deferuntur. *tit.* 12. *de Veteranorum & militum ſucceſſ.*

Item Fiſco locus fit, ſi quaſi indigno bonorum poſſeſſio ablata fuerit, ut quia volentem teſtamentum facere quis prohibuit, ut ita ad ſe potius hæreditas ab inteſtato perveniret [de quo etiam in Civili ſucceſſione actum ſupra *lib.* 29. *tit.* 6.] *tit.* 13. *quibus non competit bonorum poſſeſſio.*

2. *Extraordinaria* ſeu ſubſidiaria bonorum poſſeſſio eſt,

(De qua & in Edicto perpetuo hoc ipſo loco actum)

Ea, qua de re agitur *tit.* 14. *Ut ex Legibus Senatuſconſult. bonorum poſſeſſio detur*, quoties ſcilicet Leges, Acta, vel Conſtitutiones bonorum poſſeſſionem ſpecialiter deferunt. Poſtremo loco agitur *tit.* 15. *Quis ordo in bon. poſſeſſionibus ſervetur.* De *Temporibus* petendæ bonorum poſſeſſionis, ſeu intra quæ tempora bonorum poſſeſſio

poſſeſſio peti, vel admitti debeat, quia finito tempore ſequens gradus ordine ſuccedit.

3. *Legitima* ſucceſſio eſt, quæ defertur vel Lege, ut puta ſuis & Legitimis. *tit.* 26. *de Suis & Legitimis hæredibus:* Vel *Senatuſconſulto*, ut matribus & filiis in mutua inter eos ſucceſſione. *tit. ult. ad Senatuſconſ. Tertullianum & Orphitianum.*

Et hactenus quidem de ſeptimo actionum ſeu controverſiarum, Judiciorumque fonte, occaſione videlicet *mortis* alicujus, deque commodis ex ejus bonis.

Ex Lib. XXXIX.

Tres *Actionum fontes, fineſque: puta* 8. *Damnum imminens.* 9. *Vectigalium conductio.* 10. *& liberalitas.*

VIII. Octavum Controverſiarum genus actionumque, ſeu Judiciorum deſcendit ex *Damno aliquo imminente*, ſeu impendente, i. e. nondum dato, verum propediem dando, niſi in tempore occurratur; atque adeo actiones hæ proditæ ad averruncandum damnum.

Qua etiam parte ſecutus eſt Tribonianus ordinem Edicti perpetui, ubi pariter

hic

hic tractatus post tractatum de bonorum possessionibus & successionibus, deque legatis subjiciebatur; & quidem propositis eodem ordine tribus Edictis.

Damnum autem dandum, seu impendens metuitur 1. vel ab *Opere* aliquo *novo* faciendo: 2. vel a *Ruina* operis alicujus veteris impendente: 3. vel ab *Aqua*.

1. A *novo opere* si damnum metuatur, si quis novum opus faciat, quo pristina facies mutetur, vicinarum ædium dominus juris sui conservandi causa novum opus ædificanti nunciare potest, [i.e. denunciare, ne faciat, ne pergat.] Post quam nunciationem demum committunt se litigatores Prætoriæ Jurisdictioni. *tit.* 1. *de Operis novi nunciatione*.

Et hinc jam incipit Digestum NOVUM, ita dictum ob titulum istum. *tit.* 1. *de Operis* NOVI *nunciatione*.

2. *A Ruina* veteris ædificii, si damnum metuatur, i. e. si vicini ædificium ruinam minetur, vicino jus est nunciandi, in id, ut damni infecti sibi caveatur (i. e. de sarciendo damno, si quod inde sibi contingerit. Quod si factum non fuerit, vice cautionis mittitur vicinus, decreto

Ma-

Magiſtratus cujuſcunque in poſſeſſionem illarum ædium, quæ ruinam minantur: imo & ſi perſeveraret non cavere, etiam eas ædes nunciator ſecundo decreto poſſidere jubetur. Cæterum, quæ de damno imminente ab ipſarummet ædium ruina dicuntur, eadem & de eo damno accipienda ſunt, quæ a ſuggrundiis & projectionibus metuuntur] i. e. tabulis, omnibuſque aliis, quæ circa extraque ædificia ipſa eminent foras, vel projecta ſunt, ædibuſque applicata: id enim ſibi vult vox *ſuggrundiorum & projectionum*. *tit.* 2. *de Damno infecto, & de ſuggrundiis, & projectionibus*,

(Quod malo quam *protectionum*, alioquin *protectorum* vox magis hic congrueret.)

3. *Ab Aqua* damnum ſi metuatur, aquæ arcendæ nomine vicino actio competit, ſi videlicet damno nondum dato, verum opere in agro jam manufacto, puta ſtructura aquatili aqua, ſive pluvia, ſive pluviatilis nocitura ſit. Qua actione id efficitur, ut opere in priſtinam faciem reſtituto, aqua avertatur. *tit.* 3. *de Aqua pluvia arcenda*.

IX. Nonum controverſiarum genus oritur ex *Vectigalium* ſeu *publicorum* conductione,

ctione, quæ inter privatos quoque actionem parit, & duplicem quidem. Nam si *Publicani*, i. e. Vectigalium conductores ipsi vel familiæ eorum, vectigalium occasione, quid super exegerint, propria actione tenentur: vicissim, si negotiatores merces suas vectigali obnoxias, apud publicanum professi non fuerint (uti tenentur) merces improfessæ in commissum cadunt, (i. e. Fisco vindicantur). *tit.* 4. *de Publicanis & vectigalibus & commissis.*

Et ita quidem hoc nexu hic titulus a Triboniano locatus est: non vero ex homonymia vocis *publici*. In Edicto sane perpetuo hic titulus locatus est proxime post titulum *de Furtis*, quia de Furti genere a Publicanis, vel eorum familia admisso in eo agitur. Quamquam, & illic & hoc loco utrobique inquam, de eo Jurisconsultos, qui ad Edictum scripserunt, egisse reperio.

x. *Decimum* controversiarum genus descendit ex mera liberalitate, seu donatione, de qua agitur hoc loco, & in genere quidem *tit.* 5. *de Donationibus*.

De qua quo loco in Edicto Prætoris actum

actum fuerit, vix liquet, nisi quod suspicari licet ex nonnullis fragmentis, de eo actum in tractatu de Exceptionibus, sub *tit. quarum rerum actio non datur.*

Donationis vero duæ species sunt, inter vivos una, altera mortis causa (i. e. ob mortis periculum vel cogitationem.) Quæ donationis species, non nisi morte donatoris eadem in voluntate deficientis, confirmatur. *tit. ult. de mortis causa donationibus.*

Ex Lib. XL.

Status Causæ.

XI. *Undecimum* controversiarum genus est *de statu personæ*, seu de Causa status; *Præjudiciales* actiones dicuntur.

De qua hoc ipso loco Edictum perpetuum scriptum erat.

Quæ ipsa status causa triplex est: 1. Libertinitatis. 2. Liberalis causæ. 3. Ingenuitatis.

1. *Libertinitatis* causa seu controversia est, cum quæritur, servus ne sit quis, an

vero libertinus? Huc vero petinet tractatus de *manumiſſionibus* (id eſt de datione libertatis .) Ubi primum quæritur, qui manumitti vel manumittere poſſint: & apud quos, de quo *tit.* 1. *de Manumiſſionibus*.

3. *Species*, ſeu modi manumiſſionis, quæ ab homine fiebat, & juſtæ quidem , duæ hic pertractantur, quæ olim in uſu erant, cæteris Juſtiniani ætate vel ab ipſo abolitis. 1. *Vindicta* manumiſſio, quæ videlicet apud Magiſtratum, apud quem legis actio erat , fiebat , præſente domino , non per procuratorem. *tit.* 2. *de Manumiſſis Vindicta*, niſi quod per Syndicum ſervi Univerſitatum [i. e. Collegiorum , Municipiorum , Provinciarum , Rerumpublic.] vindicta manumitti poſſunt. *tit.* 3. *de Manumiſſionibus, quæ ſervis ad Univerſitatem pertinentibus imponuntur*.

Secunda ſpecies juſtæ manumiſſionis eſt ea, quæ *Teſtamento* fiebat . *tit.* 4. *de manumiſſis teſtamento*. Varia tamen ratione adhuc, varioque eventu : nam 1. Libertas teſtamento non tantum , ſeu non ſemper directo adſcribebatur , ſed & per fideicommiſſum ſæpe verbis precariis . *tit.* 5. *de fideicommiſſariis libertatibus*. Libertas quandoque teſtamento adſcripta , & ipſo jure valida , ex poſt facto lege adime-

mebatur, seu eripiebatur, tanquam indigno: veluti L. Papia, ei qui tacitam fidem testatori in fraudem legum accommodasset. *tit. 6. de Adoptione libertatis.* 3. Sub die, aut conditione sæpe testamento libertas adscribebatur, ac proinde suspendebatur: ita vero manumissus interim servus erat statuliber dicebatur. *tit. 7. de statuliberis.*

11. Et hæc quidem de manumissione, seu libertatis datione, quæ ab homine, seu a dominis fiebat, & regulariter non nisi a dominis, eorumque consensu: sic ut si domini consensus intercederet, libertas omnino competeret. Et tamen utrumque secus quandoque eveniebat: Nam quædam erat libertatis datio *legitima*, seu quæ a lege fiebat, ipso jure publico: quandoque scilicet, seu certis casibus, etiam sine manumissione ad libertatem perveniebant, solo legis seu juris beneficio. Veluti si servi necem domini detexissent, si ob gravem infirmitatem pro derelicto a dominis habiti fuissent, aliisque de causis. *tit. 8. qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.* Ex adverso, quidam manumissi a dominis liberi tamen ipso jure non fiebant, lege impediente, & manumissio inutilis erat, ex duplici potissimum ratione Politica: Ne

videlicet ut ipſi domini hoc facto ſuo, & promiſcuis manumiſſionibus bonis ſuis evolverentur, aut aliis, creditoribus puta, fraus fieret, quam in rem lex Ælia Sentia lata fuit. *tit. 9. Qui & a quibus manumiſſi liberi non fiunt, & ad leg. Æliam Sentiam.*

111. Et hæc de hominis & legis facto circa ſtatum libertinitatis. Nunc de ſingulari beneficio *Principis*, & quidem circa effectum manumiſſionis. Nam cum effectus manumiſſionis hi eſſent, ut & manumiſſos deinceps quoad ſtatum publicum libertinos faceret, ab ingenuis & ſtatu ingenuorum diverſos, & privato patronatus juri obnoxios, ob utrumque tamen liberari beneficio Principis quandoque poterant; a ſtatu, inquam, libertinorum, ſi jus aureorum annulorum (ferreis enim tantum utebantur libertini) a Principe impetraſſent: hoc enim caſu jura ingenuitatis adipiſcebantur, ſalvo tantum Patronatus jure. *tit. 10. de Jure aureorum annulorum*. Ab ipſo vero etiam patronatus jure, ſi a Principe *natalibus* (in quibus homines initio fuerunt) reſtituti fuiſſent, patronorum conſenſu; hoc enim caſu plenam ingenuitatem adipiſcebantur, extincto etiam Patronatus jure. *tit. 11. de Natalibus reſtituendis*. Et hæc de libertinitate

tate, ſeu cauſa libertinitatis.

2. Secunda ſtatus controverſia eſt *Liberalis:* qua videlicet quæritur, liber quis an ſervus ſit. *tit.* 12. *de liberali cauſa.* Sive quis in libertate conſtitutus petatur in ſervitutem ab aliquo, ſive in ſervitute conſtitutus ipſe ad libertatem e ſervitute proclamet: Quod ſane non omnibus licet, quidam enim ad libertatem proclamare non poſſunt. *tit.* 13. *quibus ad libertatem proclamare non licet.*

3. Tertia controverſia ſtatus eſt *Ingenuitatis*, qua quæritur, ingenuus quis ſit, an vero Libertinus. *tit.* 14. *Si ingenus eſſe dicatur.*

Omnibus iſtis tribus ſtatus controverſiis commune eſt, ut ne de ſtatu defunctorum in deteriorem cauſam poſt quinquennium quæri poſſit, in meliorem, poſſit. *tit.* 15. *Ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur.*

Vivo certe eo, qui liber, aut ingenuus pronunciatus eſt, de ſtatu ejus ſemper quæri poteſt: ita quidem etiam, ut ad colluſionem detegendam, omnes præmio dominii ejus qui liber judicatus eſt, aut ingenuus, invitentur. *tit. ult. de colluſione detegenda.*

EX LIB. XLI.

DE POSSESSORIO JUDICIO.

HActenus petitoriæ actiones : nunc *Poſſeſſoriæ*, ſequentibus tribus libris 41. 42. 43.

Hæc enim mihi connexionis ratio placet : non quaſi ad Interdicta tranſiturus Juſtinianus rem aliquanto longius repetat, quia ſcil. interdicta pleraque de poſſeſſione ſunt, quod Cujacio placebat.

XII. *Duodecimum* igitur Civilium controverſiarum genus eſt, in quibus agitur de tuendo penes dominum & poſſeſſorem rei dominio, vel poſſeſſione, idque firmo perpetuoque jure. Quo pertinet hic liber. Quo proinde agitur de modis vel pleni dominii una cum poſſeſſione, cui dominium eſt conjunctum, adquirendi, vel nudæ poſſeſſionis. 1. De modis adquirendi rerum [& quidem corporalium, nam de his tantum agitur) dominii, *tit.* 1. *De Acquirendo rerum Dominio*. 2. De modis acquirendæ poſſeſſionis, & viciſſim amittendæ, *titul.* 2. *De Acquirenda vel amittenda poſſeſſione*. 3. de *Uſucapione*, quæ

quæ eſt adeptio ſeu acquiſitio dominii per poſſeſſionem prolixam juſtamq;, cui contraria eſt uſurpatio, i. e. poſſeſſionis interruptio. *tit.* 3. *de Uſurpationibus*. Cæterum cauſæ poſſeſſionum, ſeu Uſucapionis tituli ſunt oneroſi, vel lucrativi, vel mixti. Oneroſi, vel pro *Emptore*, quando ex cauſa emptionis, vel ex negotio emptioni proximo quis rem bona fide a non Domino nactus eſt, & poſſidet. *tit.* 4. *pro emptore*. Lucrativi tituli ſunt quinque ſequentes. *Pro Hærede*, vel *pro poſſeſſore*; quando quis ex cauſa hæreditatis, vel bonorum poſſeſſionis rem aliquam ſingularem, quam defunctus poſſedit, cum reliqua hæreditate poſſidet, eique incumbit: Nam licet aliena ſit, longo tempore eam capere poteſt. *tit.* 5. *pro hærede vel pro poſſeſſore*. Item *pro donato*. Pro *derelicto*, quando quis rem a domino vel poſſeſſore derelictam occupavit. *tit.* 7. *pro derelicto*. *Pro legato*, cum ex cauſa legati, vel legati nomine, quis rem alienam a teſtatore ſibi relictam habet. *tit.* 8. *pro legato*. Mixtus titulus, partim lucrativus, partim oneroſus eſt titulus *dotis*, quia dos datur ad onera matrimonii ſuſtinenda, ejuſque fructus lucro mariti cedunt. *tit.* 9. *pro Dote*. His omnibus adde titulum *pro ſuo*, qui titulus & ſuperioribus communis eſt, &

ſubſidiarius, nam iis quoque accommodatur, qui civilem titulum non habent, ſed naturalem tantum. *tit. ult. pro ſuo.*

EX LIB. XLII.

De EXECUTIONIBUS *in Bonis, ex quatuor cauſis.*

XIII. EXecutiones in bonis, tertio decimo loco nunc ſequuntur, quibus poſſeſſio bonorum juſto alioquin domino, judicio ſeu via juris, vique Judiciorum, eripitur: ſic ut ea vel diſtrahantur, vel poſſidenda aliis dentur. Quod quidem ipſum fit quatuor ex cauſis, quarum nomine etiam Prætor ſeu Magiſtratus adiri ſolet, Ob rem ſcil. Judicatam, ob confeſſionem, ob ceſſionem bonorum: Denique juſtis de cauſis fit & decernitur a Prætore miſſio in bonorum poſſeſſionem.

Qui quidem ipſe ordo fuit Edicti perpetui: niſi quod inter hunc tractatum, quem nunc ingredimur, & tractatum de Uſucapionibus, interjacebant ibi tratatus de Vi bonorum raptorum, de Incendiis, deque Injuriis, qui a Triboniano rejecti ſunt in tractatum de Delictis. De ſingulis ordine.

1. *Res*

1. *Res Judicata* igitur executionis jus parit ſeu adquirit, ſeu per rem judicatam ad executionem pervenitur. Poſt Judicati ſcil. faciendi tempora elapſa, ſi judicatus judicatum facere recuſet, executio rei judicatæ fit, captis officio Magiſtratus pignoribus: mox, duobus menſibus elapſis, ea ipſa publice ſub haſta diſtrahuntur; vel non repertis emptoribus actori adjudicantur: vel etiam ſi judicatus non defendatur, creditor in poſſeſſionem mittitur omnium bonorum judicati ſervandi cauſa. *Vid.* 1. *de re Judicata, & de effectu Sententiarum & de interloeutionibus.*

2. *Confeſſionis* in jure factæ a non errante in facto, eadem quæ rei judicatæ vis eſt, confeſſuſque adeo pro judicato eſt: ſic ut eodem modo eorum qui confeſſi ſunt, pignora capi, diſtrahique poſſint. *tit.* 2. *de Confeſſis.*

3. *Ceſſionis* item *bonorum* in jure eadem ratio eſt, ſic quidem, ut ei qui creditoribus ſuis bonis ceſſit, infamia non irrogetur, ac ſi ex Edicto ea poſſiderentur, & proſcripta venirent bonorum emptori. *tit.* 3. *de ceſſione bonorum.*

4. *Latitante* item vel abſente, vel non defendente ſe debitore, Prætor actores & creditores mittit in poſſeſſionem ejus bo-

norum, (quam & ipſam Q. Mutius ponebat inter genera poſſeſſionum, *leg.* 3. §. *ult. de adqui. vel amittend. poſſ.*) triplici ferme fine, rei ſervandæ cauſa, legatorum ſervandorum gratia, & ventris nomine, ut omittam quæ fit damni infecti nomine, de qua ſup. *lib.* 39. *tit.* 4. *Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur*.

Et hæc quidem de Executionum, inque bonorum poſſeſſionem miſſionis cauſis: ſequitur *Forma* ejus, quatuor titulis ſeu capitulis ſequentibus.

1. Nempe pignora capi auctoritate Judicis oportet, deinde ea vendi, ut ex pretio creditoribus ſatisfiat; privilegiariorum & hypothecariorum prima ratione habita. *tit.* 5. *de rebus auctoritate Judicis poſſidendis, vel vendendis*.

2. Sæpe etiam *ſeparanda* veniunt bona debitoris Prætoris auctoritate, puta hæredis bona, a defuncti debitoris bonis, petentibus creditoribus hæreditariis, qui alias ſuum conſequi non poſſent, ſi confuſis bonis hæredis creditores in participatum rerum hæreditariarum venirent. Item neceſſarii hæredis bona poſt mortem domini quæſita a dominicis bonis ſeparanda veniunt, ut & caſtrenſia militis bona a paganis. *tit.* 6. *de ſeparationibus*.

3. *Curator* quoque ſæpe creditoribus peten-

tentibus bonis debitoris cuſtodiendis, & denique adminiſtrandis, mox & vendendis, denique & ex pretio redacto ſolutionibus faciendis, conſtituendus venit. *tit. 7. de Curatore bonis dando.*

4. Tandem etiam, quæ in fraudem creditorum facta ſunt revocari oportet. *tit. ult. quæ in fraudem creditorum facta ſunt, ut reſtituantur.*

Ex Lib. XLIII.

De Interdictis.

XIV. *Interdicta* quarto decimo ſeu ultimo loco ſequuntur.

Pariter ut in Edicto perpetuo.

Interdicta, inquam, ſeu extraordinariæ actiones, quæ pro his competunt, quæ in id movebantur, dabanturque, apud quem interim *poſſeſſio* rei controverſæ manere deberet, dum judicium de proprietate agitur; quod ideo *momenti beneficium* dicitur, ſeu *beneficium momentaneæ poſſeſſionis*. Et ſic, pariter ut duobus ſuperioribus libris, Judicia *poſſeſſoria* hic continentur, & hoc quidem ad momentaneam poſſeſſionem impetrandam: illa ad perpetuam

adſequendam. De his igitur interdictis in genere primum agitur, *titul.* 1. *de interdictis, ſive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt*; Quæ quidem poſtrema verba ideo addita ſunt, quod hodie ordo interdictorum non obſervetur, ſed ſtatim agatur utili in factum actione, ut judicetur cujus poſſeſſio ſit, de qua agitur.

Interdicta autem illa manant vel ex jure aliquo univerſali, vel ſingulari. *Univerſali*, puta ex ſucceſſione, vel præcedente miſſione in poſſeſſionem. Hujus generis quatuor ſunt Interdicta; Et priora quidem duo, a primis Edicti verbis ita denominata. 1. *Quorum bonorum* [*poſſeſſio* ſcil.) *ei data eſt.* &c. Quod interdictum ei competit, cui Prætor bonorum poſſeſſionem dedit, ad rerum hæreditariarum poſſeſſionem adipiſcendam. *tit.* 2. *quorum bonorum*. 2. *Quod legatorum* (*nomine* ſcil. *quis non ex voluntate hæredis occupavit*, &c. Quod interdictum competit hæredi, vel bonorum poſſeſſori, parato ſatisdare legatorum nomine, ad recuperanda ea, quæ ſine voluntate ejus legatorum nomine a legatariis propria auctoritate occupata ſuerunt, ut ſcil. adepta poſſeſſione ſibi Falcidiam ſervet per retentionem. *tit.* 3. *Quod Legatorum*.

3. In poſſeſſionem quoq; miſſo ex cauſis,

ſis, de quibus ſuperiore libro 42., interdictum competit: ne vis ſibi fiat, i. e. ne impediatur in bonorum poſſeſſione eſſe, & ſic in eam venire, & redire ſi expulſus ſit. *tit.* 4. *Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus erit.*

Interdictum *de tabulis exhibendis*, ad teſtamenti cauſam pertinentibus, omnibus quorum intereſt competit, adverſus eum, penes quem tabulæ ſunt. *tit.* 5. *de tabulis exhibendis.*

Singulari ex jure quæ interdicta manant, vel religionem ſpectant, vel hominum utilitatem: ſeu alia juris ſunt divini, alia humani.

1. *Divini* Juris ſeu *Religionis* tuendæ cauſa, Interdictum propoſitum eſt *titul.* 6. *Ne quid in loco ſacro fiat.*

2. *Humani* juris cauſa interdicta, vel publicam rem ſpectant, vel privatam. *Publicam* quæ ſpectant utilitatem interdicta, ea vel locorum publicorum, vel Fluminum nomine competunt.

1. Locorum publicorum, veluti *itinerum aliorumque*, quo pertinent ſequentia interdicta: idque partim ad uſum eorum fruitionemque, partim ad tuitionem ſeu refectionem.

1. Ad *uſum* inquam, locorum & itinerum publicorum, fruitionemque eorum interdicta

terdicta competunt, quibus cuilibet in publicum petere permittitur, quæ ad uſum omnium pertinent. *tit. 7. de locis & Itineribus publicis.* Ac nominatim Interdicto prohibitorio experiri licet, ne quid in loco publico vel itinere fiat, aut ædificetur, inve eum immittatur, qua ex re quid damni detur; neve vis fiat ei, qui utitur via publica. *tit.* 8. *Ne quid in loco publico vel itinere fiat.*

2. Ne publicanis, qui loca publica, veluti porticus, areas, inſulas, balnea, lacus, ſtagna, &c. conduxerunt, vis fiat: quo minus ex lege locationis, locis publicis conductis fruantur. *tit. 9. de loco publico fruendo.*

3. Ad *tuitionem* locorum publicorum duo quoque remedia & interdicta ſpectant, ut ſi quid in via urbica fiat, huic rei Ædiles occurrant, jure poteſtatis ſuæ. *tit.* 12. *de via publica, & ſi quid in ea factum eſſe dicatur.* 2. Ne vis fiat ei, qui viam publicam iterve ruſticum ſcil. reficere velit. *tit.* 11. *de via publica & itinere publico reficiendo.*

11. FLUMINUM, & RIPARUM nomine quoque varia interdicta propoſita ſunt: & quatuor quidem ſequentia: partiter partim vel ad uſum eorum, partim ad tuitionem. *Ad uſum* 1. ne deterior vi-

del.

del. navigatio fiat, facto vel immiſſo aliquo in flumine publico ripave ejus. *tit.* 12. *de fluminibus, ne quid in flumine publico ripave ejus fiat, quo pejus navigetur.* 2. Ne fluxus aquæ aliter quam priore æſtate fluxit, mutetur. *tit.* 13. *Ne quid in flumine publico fiat, quo aqua aliter fluat, atque uti priore æſtate fluxit.* 3. Ne naviganti, vel piſcanti, vel ripa utenti vis fiat. *tit.* 14. *ut in flumine publico navigare liceat.* 2. Ad *Tuitionem* quoque fluminum comparatum eſt Interdictum: puta ne vis fiat tuenti, reficienti, munienti ripam fluminis, agrumve, qui circa ripam eſt. *tit.* 15. *de ripa munienda.* Et hæc de Interdictis publicam utilitatem ſpectantibus.

11. *Privatam* rem interdicta quæ reſpiciunt, competunt vel ratione rei immobilis juriumve, vel rei mobilis. Prioris generis ſunt quindecim interdicta ſequentia: Eaque ſpectant ad triplicem finem, vel ad tuendam fundi proprii poſſeſſionem, vel ad tuendum jus aliquod in alieno fundo, vel ob commune & perſonale intereſſe.

1. Ad prius pertinent duo ſequentia interdicta. Interdictum *de vi & vi armata.* Quod datur ad amiſſam poſſeſſionem recuperandam, ſive quis fundo ſine armis de-

dejectus eſt, quæ vis quotidiana dicitur: ſive cum armis . *tit.* 16. *de vi & vi armata*. 2. Interdictum item *uti poſſidetis*, ad retinendam fundi poſſeſſionem . *titul.* 17. *uti poſſidetis*. Secundi generis interdicta, quæ ad tuendum jus aliquod in alieno fundo dantur , ſunt decem ſequentia. 1. Interdictum *de ſuperficiebus* . Hoc interdicto is, qui jus ædificandi habet in alieno ſolo, jus ſuum quaſi poſſeſſionis tuetur. *tit.* 18. *de Superficiebus*.

2. Interdictum quoque *de itinere actuq; privato*, ad retinendam quaſi poſſeſſionem itineris, actus, viæ privatæ, per fundum alienum . *tit.* 19. *de Itinere actuq; privato.* 3. Interdictum *de aqua quotidiana & æſtiva* , ad retinendum uſum , vel adipiſcendam quaſi poſſeſſionem aquæ ducendæ ex alieno . *tit.* 20. *de aqua quotidiana & æſtiva* . 4. de Rivis, per quos aqua ducitur , reficiendis ſcil. *tit.* 21. *de Rivis* . 5. de *Fonte* , i. e. hauriendæ aqua ex fonte alieno . *tit.* 22. *de Fonte*. 6. de Cloacis reficiendis, purgandis. *tit.* 23. *de Cloacis*. 7. Quod vi aut clam interdictum : quod competit ei, cui a vicino , vi aut clam opere facto damnum datum eſt . *titul.* 24. *quod vi aut clam* : cujus tituli exceptio eſt *tit.* 25. *de remiſſionibus:* nam ſi poſt nunciationem novi operis remiſſionem nun-

nunciationis nunciatus impetraverit, eo interdicto is tenetur, ipsique nunciato interdictum de remissionibus datur. 8. De Precario Interdictum ejusdem generis est. Precarium est concessio rei, vel possessionis, quam prece ita impetravimus, ut uteremur quamdiu libuerit concedenti. Ergo si ea res mihi ablata sit, competit hoc interdictum. *tit.* 6. de *precario*.

9. Item *de Arboribus cædendis* interdictum; quo vicinum arbores suas in ædes meas impendentes, vel in agrum meum conlucare seu sublucare, coërcereq; oportere intendo. *tit.* 27. *de arboribus cædendis.*

10 Interdictum *de glande legenda*, id est, ut fructum omnem meum in fundum vicini cadentem tertio quoque die colligere mihi liceat. *tit.* 28. *de glande legenda.*

Tertium genus Interdictorum, quæ privatam rem jusque respiciunt, est eorum, quæ dantur ob commune aliquod personarum interesse: cujusmodi duo hic proponuntur. 1. Interdictum *de homine libero exhibendo*, quod datur in eum, qui supprimit hominem liberum; Quod quidem officii causa introductum est, quia hominem beneficio affici, hominis interest. *tit.* 29. *de homine libero exhibendo*. 2. Interdictum *de liberis exhibendis*, item *ducendis*: quod datur, ut quis filium vel nepotem

Ex Lib. XLIV.

1. *De* Exceptionibus.
2. *deque* Obligationibus *in genere.*

1. Exceptiones nunc reorum adverſus actiones ſequuntur, ſeu quibus actiones excluduntur.

Eodem ordine, quo & in Edicto perpetuo.

Quas & ipſas Exceptiones Prætor olim formulis addebat: de quibus agitur in genere *tit.* 1. *de Exceptionibus, præſcriptionibus & præjudiciis*. Speciatim vero quinque exceptionum genera, præter alias, quæ jam ſupra titulos peculiares ſua ratione habuere, proponuntur. 1. *Rei Judicatæ* Exceptio. *tit.* 1. *de exceptione Rei Judicatæ*. 2. *Temporis* exceptio. i. e. præſcriptionis & poſſeſſionis. *tit.* 3. *de diverſis temporalibus præſcriptionibus, & de acceſſionibus poſſeſſionum*. 3. Doli *mali* & metus Exceptio. *tit.* 4. *de Doli mali & metus exceptione.* 4. Actionis non impetratæ exceptio. *tit.* 5. *Quarum rerum actio non detur.* 5. Poſtremum exceptio *litigioſi. tit.* 6. *de litigioſis*.

11. Poſt

11. Poſt ſpeciales & ſingulares civilium Judiciorum actionumque ſpecies, earumque cauſas ſeu fontes reſeratos, fineſque propoſitos, quæ ſcil. ex *Obligatione* aliqua ſpeciali quæque illa ſit, ex qua quis alteri obligatus eſt, oriuntur: atque adeo poſt *actiones*, quæ a libro 5. pertractari cæperunt, ipſæ jam in commune obligationum contrahendarum firmandarumque, (unde & *actiones* enaſcuntur) & retro ſolvendarum (unde exceptiones oriuntur) formæ ſeu rationes deinceps proponuntur: contrahendarum, inquam, ut actionem producere poſſint: unde *tit. ult. de Obligationibus & Actionibus*, & quidem civilem, de qua *ſupra*: vel pænalem, de qua poſtea lib. 47. & 48. Inter quæ duo actionum genera hic de obligationibus tractatus medio loco, ceu in confinio poſitus eſt, quandoquidem & quædam obligationes ſunt ex delicto.

Hæc inquam, ordinis iſtius ratio reddi poſſit, & Edicti tamen perpetui ordinem attendenti, quo ſcil. ultima ejus parte de *ſtipulationibus* conventionalibus, de *ſatisdationibus*, deq; *ſtipulationibus Prætoriis* [quæ & ipſæ inſtar actionum ſunt. *l. actionis 7. de obligat. & action.*, & edicto de edendo continentur] actum fuit, apparet

paret, de *Obligationibus & ſtipulationibus* in genere, tum & de modis ſolvendæ obligationis, hac tantum ſatisdationum & ſtipulationum occaſione hic actum: & ſic hactenus quoque Edicti ordinem hic ſervaſſe Tribonianum; niſi quod de obligationum tollendarum modis nulli ibi tituli extitere. Quare autem de eo hic actum fuerit, ſuſpicari libet, quia materia hæc univerſum jus perambulat: & velut omnium obligationum, actionum & negotiorum *Pandectes* eſt; ſive ad ea ſtatuminanda, firmanda, ſive tollenda.

PARS

PARS SEPTIMA
DIGESTORUM,

a libro 45. *ad finem Pandectarum.*

EX LIB. XLV.

DE STIPULATIONIBUS.

3. HArum igitur obligationum, quod ſecundo loco tenendum eſt, *Vincula* & acceſſiones proponuntur: quæ ſunt *Verborum obligationes*, ſeu *ſtipulationes*, id eſt conventiones ſolemnibus verbis ex interrogatione & reſponſione confectæ, quæ utique ab aliis obligationibus pendent, & inventæ ſunt cæterarum obligationum firmandarum cauſa. *titul.* 1. *de verborum obligationibus*. Porro circa has ſtipulationes, & quidem perſonarum reſpectu, ad ſingularem effectum, notanda ſunt hæc tria. Primo, *Duos* quandoque pluresve reos, tum ſtipulandi, tum & promittendi una eademque ſtipulatione promiſſioneque ſæpe conſtitui: ſic ut duo tum creditores ſint, quibus ſingulis ſolidum debetur; duo con-

contra debitores obligati in ſolidum ſinguli : quod quomodo fiat declaratur *tit.* 2. *de duobus reis conſtituendis*.

Secundo notandum, *ſervos* quoque interdum ſtipulari : & recte quidem, perſona videlicet dominorum inſpecta. *tit.* 3. ſeu *de ſtipulatione ſervorum*.

Ex Lib. XLVI.

1. De Obligationum Acceſsionibus:
2. *Deque Actionum & Obligationum* Solvendarum *modis*.
3. *Tandem de ſtipulationibus* Prætoriis.

TErtio notandum, *Fidejuſſores & mandatores* quandoque obligationibus alienis accedere : *fidejuſſores*, inquam, i. e. qui pro debitore, ſuo nomine ſtipulanti, promittunt, citra novationem : *Mandatores*, qui fidejuſſorem fidejubere, vel creditorem ipſum alii credere rogant. *tit.* 1. *de Fidejuſſoribus & Mandatoribus*.

Et hæc de obligationibus contrahendis ſtipandiſque, ſeu firmandis.

Extinguuntur viciſſim obligationes variis modis. 1. *Novatione*. 2. & *Delegatione*. *Novatione* inquam, id eſt mutatione debi-

debitoris, vel cauſa debendi: *Delegatione*, i. e. mutatione creditoris ſimul, & debitoris. *tit.* 2. *de Novationibus & delegationibus*. 3. *Solutione*, qui modus tollendæ obligationis maxime naturalis eſt. *tit.* 3. *de ſolutionib. & liberationib.* 4. Tandem & *Acceptilatione*, quæ imaginaria ſolutio eſt. *tit.* 4. *de Acceptilationib.* Et hæc de ſtipulationibus conventionalibus.

2. *Prætoriæ* quoq; quædam ſtipulationes ſunt, quæ Edicto Prætoris interponi jubentur, quæ multa habent præcipua, de quibus in genere *tit.* 5. *de ſtipulationibus Prætoriis*. Iſtiuſmodi ſtipulationes Prætoriæ tres hic ſpeciatim proponuntur. 1. *Rem pupilli ſalvam fore*, quam præſtat tutor vel curator legitimus, vel datus ſine inquiſitione, & uno tantum caſu teſtamentarius, & ex inquiſitione datus, puta ſi unus ex pluribus ſolus adminiſtrare velit. *tit.* 6. *Rem pupilli vel adoleſcentis ſalvam fore*. 2. *Judicatum ſolvi* ſtipulatio. *tit.* 7. *judicatum ſolvi*. 3. *Ratam rem haberi*, quam regulariter reus a procuratore actoris ſtipulatur, ante litem conteſtatam. *tit. ult. Ratam rem haberi, & de ratihabitione*.

Et hactenus quidem de civili judicio.

Ubi & *Edictum* Prætoris deſinebat, quod

quod is de civilibus tantum cauſis cognoſceret, exceptis privatis, furti, vi bonorum raptorum, incendii, injuriarum actionibus, de quibus in Edicto alio loco ſituque actum fuit.

Ex Lib. XLVII.

De Delictis 1. *Privatis*, 2. *Extraordinariis*, 3. *Popularibus*.

Poenalia nunc Judicia ſequuntur, ſeu pœnales actiones, delictorum nomine: Quorum varia admodum perſecutio eſt, unde & delictis illis varia quoque nomina indita, & ideo in quatuor ſpecies diviſa: Alia quippe *privata* delicta vocantur, alia *Extraordinaria* crimina: aliæ *populares* actiones, alia denique *publica judicia*.

1. *Privata delicta* dicuntur, quæ meram utilitatem cauſamque privatam attinent, & attentant; denique quæ privatam perſecutionem continent.

Quorum nomine Prætor quoque Edicto ſuo ad privatam perſecutionem ſeu forenſes actiones propoſuit, de quibus in Edicto Prætoris actum fuit aliis locis.

De his in genere agitur *tit.* 1. *de privatis delictis*. Hujus generis delicta tria sunt: Furtum, Rapina & Injuria; e quibus duo priora *bona* respiciunt, postremum famam, honorem, existimationem.

De *Furto* agitur in genere *tit.* 2. *de furtis*. Sed enim speciales quædam sunt furti actiones, quæ singularia quædam habent: sive ratione objecti, sive respectu personarum, quæ furtum admittunt, sive ratione subjecti. 1. Ratione *objecti* peculiaris est actio *de Tigno injuncto*, ex l. 12. Tabul.: qua actione is qui alienam materiam quamcunque, (quæ omnis *tigni* appellatione comprehenditur) ædibus suis vel vineæ junctam habet, quia eam solvere non potest, neque tenetur, ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur, in duplum ejus nomine tenetur etiam ignorans. *tit.* 3. *de tigno injuncto*. 2. Ratione *personarum* quæ furtum admiserunt, tres hic speciales furti actiones proponuntur. Prima, quæ prodita est Edicto Prætoris in duplum, adversus eum, qui liber esse jussus est testamento, si ante hereditatem aditam, aliquid ex ea surripuit, vel depopulatus est, seu dissipavit. *tit.* 4. *Si is qui testamento liber esse jussus erit post mortem domini, ante aditam hæreditatem*

fur-

furripuiſſe, aut corripuiſſe quid dicetur. Secunda, & ipſa Prætoris Edicto prodita, adverſus Nautas, Caupones, Stabularios, licet ipſi furtum non fecerint, ſed eorum aliquis, quorum opera ipſi utuntur. *tit.* 5. *Furti adverſus nautas, caupones, ſtabularios.*

Tertia, ſi familia, i. e. grex ſervorum unius domini, eo ignorante furtum fecerit: quamvis enim verum ſit ſingulos ſervos furtum feciſſe, attamen dominus liberatur præſtando quantum ſi unus tantum liber, niſi malit omnes ſervos noxę dedere, feciſſet. *tit. 6. Si familia furtum feciſſe dicetur.* 3. Tandem ratione *ſubjecti* ſingularis furti actio arborum furtim cæſarum nomine competit, ex l. 12. tab. & ex l. Aquilia: cæſarum inquam, licet earum furtum factum non fuerit. *tit. 7. Arborum furtim cæſarum.*

2. Secundum privatum delictum eſt *Rapina*, de qua Edicto Prætoris actio privatam perſecutionem continens prodita eſt. *tit.* 8. *Vi bonorum raptorum*. Ad quam ea quoque actio pertinet peculiaris, quæ ex Edicto Prætoris competit adverſus eum, qui ex incendio, ruina, naufragio, rate vel nave expugnata, quid rapuit, dolove malo recepit, vel damni quid in his rebus fecit. *tit. 9. de incendio, ruina, naufragio,*

fragio, *rate*, *nave expugnata*.

Tertium privatum delictum est *Injuria*, quæ vel citra scripturam, vel scripto admittitur. *tit.* 10. *de Injuriis & famosis libellis*. Hactenus de privatis delictis.

2. *Extraordinaria* crimina sequuntur. Sunt ea vero, quibus principaliter quidem causa & utilitas privata attentatur, sed nihilominus vel religio, vel publica securitas, vel honestas etiam publica quodammodo etiam attaminatur: quæ & ideo non mulcta pecuniaria plectuntur, verum coërcitione, eaque non ordinaria, verum extraordinaria, arbitrio Magistratus, & pro modo admissi. *tit.* 11. *de Extraordinariis Criminib.* Cujusmodi crimina extraordinaria undecim hic memorantur, seu pertractantur, partim religionem spectantia, partim communem usum. 1. Sepulchri violati actio. *tit.* 12. *de sepulchro violato*. 2. *Concussio*, i. e. crimen pecuniæ extortæ per terrorem injectum sub specie publicæ alicujus potestatis. *tit.* 13. *de Concussione*. 3. *Abigeatus*. *tit.* 14. *de Abigeis*. 4. *Prævaricatio*, i. e. collusio accusatoris vel advocati cum reo. *tit.* 15. *de Prævaricatione*. 5. *Receptatorum* crimen, i. e. eorum, qui reos criminum recipiunt vel dimittunt, pecunia accepta. *tit.* 6. *de receptatoribus*. 6. *Fures balnearii*, vestimento-

rum

rum ſcil. eorum qui in balneis lavabantur. *tit.* 17. *de Furibus balneariis*. 7. Effractura. *tit.* 18. *de Effractoribus & Expilatoribus*. 8. *Expilata* hæreditas. *tit.* 19 *expilatæ hæreditatis*. 9. *Stellionatus*, i. e. omnis verſutia, impoſtura, dolus omnis qui proprio caret nomine: veluti ſi quis rem jam obligatam diſſimulata obligatione per calliditatem alii diſtraxit, permutavit, in ſolutum dedit, vel ſi merces ſuppoſuit, veluti vitrum pro ſmaragdo. *tit.* 20. *ſtellionatus*. 10. *Termini* moti actio. *tit.* 21. *de Termino moto*. Poſtremum *Collegii* illiciti crimen. *tit.* 22. *de collegiis & corporibus*.

3. Tertia ſpecies delictorum eſt eorum, qui ſuum quodammodo jus populo adimunt: unde ideo naſcuntur actiones, quæ *Populares* vocantur, quæ ſuum jus populo tuentur. (*l.* 1. 3. 4.) veluti alibi corrupti, ſimileſq; aliæ. *tit. ult. de popularibus actionib.*

Ex Lib. XLVIII.

De Publicis Delictis.

4. *Publica* delicta, quæ quartam delictorum ſpeciem conſtituunt, ſunt, quæ vigorem publicæ diſciplinæ non tantum attentant, ſed etiam quæ lege aliqua publicorum Judiciorum exerte vindicabantur: & de quibus olim *publicum* ſeu totius populi *Judicium* erat: quæ vita, vel libertate, vel civitate, aliave qua ſimili pœna vindicabantur: De his agitur in genere *tit* 1. *de publiciis judiciis*. Speciatim vero de his hæc quinque capita hoc libro pertractantur: 1. *Antecedentia* judicium criminale. 2. Ipſæ delictorum ſeu publicorum criminum *ſpecies*. 3. *Proceſſus* in his Judiciarius. 4. *Pœnæ* criminum. 5. Tandem & *conſequentia*.

1. *Antecedentia* judicium criminale duo ſunt. 1. *Accuſatio* & *inſcriptio* in crimen: nam quod in aliis eſt actio, id in his eſt accuſatio & inſcriptio. *tit.* 2. *de Accuſationibus & inſcriptionibus*. 2. *Cuſtodia* reorum & eorum exhibitio. *tit.* 3. *de cuſtodia & exhibitione reorum*.

2. *Species* publicorum Judiciorum duodecim totidem titulis pertractantur. 1. *Ma-*

Majeſtatis crimen. *tit.* 4. *ad l. Juliam Majeſtatis*. 2. *Adulterii*. *tit.* 5. *ad l. Juliam de adulteriis*. 3. *Vis* publica. *tit.* 6. *ad l. Juliam de vi publica*. 4. *Vis* privata. *tit.* 7. *ad l. Juliam de vi privata*. 5. Homicidium & veneficium. *tit.* 8. *ad l. Corneliam de Sicariis & veneficiis*. 6. Parricidium *tit.* 9. *de l. Pompeja de parricidiis*. 7. Falſi crimen. *tit.* 10. *de l. Cornelia de Falſis*. 8. Repetundarum crimen. *tit.* 11. *ad l. Juliam repetundarum*. 9. Annonæ fraudatæ. *tit.* 12. *de l. Julia de Annona*. 10. Peculatus, item ſacrilegium, & crimen Reſidui. *tit.* 13. *ad l. Juliam Peculatus, & de Sacrilegiis & de reſiduis*. 11. Ambitus. *tit.* 4. *de l. Julia de Ambitu*. 12. Plagium. *tit.* 15. *de l. Fabia de plagiariis*.

3. *Proceſſus* criminalis ſequitur: de quo tria hoc libro tractantur. 1. Primo quidem accuſatores cæptam accuſationem peragere coguntur: alioquin *Senatuſconſulto Turpilliano* vindicantur, niſi forte abolitione impetrata ab accuſatione quis deſtiterit. *tit.* 16. *ad Senatuſconſultum Turpillian. & de abolitionibus criminum*. 2. Si rei abſint, requirendi veniunt, citatique abſentes damnantur. *tit.* 17. *de requirendis, vel abſentibus damnandis*. 3. Quæſtionibus ſeu tormentis ad eruendam veritatem locus eſt. *tit.* 18. *de Quæſtionibus*.

4. *Pœna* reorum ſequitur. *tit.* 19. *de Pœnis*, de quorum bonis quid juris ſit definitur: ſive damnati ſint. *tit.* 20. *de bonis damnatorum*: ſive ipſi de ſe ſtatuerint & damnationem quandoque anteverterint. *tit.* 21. *de bonis eorum qui mortem ſibi conſciverunt*. De interdictionis & Relegationis nominatim pœna agitur. *tit.* 22. *de interdictis & relegatis, & deportatis*.

5. Ad *conſequentia* Judicii criminalis pertinent duo tituli poſtremi: quibus oſtenditur, quandoque ſententiam paſſos ſolere poſſeque reſtitui. *tit.* 23. *de Sententiam paſſis & reſtitutis*. Cadavera item punitorum quibuſcunque petentibus ad ſepulturam dari. *tit. ult. de Cadaveribus punitorum*.

Et hactenus quidem de Judiciis Civilibus & pœnalibus primæ inſtantiæ.

EX LIB. XLIX.

1. *De* APPELLATIONIBUS.

2. *Deque Jure* PUBLICO.

SEcundæ inſtantiæ judicium ſequitur, ad *Appellationem* videl., de qua eſt titulus generalis 1. *de Appellationibus*. In appellationibus ſpeciatim tria tempora ſpectan-

ſtanda veniunt: 1. Interponendæ: 2. Interpoſitæ: 3. & proſequendæ appellationis.

1. In *interponenda* jure appellatione, horum ratio habenda, 1. Judicis, 2. Temporis, 3. Appellantis, 4. Cauſæ denique. 1. Judicis, inquam, a quo & ad quem: ſunt enim a quibus appellare non licet. *tit* 2. *a quibus appellare non licet*: Retro, definiti certique ſunt Judices, ad quos appellandum eſt. *tit.*3. *Quis a quo appelletur.* 2. Tempora etiam certa ſtatuta ſunt, intra quæ appellandum eſt. *tit.* 4. *Quando appellandum ſit, & intra quæ tempora.* 3. Appellantis tandem ratio quædam peculiaris eſt: puta ut & alii quoque quandoque appellare liceat, quam qui judicio victus eſt, humanitatis ratione. 4. Item *cauſæ* ſunt, in quibus appellatio non recipitur. *titul.* 5. *de Appellationibus recipiendis, vel non.*

3. *Interpoſita* appellatione debebat is a quo appellatum erat, ad eum ad quem appellabatur, libellos dimiſſorios, qui & *Apoſtoli* dicti, emittere, quibus ille judicem appellationis certiorem faciebat, Lucium Titium v.g. a ſententia ſua appellaſſe, cujus etiam ſententiæ tenorem indicabat. *tit.* 6. *de Libellis dimiſſoriis qui Apoſtoli dicuntur.*

Duobus ſuperioribus capitibus commu-

ne illud eſt, ſeu interpoſitæ appellationis vis hæc eſt; Primum ut nihil innovetur, ſeu novi fiat appellatione interpoſita. *tit.* 7. *Nihil innovari appellatione interpoſita.* Secundo fruſtra quæri de interponenda appellatione, & fruſtra eam interponi, ſi ſententia ipſo jure nulla ſit: veluti, quia manifeſte erronea, contra leges, contra mortuum, impoſſibile quid continens, a non ſuo & competente Judice, inter non conſentientes, lata fuit. *tit.* 8. *Quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur.*

3. Circa *proſequendam* & pendentem cauſam appellationis hæ quæſtiones ſeu viſiones incurrunt. Primo per quem cauſæ appellationum reddi poſſint, num etiam per alium. *tit.* 9. *an per alium cauſæ appellationum reddi poſſunt.*

Secundo, appellator ſi cauſas appellationis non probaverit, periculum medii temporis præſtat: veluti ſi quis tutor vel curator aut Magiſtratus creatus appellaverit, & cauſas appellationis non probaverit. *tit.* 10. *Si Tutor, vel Curator, vel Magiſtratus creatus appellaverit.*

Tertio, ſi quis appellaverit, & appellationis ſuæ cauſa peregre in aliqua provincia degat, ibidem in cæteris cauſis ſuis in eadem provincia alias actiones excipere, ſeque defendere neceſſe habet. *tit.* 11. *Eum*

qui

qui appellaverit in provincia defendi. Et retro alias cauſas apud eundem nihilominus Judicem, a quo appellavit, agere compellitur, neque ideo ejus forum vel cognitionem declinare poteſt. *tit.* 12. *apud eum a quo appellatur aliam cauſam agere compellendum*. Tandem, ſi pendente appellatione mors intervenerit, judicium civile in hæredem tranſit: non & criminale. *titul.* 13. *Si pendente appellatione mors intervenerit*.

Hactenus De Jure Privato.

11. Publicum jus ſequitur. *Publicum* jus voco, quo præcipue Reſpublica continetur, & in quo nervi Reipublicæ conſiſtunt. Cujuſmodi ſunt hæc duo. Fiſci jura: de quibus *tit.* 14. *de jure fiſci*. Secundo res *Militaris*, quo pertinent quatuor tituli ſequentes: *tit.* 15. *de captivis & de poſtliminio, & de redemptis ab hoſtibus*. *tit.* 16. *de re militari*: *tit.* 17. *de Caſtrenſi peculio*: *tit. ult. de Veteranis*.

EX LIB. L.

De Jure MUNICIPALI, *deque Verbis & REGULIS Juris.*

III. MUnicipale denique jus ſequitur, id eſt, quo non jam univerſa Reſp. Rom. continetur, verum quo ſingulorum municipiorum & civitatum jura reguntur, definiuntur. *tit.* 3. *ad Municipalem* (legem, vel rem ſcil.) *& de incolis.* Conſiſtit autem jus iſtud municipale ſeu res municipalis, primo in perſonis. Erant, ſcil. in ſingulis municipiis non promiſcua tantum *incolarum* manus, de quibus *d. tit.* 1. verum etiam Senatores, qui *Decuriones* vocabantur, qui ut & eorum filii, huic conditioni adſtricti erant. *tit.* 2. *de Decurionibus & filiis eorum:* quorum etiam certa matricula ſeu album erat: cujus ordinem Decuriones in ſententiis dicendis, & honoribus muneribuſque ſuſcipiendis, ſequebantur. *tit.* 3. *de Albo ſcribendo.* Secundo, jus municipale conſiſtit in *Muneribus & honoribus.* A quibus tamen vocatio & excuſatio, & immunitas certis de cauſis competebat. *tit.* 5. *de vacatione & excuſatione munerum:* & *tit.* 6. *de jure immunitatis.* Inter hæc vero munia erat

& mu-

& munus Legationis ſeu Legati, videlicet quum quis a Republica ad Principem municipalis negotii ergo mittebatur. *tit.* 7. *de Legationibus*. Tertio, jus municipale conſiſtit in *Rebus* & *Pecuniis* municipalibus: quarum adminiſtratio nonnullis injungebatur. *tit.* 8. *de adminiſtratione rerum ad Civitatem pertinentium*. Quarto, in decretis ab ordine faciendis: *Ordo* enim, i.e. Senatus municipalis de quibusdam rebus ad communem utilitatem pertinentibus decreta facere poterat, deinde certa erat decretorum forma, ut ea valerent. *tit.* 9. *de Decretis ab ordine faciendis*. Quinto, in *Operibus quoque publicis* jus reſque municipalis conſiſtit, quorum ſane præcipua cura erat. *tit.* 10. *de Operibus publicis.* 6. In *Nundinarum* etiam jure jus municipale conſiſtit: non niſi certa quippe Municipia nundinarum jus habebant, vel ex longa conſuetudine, vel ex Principis indulgentia. *tit.* 11. *de Nundinis*. 7. In *Pollicitationibus* item earumque exactione jus municipale conſiſtebat: nempe enim multi paſſim hoc ævo, ob honorem ſibi in patria decretum, vel decernendum, vel ob alias juſtas cauſas, Reipublicæ pollicebantur opus aliquod ſe facturos, vel pecuniam daturos: ex hac igitur pollicitatione tenebantur: de quo *tit.* 12. *de Pollici-*

licitationibus. Octavo, in jure municipali obſervandum, Duumviros ſeu Magiſtratus Municipales, de omnibus rebus & negotiis in Municipiis cognoviſſe: exceptis nonnullis cognitionibus, quæ Præſidibus reſervatæ erant: quæ & ideo *extraordinariæ* dicebantur. *tit.* 13. *de extraordinariis cognitionibus, & ſi Judex litem ſuam feciſſe diceretur.* Cujuſmodi eſt inter alias cognitio de *Proxeneticis*. *tit.* 14. *de Proxeneticis*. Poſtremum, ad Jura Municipalia pertinet *Cenſus*, cujus etiam diverſa ratio erat, pro diverſitate municipiorum, civitatum & coloniarum. *tit.* 15. *de Cenſibus*.

Poſtremo Pandectarum loco pro colophone quodam ſubjiciuntur duo. 1. *Verborum* ad jus ſpectantium ſignificationes. *tit. penult. de verborum & rerum ſignificatione*. 2. & *Regulæ* nonnullæ Juris, hinc inde ſparſim, ſpicilegii vel racemationis cujuſdam inſtar, collectæ conjunctæque. *tit. ult. de diverſis regulis Juris antiqui*.

ORDO

ORDO, seu SERIES CODICIS JUSTINIANEI.

1. POST tres Constitutionum Imperatoriarum *Codices* seu compilationes, Gregorianum, inquam, Hermogenianum & Theodosianum, quorum priores duo Principum Paganorum, seu Gentilium constitutiones, ab Hadriano Imperat. ad Diocletianum & Maximianum usque, non divisis, [ut nonnullis visum] Epochis, verum promiscue complectebantur, postremus vero, Constitutiones Imperatorum Christianorum, initio ducto a Constantino M. (qui primus veneranda Christianorum fide munivit Imperium, seu primus Imperatorum Christianus extitit) ad Theodosium Juniorem usque, & quidem ad ann. Domini 438. continebat. 2. Post *Novellas* item quasdam, i. e. constitutiones post Codicem Theodosianum editum, tum ab ipsomet Theodosio Juniore, tum ab aliis deinceps insequutis Imperatoribus latas, atque adeo extra Theodosianum Codicem vagantes. 3. Deniq; post constitutiones complurimas a semet promulgatas, *Justinianum*

num impetus cepit, Codicis de nomine ſuo (*Iuſtinianei*) conficiendi, i. e. ſuperiorum omnium Principum conſtitutiones, ſuaſq; ad ævi ſui uſum forumque unum in Codicem undique colligendi compingendique. Quod & duplici editione præſtitit: Quarum poſteriorem, obliterata priore, confectam, anno Domini 534. in manibus hodie habemus: Quæ cauſa eſt, ut Codex hic *Repetitæ prælectionis*, i.e. novæ ſeu ſecundæ editionis νέας ἐκδόσεως inſcribatur.

EX LIB. I.

Agitur hoc libro de his tribus.

1. *De Jure* SACRO.
2. *de* SPECIEBUS *Juris*.
3. *de* MAGISTRATIBUS.

HIs ita generaliter præmiſſis, tenendum eſt, Jus omne hoc Juſtinianeo Codice comprehenſum, vel ad jus ſacrum, vel ad privatum, vel denique ad publicum pertinere. (Nam & ita nonnulli jus olim divisere, quorum numero fuit quoq; *Auſonius*); vel ita brevius, Jus omne vel ad jus divinum, vel ad jus humanum ſpectare.

§. 1.

§. 1. *De Jure* Sacro.

Tituli 13.

A *SACRO*, ſeu divino jure, initium hic ducit Juſtinianus, aliter atq; Codicis Theodoſiani conditores, qui in decimum ſextum ſeu noviſſimum librum conſtitutiones ad jus ſacrum pertinentes conjecerant: quemodo & in poſtremam ſeu decimam Tabulam e duodecim jus ſacrum a Decemviris relatum.

Jus Sacrum (quod quidem ratione objecti ita dicitur) vel cultum divinum reſpicit, vel extrinſeca quædam alia eodem pertinentia.

1. *Cultus* rurſum *divinus eſt*, vel Catholicus ſeu rectus, veræq; Religionis, vel falſus & profanus. Circa cultum veræ religionis quatuor ſequentia capita ſpectanda veniunt. Primo quidem *Myſteria* & capita ipſa fidei Catholicæ ſeu orthodoxæ: cujus utique præcipuum caput eſt, verus & intemeratus de Summa Trinitate ſenſus: regula vero ſeu obruſſa fidei iſtius, Evangelica & Apoſtolica doctrina, exemplis inſuper pro rerum uſu ſummorum ex antiquitate Epiſcoporum, firmata. *tit.* 1. *de ſumma Trinitate & fide Catholica.*

2. Secundo, *Loca* ſeu Eccleſiæ, in quibus,

bus cultus divinus exhibetur, ſeu celebratur: quarum res ſeu bona, ſimul & privilegia, varia olim fuere: eaque vel in commune omnium Eccleſiarum, vel ſingularia certe προνόμια præcipuarum quarundam & Patriarchalium in orbe Romano Eccleſiarum. *tit.* 2. *de SS. Eccleſiis, & de rebus & privilegiis earum.*

Tertio *Perſonæ*, muniis lociſque cultus Chriſtiani deſervientes: puta Epiſcopi & Clerici, quibus accedant & alii pietatis officia publicitus peragentes: puta Orphanotrophi, brephotrophi, ptochotrophi, xenodochi, aſcetriæ item & Monachi. *tit.* 3. *de Epiſcopis, & Clericis, & Orphanotrophis, & brephotrophis, & ptochis, & xenodochis, & aſceteriis, & Monachis, & privilegiis eorum, & caſtrenſi peculio; & de redimendis captivis, & de nuptiis Clericorum vetitis ſive permiſſis.*

Quarto *Actiones*: veluti *Judicium* de rebus & perſonis Eccleſiaſticis, [quæ *Epiſcopalis audientia* proprie dicitur] cæteraque ad jus curamq; Epiſcoporum eorumq; reverentiam pertinentia. *tit.* 4. *de Epiſcopali audientia, & de diverſis capitulis, quæ ad jus curamque & reverentiam pertinent Pontificalem.* Hactenus de vero cultu.

2. Ad *Falſam* religionem, ſeu falſum cul-

cultum & profanum, eoſque qui a Catholicæ Religionis veneratione alieni ſunt, & extra Eccleſiam poſiti, ſequentes tituli ſeptem pertinent. Nempe, qui falſam religionem præ ſe ferunt, aliterve erga veram irreverentes ſunt, in quadruplici differentia ſunt. 1. Vel enim in ipſamet Eccleſia conſtituti pernitioſa dogmata præfracte, contumaciter & obſtinate fovent, qui *hæretici* dicuntur: & inter hos quidem Manichæi & Samaritæ inſigniores. *tit. 5. de hæreticis & Manichæis & Samaritis*; ut & qui Baptiſma iterabant (veluti Donatiſtæ, Novatiani, Eunomiani, qui a Catholicis baptizatos rebaptizabant) *tit. 6. Ne ſanctum Baptiſma iteretur*. 2. Vel *prodita Religione* Chriſti ab ea deficiunt, ſive ad Judaiſmum, ſive ad Paganiſmum, qui utrique *Apoſtatæ* dicuntur. *tit. 7. de Apoſtat.* 3. Vel quodammodo *Profani*, atq; in religionem Chriſtianam contumelioſi ſunt (quales habentur ex Theodoſii Jun. conſtitutione) qui ſignum Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, id eſt crucem, in ſolo vel in ſilice, denique in pavimento ſculpunt pinguntve, atque adeo pedibus conculcandum præbent. *tit. 8. Nemini licere ſignum Salvatoris Chriſti humi vel in ſilice ſeu marmore aut ſculpere aut pingere*. 4. Vel denique ſunt *extra*

tra Eccleſiam Chriſtianam propalam conſtituti: quales ſunt 1. *Judæi* & his proximi Cælicolæ. *tit. 9. de Judæis & Cælicolis*. (Quibus etiam Judæis Chriſtianum mancipium habere ſeu poſſidere, ac multo magis circumcidere non licebat. *tit. 10. Ne Chriſtianum mancipium hæreticus vel Judæus vel Paganus habeat, vel poſſideat, vel circumcidat*) 2. *Pagani* ſeu Gentiles, ſacrificiis Templiſque dediti. *tit. 11. de paganis, & ſacrificiis, & templis*. Et hactenus quidem de iis quæ ad cultum Religionis pertinent.

Sequuntur enim nunc duo tituli, non quidem ad cultum pertinentes, verum ad *Extrinſeca* quædam eo pertinentia: de ſingularibus inquam *Actionib.* quibuſdam & negotiis quæ in *Eccleſia* peraguntur, & ſingulari eorundem privilegio. Quorum prius eſt, perfugium, ſeu refugium reorum, debitorum, confugarum ad Eccleſiam. *tit. 12. de iis qui ad Eccleſiam confugiunt vel ibi exclamant*. Altera vero, Manumiſſio in Eccleſia. *tit. 13. de his qui in Eccleſiis manumittuntur*. Hactenus de jure divino ſeu ſacro.

§. II.

§. II. De Juris Speciebus.

Tituli 12.

Reſpondet liber 1. *Digeſtorum*.

HUMANUM jus ſequitur, quod partim privatum, partim publicum eſſe diximus. Qua parte initio ſtatim de quinque Juris Civilis, ſeu poſitivi, per Orbem Rom. ſpeciebus ſeu partibus, quæ publice invocabantur, & quibus quiſque tutus erat, agitur: Et quidem hæ ſunt. 1. *Leges* & Conſtitutiones Principum. *tit.* 14. *de Legibus & Conſtitutionibus Principum*. 2. *Mandata Principum*, quæ perſonis extra ordinem (nam de his eſt hic titulus, non de illis quæ Præſidibus aut Procuratoribus in provincias proficiſcentibus de more dabantur, etſi eo quoq; trahi poſſit) ad rei ſeu negotii alicujus, ſive cognitionem, ſive executionem miſſis a Principe, dabantur, mox & ab iis publice, propoſitis Edictis, vulgabantur, (ſecretis enim mandatis non credebatur) *tit.* 15. *de Mandatis Principum*. 3. *Senatuſconſulta*. *tit.* 16. *de Senatuſconſultis*. 4. *Reſponſa prudentum*, ſeu Juriſconſultorum veterum ſententiæ & opiniones in Digeſta relatæ. *tit.* 17. *de veteri jure enucleand*,

cleando , & de auctoritate Juriſprudentium qui in Digeſtis referuntur. Quibus ſuperioribus omnibus, at non & Reſcriptis, de quibus mox , id commune eſt, ut ne ea ignorare vel negligere cuiquam liceat, utpote , cum certa jam ſint publicaque. *tit.* 18. *de juris & facti ignorantia*. Atque hoc quidem nexu titulus hic ſuperioribus recte connectitur , proximeque ſequentibus præmittitur , qui alio alioquin in cenſu ſua quoq; ratione ſtat in Digeſtis *lib.* 12. 5. Sunt deniq; *Reſcripta Principum*, ob preces videl. & libellos privatorum Principi oblatos pro re nata (imo & ad Relationes ſeu Conſultationes Magiſtratuum) emiſſi. Quo pertinent tituli ſex ſequentes, ubi primum agitur de *Libellis* ſeu de precibus ipſis , ad quas Reſcripta emittuntur : & quidem in genere *tit.* 19. *de precibus Imperat. offerendis, & de quibus rebus ſupplicare liceat*.

Secundo in ſpecie de vi & effectu validitateque libellorum, ſi jure oblati fuerint: puta ut litis conteſtatæ vim obtineant. *tit.* 20. *Quando libellus Principi datus litis conteſtationem facit*. Contra oſtenditur, ſæpe non Jure eos offerri: veluti duobus caſibus ſequentibus. 1. *Lite* ſc. *pendente*, vel poſt appellationem , vel ante definitivam ſententiam Principi ſupplicare

care non licet . *tit.* 21. *Ut lite pendente, vel poſt provocationem , aut ante definitivam ſententiam nulli liceat Imperatori ſupplicare .*

Secundo , neque contra jus vel utilitatem publicam petere quid licet, impetratumve valet . *tit.* 22. *Si contra jus vel utilitatem publicam , vel per mendacium fuerit aliquid poſtulatum vel impetratum .* Et hæc quidem de precibus , ſeu Libellis & ſupplicationibus. De Reſcriptis deinceps ipſis ſpeciatim agitur *tit.* 23. *de diverſis reſcriptis & pragmaticis ſanctionibus .*

Utriſque vero , libellis , inquam , ſeu precibus ſupplicationibuſque, & reſcriptis , haud abſimilia , imo adfinia maxime , ſunt *ad Statuas Principum* , juris ſui obtinendi cauſa , perfugia: ita enim tractatus hic ſuperioribus optime cohæret , non quaſi inter beneficia perſonalia quæ reſcriptis conceduntur , ſint quoque ſtatuæ & imagines: eſt enim hic tractatus proprie de *Statuis Principum* : ut neque ideo , quod de ipſorum Principum ſtatuis vel imaginibus in Civitate ſtatuendis in ornamenta Civitatis neceſſe erat a Principibus concedi beneficium . Nam & Principi aperte ſupplicat , juraque publice invocat , qui ad ſtatuam ejus confugit , & retro Principis nomine tutus eſt qui id facit , haut aliter atque

qui

qui Reſcriptum ab eo impetravit: imo, haud aliter atque qui ad loca ſacra & Eccleſias confugit : Unde & Cod. Theod. cohærent inter ſe *tit. de his qui ad ſtatuas confugiunt* , *& titul. de his qui ad Eccleſias confugiunt* . Hinc igitur jam de ipſis ſtatuis ſeu imaginibus Principum hic agitur *tit.* 24. *de ſtatuis & imaginibus:* tum deinde de confugientibus ad eas, *tit.* 25. *de iis qui ad ſtatuas confugiunt* .

§ III. *De* MAGISTRATIBUS

Tituli 32.

JUris ſpecies proxime excipiunt ii , qui *Jura tuentur* , ſeu jura publice reddunt , effectuique tradunt , id eſt *Magiſtratus* ; de quibus prima eſt quoq; ſemper in judiciis & actionibus inſpectio ſeu viſio (ita enim ſequens tractatus , pariter ut in Digeſtis , ſuperioribus aptatur , non quaſi Magiſtratuum Edicta nunc , ceu pars juris civilis ſequantur , atque adeo hac occaſione de Magiſtratibus nunc agatur , quod Cujacius tradidit . Et certe hic quoque ordo ſervatur in Edicto , ubi primus tractatus habitus de Magiſtratibus & de eorum Juriſdictione : ut docent Pauli & Ulpiani ad Edictum libri duo priores : Gaii liber primus .

Magi-

Magiſtratus porro, de quibus hoc Codice ferme agitur, erant alii Illuſtres, alii Spectabiles, alii denique Clariſſimi: Hæc enim Magiſtratuum diſtinctio ſeu diviſio jam inde a Conſtantini M. ferme ſeculo cæpit.

Illuſtres erant octo ſequentes, iique in triplici differentia. 1. *Prefecti Prætorio*, quorum proxima a Principe dignitas plenaq; erat & ὑποφυρος quædam βασιλεια: alterumque ab Auguſto imperium: qui & plures ut ſæpius Diæceſes ſub adminiſtratione ſua habuere; ut erat Præfectus Prætorio Orientis & Illyrici. *tit. 26. de officio Præfectorum Prætorio Orientis & Illyrici*. Item Præfectus Prætorio Africæ, qui a Juſtiniano poſt Africam a Vandalis liberatam Romanoque reſtitutam Imperio, inſtitutus, unicam tantum diæceſin illam regebat. *tit. 27. de officio Præfecti Prætorio Africæ; & de omni ejuſdem diæceſeos ſtatu.* 2. Secundo *Præfectus urbi* tam veteri, inquam, Romæ, quam novæ ſeu Conſtantinopoli, tandem qui Præfecto Prætorio dignitate pares erant. *tit. 28. de off. Præfecti urbis*.

Et hi quidem Illuſtres res civiles adcurabant: Alii vero Illuſtres erant, qui res militares adminiſtrabant, Magiſtri, inquam, militum. *tit. 29. de off. Magiſtro-*

qui Reſcriptum ab eo impetravit: imo, haud aliter atque qui ad loca ſacra & Eccleſias confugit : Unde & Cod. Theod. cohærent inter ſe *tit. de his qui ad ſtatuas confugiunt* , *& titul. de his qui ad Eccleſias confugiunt* . Hinc igitur jam de ipſis ſtatuis ſeu imaginibus Principum hic agitur *tit.* 24. *de ſtatuis & imaginibus :* tum deinde de confugientibus ad eas, *tit.* 25. *de iis qui ad ſtatuas confugiunt* .

§ III. *De* MAGISTRATIBUS

Tituli 32.

JUris ſpecies proxime excipiunt ii , qui *Jura tuentur* , ſeu jura publice reddunt , effectuique tradunt , id eſt *Magiſtratus* ; de quibus prima eſt quoq; ſemper in judiciis & actionibus inſpectio ſeu viſio (ita enim ſequens tractatus , pariter ut in Digeſtis , ſuperioribus aptatur , non quaſi Magiſtratuum Edicta nunc , ceu pars juris civilis ſequantur , atque adeo hac occaſione de Magiſtratibus nunc agatur , quod Cujacius tradidit . Et certe hic quoque ordo ſervatur in Edicto , ubi primus tractatus habitus de Magiſtratibus & de eorum Juriſdictione : ut docent Pauli & Ulpiani ad Edictum libri duo priores : Gaii liber primus .

Magi-

Magiſtratus porro, de quibus hoc Codice ferme agitur, erant alii Illuſtres, alii Spectabiles, alii denique Clariſſimi: Hæc enim Magiſtratuum diſtinctio ſeu diviſio jam inde a Conſtantini M. ferme ſeculo cæpit.

Illuſtres erant octo ſequentes, iique in triplici differentia. 1. *Prefecti Prætorio*, quorum proxima a Principe dignitas plenaq; erat & ὑποφυρος quædam βασιλεια: alterumque ab Auguſto imperium: qui & plures ut ſæpius Diæceſes ſub adminiſtratione ſua habuere; ut erat Præfectus Prætorio Orientis & Illyrici. *tit. 26. de officio Præfectorum Prætorio Orientis & Illyrici*. Item Præfectus Prætorio Africæ, qui a Juſtiniano poſt Africam a Vandalis liberatam Romanoque reſtitutam Imperio, inſtitutus, unicam tantum diæceſin illam regebat. *tit. 27. de officio Præfecti Prætorio Africæ; & de omni ejuſdem diæceſeos ſtatu.* 2. Secundo *Præfectus urbi* tam veteri, inquam, Romæ, quam novæ ſeu Conſtantinopoli, tandem qui Præfecto Prætorio dignitate pares erant. *tit. 28. de off. Præfecti urbis*.

Et hi quidem Illuſtres res civiles adcurabant: Alii vero Illuſtres erant, qui res militares adminiſtrabant, Magiſtri, inquam, militum. *tit. 29. de off. Magiſtrorum*

rum Militum . Alii deniq; *Comitatenſes*, qui res in comitatu , ſeu aula Principis adcurabant , cujuſmodi quinque ſequentes erant, diſtinctis inter ſe muniis. 1. *Quæſtor* ſcil. dictandis legibus , & ſimilibus, præerat. *tit.* 30. *de offic. Quæſtoris* (nam ita titulus hic ſuperioribus cohæret , non quaſi Magiſteriæ poteſtatis partem Quæſtura ſibi vindicaret , quod nonnullis viſum .) 2. *Palatinis* officiis , i. e. miniſtris in aula Principis ejuſque uſibus deſervientibus, eorumque diſciplinæ præerat *Magiſter Officiorum*. *tit.* 31. *de Officio Magiſtri officiorum* . 3. *Pecuniis* vero *Principis* (quæ trium generum erant , ſacræ videl. largitiones, res privatæ , & ſacrum patrimonium) præerant hi tres , 1. Comes ſacrarum largitionum . *tit.* 32. *de officio Comitis ſacrarum largitionum* . 2. *Comes* rerum privatarum . *titul.* 33. *de off. Comitis rerum privatarum* . 3. denique Comes Sacri patrimonii . *tit.* 34. *de off. Comitis Sacri patrimonii* . Hactenus Illuſtres .

2. *Spectabiles* Magiſtratus ſequuntur: quorum numero erant , & primo quidem loco , ſeu digniſſimi , *Proconſules*. *tit.* 35. *de officio Proconſulis* . 2. *Comes Orientis*: qua ampliſſima Orientis diœceſi variæ provinciæ comprehendebantur) *tit.* 36. *de officio*

ficio Comitis Orientis. 3. *Præfectus Augustalis* (i. e. Ægypti) *tit.* 37. *de officio Præfecti Augustalis;* 4. ut & *Vicarii* Præfectorum Prætorio per singulas diœceses. *tit.* 38. *de officio Vicarii*.

3. *Clarissimi*, tertium Magistratuum ordinem constituebant: cujusmodi erant in Urbe ipsa *Prætores;* quorum hoc tempore nulla ferme jurisdictio erat, sed nudum atque inane tantum nomen, ludis edendis destinatum dicatumque. *tit.* 39. *de off. Prætorum*. 2. In Provinciis vero *Rectores* provinciarum: puta Præsides, Correctores & Consules. *tit* 40. *de off. Rectoris Provinciæ*. De quibus duo singularia subjiciuntur. 1. Nulli *provinciæ suæ* administrationem permissam olim fuisse, ne videlicet aut gratiosus aut ambitiosus apud suos foret, vel etiam parentelis aut clientelis subnixus, spoliandorum Provincialium occasionem inde arriperet. *tit.* 41. *Ut nulli Provinciæ suæ administratio sine speciali permissu Principis permittatur*. 2. Rectorum Provinciarum inter alia eorum munia, & præcipuum quidem fuisse *Tributorum exactionem*: Quam in rem & quadrimenstrui breves ad eos transmittebantur, ex quorum videl. præscripto quatuor mensium tributa exigerentur. (Tribus enim pensionibus tributa annua olim exigebantur)

tit. 42. *de quadrimenſtruis brevibus*. Hactenus de Ordinariis Magiſtratibus.

Extraordinarii Magiſtratus in Urbe Roma duo hi erant. 1. *Præfectus Vigilum*, qui diſciplinæ præerat nocturnæ urbis, quique incendiariorum & furum indagator erat: ſic tamen, ut ne de capitalibus cauſis ſtatuere poſſet. *tit.* 43. *de officio Præfecti Vigilum*. 2. *Præfectus annonæ*, ad quem cura ſeu diſpoſitio rei annonariæ pertinebat. *tit.* 44. *de officio Præfecti annonæ*.

Et hæc quidem de ſingulis Magiſtratibus, qui in orbe Romano erant. *Generales* enim deinceps & communes tituli quidam ſequuntur, qui non uni Magiſtratui, verum certo Magiſtratuum ordini ſeu generi communes ſunt, vel etiam omnibus Magiſtratibus. 1. Ac primo quidem, de *officio* eorum, quodnam videl. cujuſque *Officium* ſit: Civilium primo Judicum. *tit.* 45. *de officio civilium Judicum*. Dein & militarium. *tit.* 46. *de officio militarium Judicum*. Quorum proprium iſtud erat, ne his (Comitibus, inquam, rei militaris vel Tribunis) provinciales lavacra præſtare cogerentur. *tit.* 47. *ne Comitibus rei militaris vel Tribunis lavacra præſtentur*.

Tam Civilium vero, quam Militarium Judicum officium in genere pertractatur

tit.

tit. 48. *de officio diverſorum* (i. e. omnium ſeu quorumcumque) *Judicum*. Mox & communia aliquammulta his ſubjiciuntur : quæ partim integritatem eorum reſpiciunt, partim perſonas his proximas, partim vero commoda eorundem, & retro incommoda, tandem & Majeſtatem ſeu auctoritatem eorum : *Integritatem* inquam ; Scil. Judices poſt officium depoſitum quinquaginta dies in Civitatibus facere (i.e. permanere) cogebantur, ad excipiendas Civitatum & provinciarum, ſi quæ forent, querelas, neque ante e provincia ſeſe ſubducere poterant. *tit.* 49. *Ut omnes Judices tam Civiles, quam Militares poſt adminiſtrationem depoſitam* 50. *dies in Civitatibus vel certis locis permaneant*. 2. Perſonæ Magiſtratibus proximæ erant 1. vel *vices eorum gerentes* : vices ſcilic. eorum quandoque extra ordinem nonnulli obibant, & obtinebant. *tit.* 50. *de officio ejus qui vicem alicujus Judicis vel Præſidis obtinet*.

2. Vel *Adjuvæ* eorum ordinarii erant, puta *Adſeſſores* : domeſtici item & Cancellarii eorum. *tit.* 51. *de Adſeſſoribus & domeſticis & Cancellariis Judicum*.

3. *Commoda* ſeu ſalaria Magiſtratibus quoque certa conſtituta erant, quæ in *Annonis* & *capito* de publico accipiebant (*capito*, inquam, pabulo pro animalibus)

*tit.*51. *de annonis & capitationibus administrantium & eorum adsessorum aliorumve publicas sollicitudines gerentium, vel eorum qui aliqua consecuti sunt dignitate.*

4. *Incommoda* viciſſim hæc erant, quod *durante Administratione* in Provinciis, neque ipſi neque Domeſtici emere quidquam, præter ea quæ victus quotidiani ſunt, neque contrahere, neque donationes accipere, neque proprias ædes naveſve ædificare poterant, publica utilitate id rependente. *tit.*53. *de contractibus Judicum vel eorum qui sunt circa eos, & inhibendis donationibus in eos faciendis, & ne administrationis tempore proprias ædes ædificent sine sanctione pragmatica.*

5. Ad Majeſtatem denique auctoritatemque Magiſtratuum pertinet Mulctæ infligendæ jus (quod ſane Rationalibus, aut Curatoribus Reipubl. non competebat;) quod quidem intra certum & definitum quique dignitatis ſuæ modum habuere. *tit.* 54. *de modo mulctarum quæ a Judicibus infliguntur.*

Sequuntur nunc ſingularum Civitatum ſeu ſingulorum municipiorum Magiſtratus, puta 1. *Defenſores* Civitatum, qui Tribunis ſimiles, atque adeo plebis defenſores erant; de quibus eſt *tit.* 55. *de Defenſoribus Civitatum.* 2. *& Duumviri. tit.* 56.

de

de magiſtratibus municipalibus: de quibus in Digeſtis agitur proſtremo libro. In urbe certe Alexandrina qui Magiſtratus erat, *Juridicus* dicebatur; qui poſt municipales aliarum ſcilic. hic ponitur, vel uti præcipuo jure, de quo jam in Digeſtis, ubi alio loco is poſitus eſt: de cujus officio eſt *tit. ult. de officio Juridici Alexandriæ*.

Ex Lib. II.

Agitur hoc libro de his tribus.

1. *De* Ordine Juris Sui Perse-quendi.
2. *De* Restitutionibus *in Integrum*.
3. *De* Receptis.

Reſpondent huic libro tres libri Digeſtorum: puta liber 2. 3. 4.

§. 1. *De* Ordine *Juris ſui perſequendi.* Tituli 13.

Reſpondet lib. 2. *Digeſtorum*.

Poſt Magiſtratus (quæ quidem prima ſemper eſt in Actionibus ſeu Judiciis inquiſitio) eorumque Officia deſcripta, proxime perſequendi juris ſui ordo ſequitur: In quo prima omnium eſt Actionis

editio, ſcil. qui alterum in jus vocaturus erat, eum ſpeciem futuræ litis ſeu actionem a Magiſtratu, impetratam prius, vel ſimul, edere & demonſtraſſe adverſario oportuit: adeo ut niſi actionem is edidiſſet, in jus vocatus impune non iret. *tit.* 1. *de edendo*. Atque hæc cauſa eſt, cur hic titulus titulum de In jus vocando præcedat, pariter ut in Edicto, cujus ordo hic obſervatur. Secundum igitur eſt *In jus vocatio*: *tit.* 2. *de in jus vocando*. Qua parte hæc regula obſervanda venit, *Ex omni cauſa in jus vocatum ſequi* ſeu ſiſtere ſeſe oportuiſſe; Paucis admodum cauſis & perſonis exceptis; Atque inter alia, ſi interea inter ſe litigatores de negotio pacti fuerit, tranſegerintve. *tit.* 3. *de Pactis*. *tit.* 4. *de tranſactionibus*. Quæ tamen tranſactio non uſquequaque ſemper tenet: nam & ſi error calculi interceſſerit, ſæpe computatæ rationes & quantumlibet tranſactione ſubductæ, denuo retractari poſſunt. *tit.* 5. *de errore calculi*.

Reſpondet liber 3. *Digeſtorum*.

3. Poſt actionem editam, & in jus vocationem, ſequitur *Cauſæ apud Prætorem conjectio*, i.e. cauſæ ſeu litis, qua de agitur, propoſitio ſeu deſiderii expoſitio. In quo perſonæ ante omnia attendendæ veniunt, quæ judiciis intervenire ſolent & nego-

negotiis adſiſtunt. Hujus vero generis ſunt, Primo cauſæ Oratores & *Advocati*, de quibus agitur titulis tribus. *tit. 6. de poſtulando*, *tit. 7. de advocatis diverſorum judiciorum*, *& titul. 8. de advocatis diverſorum Judicum*. Neque privatorum tantum advocati-, ſed & peculiares *fiſci advocati* fuere, qui ex corpore togatorum, ſeu advocatorum ſumebantur. *tit. 9. de advocatis fiſci*. Cæterum de advocatis tria ſingularia notanda ſunt. 1. *Errorem* ab iis, ut & a libellionibus admiſſum, litigatoribus abſentibus, vel præſentibus & contradicentibus intra triduum, non nocere. *tit. 10. de errore advocatorum, vel libellos ſeu preces concipientium*. 2. Secundo, ea quæ *deſunt* advocatis partium (i.e. ea quæ advocati minus dixerint legibus jurique publico convenientia) Judicem ſupplere poſſe. *tit. 11. ut quæ deſunt advocatis partium Judex ſuppleat*. 3. Tertio, *Infames* foro atque advocatione ferme interdici. *tit. 12. ex quibus cauſis infamia irrogatur*.

2. Judiciis interveniunt, negotiiſque adſiſtunt & *Procuratores*, i.e. ii qui negotia aliena, jure, proboque more, mandato domini agenda defendendaque ſuſcipiunt. *tit. 13. de Procuratorib.* Jure inquam, moreque probo: Hactenus ſcil. alieno ſeſe quis patrocinio tueri poteſt, non vero quæ-

ſitis maliſve artibus. Cujuſmodi quinque hic perſtringuntur damnanturque. 1. Non licet, inquam, *Potentioribus* (i.e. iis qui gratia opibuſque præpollent) veluti Clariſs. Viris, *patrocinium* ſeu procurationem litigantibus præſtare (quia potentioribus pares eſſe non poſſumus) vel etiam actiones in ſe transferre. *tit.* 14. *Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare, vel actiones transferre.* 2. Non licet item reis conventis, ſeu poſſeſſoribus adverſarii ſubmovendi terrendique gratia, *Potentiorum titulos* prædiis controverſis affigere, aliterve eorum nomina in litem prætendere. *tit.* 15. *de his qui potentiorum nomine titulos prædiis adfigunt vel eorum nomina in lite prætendunt*, &c. 3. Non licet quoque *Titulos* σανίδας, i.e. tabulas *Principis* ejuſve neceſſitudinum nomine, ſine Judicis auctoritate, prædiis ſuis vel alienis imponere, etſi injuſtus poſſeſſor prædove ſit is qui ea tenet, vel etiam ſi in ea cauſa ſint prædia, ut fiſco vindicari debeant: ſed neque vela Regia ſeu Principis ædibus ſuis vel alienis ſuſpendere. *tit.* 16. *ut nemo privatus titulos prædiis ſuis vel alienis imponat, vel vela Regia ſuſpendat.*

4. Non licet ſignum (σφραγίδα) imprimere rei mobili quam alius detinet, ipſe

ipſe vero ſuam forte vel ſibi debitam obligatamve contendit, ante ſententiam. *tit.* 17. *ut nemini liceat ſine Judicis auctorit. ſing. reb. imponere alienis.*

5. Denique ut potentiores, ita & *Fiſcus & Reſpub.* procurationem alicui præſtare (debiti forte alicujus obtentu, vel donationis mercede) prohibentur. *tit.* 8. *Ne Fiſcus vel Reſpub. procurationem alicui patrocinii cauſa in lite præſtet.*

3. Interveniunt quoque litibus *Negotiorum geſtores*, ſeu procuratores voluntarii, qui videl. ſine mandato negotiis ſeſe alienis litibuſque probo more ingerunt. *tit.* 19. *de negotiis geſtis.* Et hæc de perſonis.

§. 11. *de* Restitutionibus *in integrum.*

Tituli 36.

Reſpondet liber 4. *Digeſtorum.*

Nunc de *Cauſis* ipſis, atque adeo de litium ſeu controverſiarum generibus, quarum nomine Magiſtratus adiri ſolet juſque adeo implorari. Magiſtratus igitur aditur, 1. vel ad litem actionemque amiſſam reſtituendam. (Ita enim hic tractatus ſuperioribus cohæret, non quaſi negotia geſta, de quibus ſupra, traxerint Juris conditores ad geſta vi metuſve cauſa,

&c.) 2. Vel ad Receptum præſtandum ; 3. Vel ad Actionem impetrandam , judiciumque conſtituendum . Qui idem ordo in Edicto & in Digeſtis ſervatur.

1. *De lite actioneve reſtituenda* ſunt ſequentes tituli 36. Qua parte primum tractatur , ſeu oſtenditur , *Quibus ex cauſis* reſtitutio in integrum poſtulari poſſit . Nempe hæ reſtitutionum cauſæ ſunt : 1. Vis, Metus . *tit.* 20. *De iis quæ vi metusve cauſa geſta ſunt.* 2. Dolus malus. *tit.* 21. *de Dolo malo* . 3. Ætatis infirmitas ſeu lubricum , quod eſt in minoribus 25. annis : de qua minorum reſtitutione ſunt tituli 29. ſequentes: Ac generalis primum *tit.* 22. *De in integrum reſtitutione minorum :* ſpeciales vero ſequentes 24. Circa minorum ſcil. reſtitutionem variæ admodum conſiderationes , atque adeo & quæſtiones ſpeciales incurrunt , ratione tum perſonarum tum cauſarum .

1. *Perſonarum* inquam . Quæritur ſcilicet aliquando 1. de *Filio familias* minore reſtituendo , & quiſnam hujus reſtitutionis effectus ſit ; ubi negatur eam patri prodeſſe . *tit.* 23. *de Filiofamilias minore* .

2. Quæritur & de *Fidejuſſoribus* minorum , utrum hi quoque, minore ob lubricum juventæ reſtituto , reſtituantur: quod & ipſum regulariter negatur . *tit.* 24. *de*

Fi-

Fidejuſſoribus minorum.

3. Quæritur & de eo, *Si tutor vel curator* negotio intervenerit, & definitur reſtitui nihilominus minorem. *tit.* 25. *ſi Tutor vel Curator intervenit*. 4. Quæritur & de *Majore minoris conſorte* (i.e. cui communis eſt cum minore cauſa) & definitur minorem ſolum reſtitui, *tit.* 26. *Si in communi eademque cauſa in integrum reſtitutio poſtuletur*. Et ſic in ſummam definitur, neq; patri, neq; fidejuſſori, neq; Tutori, neq; conſorti reſtitutionem minoris prodeſſe.

2. *Cauſæ* quoque in argumento reſtitutionis in integrum minoris in conſiderationem veniunt: ſcilicet minores 1. etiam adverſus *Rem judicatam* reſtituuntur, *tit.* 17. *ſi adverſus rem judicatam*. 2. adverſus venditionem [niſi ea jurata ſit corporaliter] *tit.* 28. *ſi adverſus venditionem*. (3. ac nominatim adverſus pignorum venditionem, ſi ex ea re magno damno minor afficiatur. *tit.* 29. *ſi adverſus venditionem pignorum*.) 4. Donationem enormem. *tit.* 30. *ſi adverſus donationem* 5. Libertatem ſeu manumiſſionem, magna ex cauſa, & id quidem non a Prætore, verum a Principe. *tit.* 31. *ſi adverſus libertatem*. 6. Tranſactionem vel diviſionem celebratam. *tit.* 32. *ſi adverſus tranſactionem vel diviſionem minor reſtitui velit*. 7. Solutionem

a ſe,

a ſe, vel a debitore ſibi factam. *tit.* 33. *ſi adverſus ſolutionem a debitore vel a ſe factam.* 8. Dotem ultra vires bonorum ſuorum datam. *tit.* 34. *Si adverſus Dotem.* 9. Delictum per ignorantiam, non ſi opera conſulta [malorum quippe mores infirmitas animi non excuſat,& in delictis ætate nemo excuſatur.] *tit.* 35. *ſi adverſus delictum.* 10. Uſucapionem rei ſuæ. *tit.* 36. *ſi adverſus uſucapionem.* 11. Adverſus fiſcum quoque. *tit.* 37. *ſi adverſus fiſcum.* 12. Adverſus Creditorem, ſi credita ei pecunia in rem ejus verſa non ſit. *titul.* 38. *ſi adverſus creditorem.* 13. Aditionem hæreditatis, abſtinendi cauſa. *tit.* 39. *ſi minor ab hæreditate ſe abſtineat.* 14. Et retro, adverſus repudiatam hæreditatem, adquirendæ ejus ergo. *tit.* 40. *ſi ut omiſſam hæreditatem vel bonorum poſſeſſionem, vel quid aliud adquirat.*

Et hæc de minorum reſtitutione, cauſiſque, in quibus reſtitutio minoris neceſſaria eſt.

Sequuntur enim caſus quidam, ſeu cauſæ, in quibus reſtitutionem minoribus ſupervacaneam eſſe oſtenditur, definiturque adeo non redintegrationem cauſæ his dari, verum integram ipſo jure cauſam ſervari. *tit.* 41. *in quibus cauſis in integrum reſtitutio neceſſaria non eſt.* Et retro, ſex caſus

ſus ſubjiciuntur, in quibus minor reſtitui non poteſt; 1. puta ſi diligens paterf. is fuit, actibusque publicis induſtrium ſeſe præbuit. 2. Item ſi adverſus parentem vel patronum reſtitui ſeſe poſtulet: adverſus hos quippe minor reſtitui non poteſt. *tit.* 42. *Qui & adverſus quos in integrum reſtitui non poſſunt*. 3. Item ſi majorem ſeſe dixerit. *tit.* 43. *ſi minor ſe majorem dixerit*. 4. Si ſæpius reſtitutio in una eademque cauſa in qua repulſam ſemel paſſus eſt, ab eodem poſtuletur, niſi novas forte defenſiones proferat. *tit.* 44. *ſi ſæpius in integrum reſtitutio poſtuletur*. 5. Si veniam ætatis impetravit, & aliquid poſt impetratam veniam geſſerit. *tit.* 45. *de his qui veniam ætatis impetraverunt*. 6. Poſtremo ſi major factus, geſtum a ſe in minore ætate ratum habuerit, ſeu aliquo facto confirmaverit. *tit.* 46. *ſi major factus ratum habuerit*.

Poſt tractatum de in integrum reſtitutionibus minorum, antequam de Majorum reſtitutione ſeparatim quoque agatur, interjiciuntur nunc ſex, tam minorum quam majorum reſtitutioni communia. 1. *De Judice*, apud quem reſtitutionis cauſa agi debeat & poſſit, ſeu in quo foro. *tit.* 47. *Ubi & apud quem cognitio in integrum reſtitutionis agitanda ſit*. 2. De *Reputa-*

putationibus, i.e. de iis quæ reſtitutionem in integrum petenti imputantur, ut ea ſcil. viciſſim vel reddat vel compenſet. *tit.* 48. *de reputationib. quæ fiunt in judicio in integrum reſtitutionis*. 3. De *Actore* in hoc judicio: Nam & iſtud quæri ſolet, utrum per procuratorem cauſa reſtitutionis in integrum agi poſſit, quod utique affirmatur utilitatis cauſa. *tit.* 49. *Etiam per procuratorem cauſam in integrum reſtitutionis agi poſſe*.

4. De *Effectu* petitæ reſtitutionis. Eſt autem hic effectus, ut ne quid poſtulata in integrum reſtitutione interea novi fiat, i. e. ut medio tempore nihil deintegretur, verum omnia maneant in integro atque in ſuo ſtatu, donec judicium reſtitutionis finitum fuerit. *tit.* 50. *in integrum reſtitutione poſtulata, ne quid novi fiat*.

5. Tam minores quam Majores etiam reſtituuntur ob militiam vel abſentiam Reipub. cauſa. *tit.* 51. *de reſtitutionibus militum & eorum qui Reipub. cauſa abſunt*. In tantum ut & uxores militum aliorumq; qui Reipublicæ cauſa abſunt, in integrum reſtituantur, ſi ſecutæ viros interim, per abſentiam aliquid damni fecerint, vel retro aliquid lucri non fecerint, *tit.* 52. *de uxoribus militum & eorum qui Reipublicæ cauſa abſunt*.

6. Mi-

6. Minoribus & majoribus commune id quoque eſt, ut certa *Tempora* intra quæ reſtitutiones in integrum peti debent, præſtituta ſint. *tit.* 53. *de temporibus in integ. reſtitutionis tam minorum & aliarum perſonarum quæ reſtitui poſſunt, quam etiam hæredum eorum.*

Nunc de *Majorum* reſtitutione ſeparatim. Scil ex nonnullis quoq; cauſis majores in integrum cauſa cognita reſtituuntur, i.e. ſi jura eorum læſa fuerint, impedimento aliquo intercedente, veluti ſi jura eorum læſa fuerint Legationis ad Principem, vinculorum, aut captivitatis tempore; Imo & Reſp. pariter. *tit.* 54. *Quibus ex cauſis majores in integrum reſtituantur.* 2. Vel facto adverſarii: puta ſi alienatio judicii mutandi cauſa facta fuerit, i. e. ſi quis rem, ne ſecum ageretur, venumdedit, aliove quo modo alienavit dolo malo, objiciendi durioris & moleſtioris adverſarii cauſa: in eum quippe actio reſtituitur, atque ſi rem non alienaſſet. *tit.* 55. *de alienatione judicii mutandi cauſa facta.*

§. III.

§. III. *De* RECEPTIS.

Titulus I.

Et hæc quidem de prima cauſa Prætoris ſeu Magiſtratus adeundi, puta ob reſtituendam actionem litemve amiſſam.

II. *Secunda* cauſa, ob quam Magiſtratus aditur, eſt, ut eum qui quid in ſe fide publica, Officii vel Miniſterii cujuſdam publici genere, recepit, id præſtare cogat; puta, uti cogat arbitrum, qui ex compromiſſo partium in ſe *recepit* arbitrio ſuo litem dirimere, ut ſententiam dicat. *titul.* 56. *de receptis arbitris*. Et ita quidem hic titulus hac ratione hic poſitus eſt: non quaſi poſt Magiſtratus & Judices ordinarios, & de ordine quo apud eos agi ſolet, nunc de aliis Judicibus ſermo inſtituatur, qui ordinarii non ſunt.

§. IV. *De* ORDINATIONE *Judicii*.

Tres Tituli.

III. *Tertia* Prætoris adeundi cauſa, eaque frequentiſſima eſt, uti Judicium inter litigatores conſtituat ſeu ordinet, vel cognitionem ſibimet vindicando, vel Judicem

dicem pedaneum dando . Antequam vero Judicium inchoaretur , nonnulla a partibus facta prius oportuit , quæ fræni inſtar inducta fuerunt , ad cohibendam litigatorum calumniam ; neve litibus ſe temere immergerent , quæ tria hic memorantur , & quidem partim ad ordinem Edicti perpetui . 1. *Satiſdationes* quædam utrimque interponebantur : Et quidem ab actore , de perſequenda lite ejuſque expenſis , & decima præterea litis , ſi ſuccumberet : a reo vero , judicio ſiſti : & ſi procurator alterius nomine interveniret , tum is de *rato* itemque *judicatum ſolvi* , deque re defendenda prius ſatisdabat , i. e. fidejuſſores dabat . *tit.* 57. *de ſatisdando* , Deinde *Formulam* actionis a Magiſtratu impetratam & exhibitam quoque Judici oportuit . *tit.* 58. *de formulis & impetrationibus actionum* . 3. Tandem *Jusjurandum propter calumniam* ab utraq; parte initio litis interponebatur . *titul. ultim. de Jurejurando propter calumniam dando* .

Ex

EX LIB. III.

Agitur hoc libro de duobus.

1. *De* JUDICIO *ipſo, deque* PROCESSU *Judiciario*.
2. *Deque quatuor primis Actionum fontibus, ſeu Controverſiarum generibus*.

Reſpondent huic libro ſeptem libri Digeſtorum, puta liber 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Et ſic Pars ſecunda integra Digeſtorum.

§. 1. *De* PROCESSU JUDICIARIO.

Tituli 27.

Concordat liber 5. *Digeſtorum.*

JUdicium ipſum nunc ſequitur, ſeu Proceſſus Judiciarius: de quo Titulus eſt generalis 1. *de Judiciis:* in quo de vi judicii cæpti, ordine judiciorum, Judicis officio in diſceptatione ſeu cognitione litium aliiſq; nonnullis ad proceſſum Judiciarium pertinentibus, generatim quædam monentur. Deinceps vero 25. *titul. ſeqq.* ſpeciatim agitur de proceſſu omni judiciario:

rio, pro circumſtantis perſonarum, temporum, locorum, rerumque, ſeu de iis quæ ad litem ordinandam pertinent: unde & præſcriptiones & in his quædam moratoriæ initio litis enaſcebantur: tum ratione 1. Impenſarum. 2. tum reſpectu perſonarum. 3. Rerum. 4. Temporis. 5. & Loci.

1. Impenſarum ratione præſcriptio. 1. Primo ſcil. loco hic agitur de *Impenſis* judiciorum, & ut loquebantur, *ſportulis*, quas utraque pars in perſequendo jure ſuo erogabat, & ſpeciatim de his quas reus conventus executoribus litium dabat: eorum enim hoc onus proprium fuit. *titul. 2. de ſportulis & ſumptibus in diverſis judiciis faciendis & de executionibus litium.*

Secundum Præſcriptionis moratoriæ genus eſt, ratione *Perſonarum*, ex quibus judicium conſtat: & primo quidem adverſus perſonas *Judicum* datorum (qui *Pedanei Judices* vocabantur) quaſi illegitimorum: Nempe enim, neque omnes Judices dari poterant, neque ab omnibus. *tit. 3. de Pedaneis Judicibus, & qui Judices dari poſſint, & a quibus. tit. 4. Qui pro ſua juriſdictione Judices dare darive poſſunt.*

Neque ad omnem cauſam: illud certe inter

inter alia generaliter conſtituendum eſt, neminem in cauſa ſua, i.e. cujus utilitas aliqua ſua vertitur, judicare, juſve dicere poſſe. *tit.* 5. *Ne quis in ſua cauſa judicet, vel jus ſibi dicat.*

Secunda præſcriptio moratoria ratione perſonarum eſt adverſus *Litigatorum ipſorum perſonas*, quaſi illegitimas: neque enim omnes, etſi velint, legitimam in Judiciis ſtandi perſonam habent, veluti pupilli & adulti ſine Tutoris aut Curatoris auctoritate: atquin, ut ſententia valeat, ſicut legitimum Judicem, ita & legitimum litigatorem eſſe oportet. *titul.* 6. *qui legitimam perſonam ſtandi in Judiciis habeant vel non.* Uti contra nemo invitus agere vel accuſare cogitur. *tit.* 7. *Ut nemo invitus agere vel accuſare cogatur.*

Tertium præſcriptionis moratoriæ genus eſt, ratione *Ordinis*. Quoties ſcil. in uno Judicio plures res ſeu quæſtiones verſantur, ſeu diſceptationi principaliter motæ alia quæſtio incidit, ita plerumque judicium ordinatur, ut prius de una diſceptandum veniat, ceu præjudiciali vel potiore, quam de altera. *tit.* 8. *de ordine judiciorum.*

Quarta præſcriptio eſt reſpectu *Rei* ſeu litis ipſius in judicium deductæ, quæ oritur

tur vel ex Actoris petitione insecutaque Rei conventi responsione, unde *litis contestatio* seu *status causæ* enascitur: cum videl. Judex per narrationem negotii, & responsionem seu contradictionem causam audire cæpit, (id enim est Litis contestatio) *tit.* 9. *de Litis contestatione*. Vel ex quantitate petitionis, si videl. actor plus peteret. *tit.* 10. *de plus petitionibus*.

Quinta præscriptio est, respectu *Temporis*: quo aperte pertinent tituli duo sequentes, *tit.* 11. *de dilationibus*, *& tit.* 12. *de feriis*.

Sexa præscriptio est, ratione *Loci* seu [illegible], & *Competentiæ* Judicis, quæ præscri- quoquæ initio litis proponi debebat: Itaque hoc loco jungitur commode, titulis quatuordecim, amplissimus tractatus *de foro competente*, id est, Quis qua de re Judex esse possit. Ac primum quidem in genere ea de re agitur, ostenditurq; quæ cujusque Judicis notio sit. *tit.* 13. *de jurisdictione omnium judicium, & de foro competendi*. Imo quæ cognitiones Principi reservatæ sint: nempe inter miserabiles personas. *tit.* 14. *Quando Imperator inter pupillos vel viduas vel miserabiles personas cognoscat & ne exhibeantur*. Sequentibus autem titulis duodecim speciatim agitur de singulis causarum personarumque generibus,

ubi

ubi videlicet eas cauſas tractari, perſonasve conveniri oporteat: puta, ubi agitari oporteat.

1. *Criminales* cauſas: nempe promiſcue vel ubi crimen admiſſum eſt, vel ubi reus reperitur. *tit.* 15. *ubi de criminib. agi oporteat.*

2. *Poſſeſſorias*: nempe ubi vis facta dicitur, aut momentaria poſſeſſio poſtulatur. *tit.* 16. *ubi de poſſeſſione agi oportet.*

3. De *Fideicommiſſo*: nempe ibi ubi hæreditas relicta eſt. *tit.* 17. *ubi fideicommiſſum peti oporteat.*

4. Si *certo loco dari* quid promiſſum fuerit, neque ſolutioni ſatisfiat: nempe ubique „æſtimatione tantum habita intereſſe loci. *titul.* 18. *ubi conveniatur qui certo loco dari promiſit.*

5. *Reales* actiones, ubi res ſitæ ſunt. *tit.* 19. *ubi in rem actio exerceri oporteat.*

6. *Hæreditatis petitio*: nempe ibi ubi qui eam poſſidet conſtitutus eſt, pariter ut hæres ſcriptus, cui fit controverſia hæreditatis, ibi poſtulat ſe mitti in poſſeſſionem ubi res hæreditariæ ſunt. *tit.* 20. *ubi de hæreditate agatur vel ubi hæredes ſcripti in poſſeſſionem mitti poſtulare debeant.*

7. Super *Ratiociniis*: ibi ſcil. ubi ea quiſque geſſit: ubi, inquam, & inſtructio ſufficiens, & nota teſtimonia, & veriſſima

riſſima documenta poſſunt præſtari. *tit.* 21. *ubi de ratiociniis tam publicis quam privatis agi oportet*. Et hæc de cauſis in quæſtione de ſuo & Judice competente. Sequuntur in eodem argumente quæ ſtatum perſonarum reſpiciunt: & ſic ubi agitari oporteat.

8. *Status* cauſæ. *tit.* 22. *ubi cauſa ſtatus agi debeat.*

9. Quibus ſimiles ſunt cauſæ, in quibus agitur de Curiali vel Cohortali ſimilive qua publica conditione. *tit.* 23. *Ubi quis de Curiali vel Cohortali aliave conditione conveniatur.*

10. Item ubi *Senatores* conveniri debeant. *tit.* 24. *ubi Senatores vel Clariſſimi civiliter vel criminaliter conveniantur.*

11. Ubi milites. *tit.* 25. *in quibus cauſis militantes fori præſcriptione uti non poſſunt.*

12. Denique ubi *Fiſcales* cauſæ vel *Principis* agitari debeant. *tit.* 26. *ubi cauſæ fiſcales, vel divinæ domus hominumq; ejus agantur.*

Et hæc de Proceſſu Judiciario. Quibus ſubjungitur commode *titul.* 27. ſingularis, quando videlicet proceſſu Judiciario nil omnino opus ſit, neq. neceſſe ſit Judicem adire, ſeu Judicia invocare, verum licet unicuique ſeſe vel publicam diſcipli-

nam & quietem ſine Judice vindicare, in abrupto videl. periculo, & ubi vel impoſſibile, vel ſerum eſt punire judicio juraq; invocare : veluti adverſus latrones & deſertores. *tit.* 27. *Quando liceat unicuique ſe ſine Judice vindicare, vel publicam devotionem.*

§. 11. *De Actionibus de* DOMINIO.

Tituli 7.

Poſtremus jam circa judicia tractatus eſt, de ipſiſmet *Actionum* ſeu *Controverſiarum generibus*, earumque fontibus. Qui quidem tractatus pertingit ad decimum uſque librum.

Fontes porro hi promanant vel ex Jure Gentium, vel ex Jure civili.

Eorum qui ex *jure gentium* promanant, 1. alii reſpiciunt privatas res actuſque extrajudiciales. 2. Alii Judiciales. 3. Alii ſunt Mixti.

De *Extrajudicialibus* rebus ſeu privatis actibus primum.

Primus ergo actionum fons eſt, atque adeo primum actionum, ſeu controverſiarum genus, in quibus agitur de *Dominio* privato rei: quod quidem eſt vel univerſale vel ſingulare.

1. *Uni-*

1. *Universale* dominium dicitur, veluti hæreditatis: quæ quidem vindicatur, vel a liberis aut parentibus, imo & fratribus quoque certis casibus, ab iis qui instituti sunt hæredes, si videlicet immerentes præteriti vel exhæredati fuerint: quæ actio *inofficiosi querela* dicitur. *tit.* 28 *de inofficioso testamento*. Cui actioni similis est actio de *inofficiosa donatione*, quæ exemplo querelæ inofficiosi testamenti comparata est, eaque revocatur donatio inofficiosa, i. e. profusa patris donatio inter vivos in fraudem liberorum facta. *tit.* 29. *de inofficiosis donationibus*. Idemque dicendum est & *de inofficiosis dotibus* (quæ & ipsæ inter donationes connumerantur:) nam si mater secundo marito in dotem dederit, ut liberis prioris matrimonii legitima salva non sit, dos hujusmodi velut inofficiosa a filiis revocari potest. *tit.* 30. *de inofficiosis dotibus*. Vindicatur quoque hæreditas, non tantum adversus hæredem scriptum, verum & adversus quemvis extraneum possessorem, per actionem quæ vocatur hæreditatis petitio. *tit.* 31. *de petitione hæreditatis*.

Respondet liber 6. *Digestorum*.

2. Singulare dominium est, vel rei corporalis vel incorporalis: *Corporalis* rei singularis, veluti mancipii, fundi peti-

tio, cujus nomine quæ actio competit, dicitur rei vindicatio. *tit.* 32. *de rei vindicatione.*

Respondet liber. 7. *Digestorum.*

Incorporalis rei singularis dominium est inter cætera, Ususfructus & habitatio. *tit.* 33. *de usufructu & habitatione.*

Respondet liber 8. *Digestorum.*

Item servitutes prædiorum. *tit.* 34. *de servitutibus & aqua.*

§. III. *Actionibus ob* DAMNVM *datum.*

Titulus unicus.

Respondet liber 9. *Digestorum.*

Secundus Actionum fons, seu secundum Controversiarum de re actuque privato extrajudiciali genus, oritur *ex damno injuria dato* in corpus: quo pertinet lex Aquilia. *tit.* 35. *de l. Aquilia.* Ita enim hic titulus superioribus cohæret, non quasi l. Aquilia de servitute aliquid actum fuerit eaque plecteretur, qui non imposita servitute, vel contra servitutem constitutam, damno vicinum affeciſſet; Quæ Cujacii sententia est.

§. IV.

§. IV. *De actionibus ex* Ipsa Rei Natura *descendentibus.*

Tituli 7.

Concordat liber 10. *Digestorum.*

Tertius Actionum de re privata fons est, seu tertium Controversiarum genus descendit ex *ipsa rei*, qua de, vel cujus occasione agitur, *natura*, citra dominii vindicationem, citra damni dati a nobis, citra obligationis ullius contractæ causam. Hujus vero generis sunt sex sequentes actiones, quæ nobis vel in nos dantur, & quatuor quidem priores ob communionem rei competentes. 2. Quinta, ob id solum quod res nostra est. 3. Sexta, ob nudum interesse in re, quam alius detinet.

1. Prima ob communionem rei competentem actio est, *Familiæ erciscundæ* actio, qua inter cohæredes res hæreditariæ dividuntur. *tit.* 36. *familiæ erciscundæ.* Secunda *Communi dividundo*, qua pariter res inter aliquos communis dividitur? Communis, inquam, ferme ex communione seu societate contingente, vel necessaria, non voluntaria. *tit.* 37. *de communi dividundo.* Quibus duabus superio-

ribus actionibus quædam communia proponuntur. *tit.* 38. *communia utriusque judicii tam familiæ erciscundæ quam communi dividundo*. Tertia actio est, actio *Finium regundorum*, quam actionem parit vicinia, non dominium damnumve datum, aut obligatio ulla contracta; ad fines videlicet, i. e. terminos agrorum vicinorum, vetustate oblimatos, regundos, i. e. dirigendos, designandos. *tit.* 39. *finium regundorum*.

Quarta, non jam actio, verum exceptio ex rei ipsius natura fluens, fuit aliquando *Consortium litis*, i. e. litis cum altero communio: (Nam ut rei ita & litis societas quædam est:) Id vero est *consortium litis*, quod ex Constantini M. constitutione exceptionem producebat, quæ a Juliano abrogata fuit: sic ut unus ex consortibus pro parte sua hodie agere, & pro parte sua reus conveniri possit. *tit.* 40. *de consortibus ejusdem litis*.

Quinta actio ex rei ipsius natura seu qualitate sola descendens, & in alium competens, est *noxalis actio*: quæ & ipsa dici potest ex peculiari quadam rei ipsius natura seu qualitate profluere: ex conditione, inquam, rei ob quam agitur, nempe ideo tantum in me servi dominum hæc actio ob noxam seu delictum a ser-

a ſervo meo admiſſum ſine ullo facto meo vel obligatione, datur, quia res mea eſt, ſervus inquam. *tit.* 41. *de noxalibus actionibus*. Atque ita quidem hic titulus hoc loco recte poſitus eſt, ratione ſeu reſpectu perſonæ, cum alio contemplatu, neque minus bene, ut in Edicto ita & in Digeſtis relatus fuerit, in cenſu videlicet actionum, quæ ex damno dato enaſcuntur.

Sexta actio eſt, *ad exibendum*, ſeu exhibitoria: quam actionem parit ipſa rei pariter conditio, ut quia mea intereſt, rem aliquam, quam alius detinet, mihi exhiberi, veluti inſtrumenta aut ſervum, quem vindicaturus ſum: quo nomine ea actio datur. *tit.* 42. *ad exhibendum*.

§. v. *De Actionibus, ob* Factvm *quoddam nudum competentibus.*

Tituli 2.

Reſpondet Liber 11. *Digeſtorum.*

Quartus Actionum ex facto private deſcendentium fons eſt, *Factum nudum* aliquod, ut citra damnum datum, dominiumve, vel obligationem contractam, ita neque ex rei natura deſcendens, cu-

jus tamen nomine actio datur. Hujus vero facti nudi duæ ſpecies hic proponuntur: prior eſt, *luſus alearum*: in eo ſcil. deperditi repetitio luſori ejuſque hæredibus competit, imo & his ceſſantibus, publicis perſonis. *titul.* 43. *de aleatoribus & alearum luſu*. Altera eſt ſumptuum in alienum *Funus* erogatio: hi quippe peculiari actione repetuntur. *tit. ult. de religioſis & ſumptibus funerum*.

EX LIB. IV.

Agitur hoc libro.

De OBLIGATIONIBUS *nominatim contractis, ſeu de* REBUS CREDITIS.

Reſpondent huic libro undecim libri Digeſtorum: puta liber 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

QUintus Actionum titulus fonſque, ſeu quintum Controverſiarum genus deſcendit ex *Rebus creditis Negotioque geſto*, ſeu ex *Obligatione*. Quoties videl. re aliqua nominatim contracta interveniente fidem alienam ſequimur, Rebuſque creditis (unde & *Rerum creditarum* nomen,

nomen, quod & hujus libri argumentum eſt) quoties videlicet res aliqua neceſſario ad obligationem, ac proinde & actionem conſtituendam, intervenit. Cui & proxima, atque adeo hic pariter ut in Edicto, ſubjcitur, *Jurisjurandi* delatio: quoties videlicet jurejurando alteri delato vel relato, fidem ejus ſequimur. *tit.* 1. *de rebus creditis & jurejurando.*

Porro rebus creditis vel certum aliquid formula ſeu actione petitur, vel incertum.

1. *Certum petitur*, & certæ quidem æſtimationis, ex *Mutuo* vel ſtipulatione. *tit.* 2. *ſi certum petatur.*

2. Item ex ſuffragio. *tit.* 3. *de ſuffragio*; puta ſi quis alteri quid promiſit pro ſuffragio [i. e. faventia, interceſſione pro re aliqua a Principe impetranda.) Nam ut ipſa interceſſio, ita & res pariter pro ſuffragio promiſſa *ſuffragium* dicitur. Hinc & titulus in Codice Theodoſiano plenius quam in hoc conceptus: *Si certum petetur, de ſuffragiis.*

Porro in *Certæ* pecuniæ petitione illud obſervari oportet, quoties ea petitur, etſi certa ſit, eam tamen lite pendente non ſequeſtrari, quia quantitatis nullum ſubeſt corpus quod interverti facile poſſit. *tit.* 4. *de prohibita ſequeſtratione pecuniæ*: Certum quoque eadem actione, ſeu conditione

ne certi, qua & mutuum, petitur ex *Promutuo*, i. e. quod eſt inſtar mutui: *l.* 5. §. 3. *ff. de obligat. & act.* Quo pertinent quinque tituli ſeu condictiones ſequentes, quas in *ſerie Digeſtorum* plenius expenſas reperies: 1. Vel enim datum quid promiſſumve fuit, quaſi ex præſenti ſeu quaſi exiſtente cauſa; *tit.* 5. *de condictione indebiti.* 2. Vel ob futuram eamque honeſtam. *tit.* 6. *de condiction. ob cauſam datorum:* vel turpem. *tit.* 7. *de condictione ob turpem cauſam.* Hactenus de certi petitione certæ æſtimationis.

Incertæ vero æſtimationis certi petitio ſequitur: de qua ſunt duo tituli & condictiones ſequentes. *tit.* 8. *de condictione furtiva, & tit.* 9. *de condictione ex lege, & ſine cauſa.*

Poſt explicatas certi petitiones utriuſque generis, antequam ad alteram obligationum ſeu contractuum ſpeciem, ex quibus videl. *Incertum petitur*, pergatur, interjiciuntur hic, haud abſurdo prorſus ordine, tredecim tituli, qui ad duo capita referuntur. 1. Generalis primum tractatus *de obligationibus.* 2. *de adminiculis rerum* creditarum ſeu obligationum: Medio ſcilicet loco, inter duas ſpecies, inter certi inquam petitiones, de quibus hactenus, & incerti, de quibus poſtea: quibus utriſque

ſcil. modo certum, modo incertum ex ea cauſa petitur. Hactenus de obligationibus & actionibus.

Sequuntur nunc *Adminicula, Obligationum ſeu rerum creditarum*: puta probationes legitimæ, de quibus in genere agitur *tit.* 19. *de probationibus*. Mox, in ſpecie de Teſtibus, *tit.* 20. *de teſtib.*; & inſtrumentis: *tit.* 21. *de fide inſtrumentorum & amiſſione eorum & de antapochis faciendis, & de his quæ ſine ſcriptura fieri poſſunt*. Cujus tituli appendix eſt quoque *tit.* 22. *Plus valere quod agitur, quam quod ſimulate concipitur*. Hoc quippe titulo oſtenditur, veritatem rei geſtæ magis obtinere ſeu prævalere, quam inſtrumenta conficta & ſimulata. Nunc e diverticulo in viam.

11. *Incertum* petitur ex ſequentibus ſex obligationum, negotiorum & contractuum generibus. 1. Ex iis, ubi *unius* e contrahentibus *principaliter* negotium geritur, veluti duobus ſequentibus, in Commodato. *tit.* 23. *de commodato*; 2. & Pignore. *tit.* 24. *de pignoratitia actione*.

2. Ex iis contractibus & actibus nonnullis, ubi (reapſe ſeu juris poteſtate, intra certum tamen modum) *Alterius* quam contrahentis negotium geritur. Ad quem tractatum pertinent tres tituli ſequentes. *tit.* 25. *De inſtitoria & exercitoria actione.*

tit. 26.

tit. 26. *Quod cum eo qui in aliena potestate est negotium gestum esse dicetur, vel de peculio, sive quod jussu, aut de in rem verso. tit.* 27. *Per quas personas nobis adquiratur.* A quibus speciebus separandi sunt omnino sequentes casus duo: 1. Nam neque *Filiusfamilias* mutuam sumens pecuniam patrem unquam obligat. *tit.* 28. *ad SC. Macedonianum.* 2. Neque *Mulier* intercedendo alterius negotium utiliter gerit. *tit.* 29. *ad SC. Vellejanum.* Contra, non extrajudiciali modo contractu alterius quandoque quam contrahentis negotium geritur, sed & *quasi contractu* seu judiciali [nam & judicio quasi contrahitur] vi potestateque juris; 1. veluti, si tu pecuniam *non numeratam* a me petas, chirographi repetitionem mihi adquires. *tit.* 30. *de non numerata pecunia.*

2. Item si petas quod compensatione elidi potest. *tit.* 31. *de compensationibus.*

3. Incertum petitur, ubi de *Usuris* & *interesse* agitur. *tit.* 32. *de usuris: & tit.* 33. *de nautico fœnore:* hac enim ratione hic titulus hoc loco positus est: cum in Digestis in eorum titulorum censu locatus sit, qui ad pedissequas contractuum actiones pertinent.

4. Incertum petitur ex contractu, in quo *Unius tantum* e contrahentibus negotium

que hæc communia ſunt . Ergo generalis primum titulus præmittitur : *titulus* inquam 10. *De obligationibus & actionibus :* Sequentes vero tituli octo ſubjiciuntur , ſpectantes ad trium axiomatum & capitum generalium circa obligationes explicationem . Primum caput ſeu axioma reſpecit *Ortum et Initium* obligationum, & actionum ubi quæritur , a quo tempore actio incipere poſſit , & num ab hærede primum : veluti ſi ſtipulatio aliuſve contractus concepta ſint poſt mortem : quod affirmatur. *tit.* 11. *Ut actiones & ab hæredibus & contra hæredes incipiant* . Secundum axioma reſpicit *Exercitium* obligationis & actionis ; ubi per varias ſpecies demonſtratur , *ex alterius obligatione* (qui ſcil. alterius negotium vel reapſe , vel juris poteſtate , vel expreſſa conventione non geſſit) *neminem alterum obligari* : eo ſolo obtentu quod arctiſſime alteri cohæreat , nexuſve ſit, vel beneficio alteri teneatur . Scil. non tenetur 1. Conjux pro conjuge . *tit.* 12. *Ne uxor pro marito , vel maritus pro uxore , vel mater pro filio conveniatur* . 2. Non liberi pro parente . 3. Non libertus pro patrono. 4. Non ſervus pro domino. *tit.* 13. *Ne filius pro patre vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono conveniatur* . 5. Imo neque ſervus olim ,

hodie liber, & sic jam alius novusque quodammodo homo, pro suo facto, seu antegesto obligationeque contracta in servitute. *tit.* 14. *an servus pro suo facto post manumissionem teneatur.*

Excipiuntur tamen a superiore Regula tres casus sequentes: Nam & 1. *Debitor debitoris* recte conveniri potest. *tit.* 15. *Quando fiscus vel privatus debitoris sui debitores convenire possit vel debeat.* 2. Et *Hæres* ex obligatione defuncti recte convenitur: sive ex contractu ejus. *tit.* 16. *de hæreditariis actionibus*: sive ex delicto: sub hac tamen distinctione & temperamento: In solidum scil. hæres tenetur, si lis contra defunctum contestata fuerit judicatave, alias quatenus ex ea re tantum locupletior ad eum hæreditas pervenit, non ultra. *tit.* 17. *ex delictis defunctorum in quantum hæredes conveniantur.*

3. Constitutæ quoque pecuniæ pro alio nudo pacto reus, pro eo recte convenitur. *tit.* 18. *de constituta pecunia.* Nam ita hic titulus superioribus optime cohæret: non vero ideo, ut sciretur hanc quoque actionem hæreditariam esse, quod Cujacius putabat; cum alioquin in Digestis titulus hic alio ordine positus sit: nempe non habita ratione *Originis* actionis [ut hic] verum finis ejus & formulæ respectu, quia scil.

tium geritur, ut in Depoſito. *tit.*34. *Depoſiti vel contra*.

5. Incertum petitur ex contractu *Mixto*, puta mandato. *tit.*35 *Mandati*, *vel contra*, *& tit.*36. *ſi ſervus extero ſe emi mandaverit.*

6. Incertum petitur ex contractibus, in quibus *utriuſque ſemper* contrahentium utilitas vertitur : quandoque tamen inæqualiter, ut in Societate. *tit.* 37. *pro Socio*. Æqualiter vero ſemper, ut in ſequentibus quatuor contractibus; 1. puta, in *Emptione venditione* : Ad quem tractatum pertinent tituli 26. Qui ad ſequentia capita referri debent. 1. Primum caput eſt, de *ſubſtantia* emptionis venditionis. *tit.*8. *de contrahenda empt. & venditione*. 2. *Secundum* caput eſt de *Materia* emptionis & venditionis. Scil. non corporalis ſeu rei corporalis tantum emptio eſt, ſed & juris, veluti hæreditatis aut actionis; *hæreditas* enim nomen juris eſt, etiam ſine corpore juris intellectum habens : ut & *actio* pariter juris nomen eſt : eſt enim actio jus perſequendi ejus quod nobis debetur. *tit.* 39. *de hæreditate vel actione vendita*. Viciſſim quædam res ſunt, quæ emi vendi non poſſunt : & eæ quidem quatuor generum : ſunt enim quædam 1. *Reſervata* Principis uſibus, puta purpura, vel exercitus uſibus, ut frumentum ei deſtina-

ſtinatum, quæ utique emi ; vendi non poſſunt . *tit.* 40. *quæ res venire non poſſunt & qui vendere vel emere vetantur* . 2. Res quædam ſeu ſpecies in *Barbaricum* (i. ad hoſtes) etiam induciarum tempore exportari iiſque vendi non poſſunt , veluti arma , ferrum , vinum , oleum , liquamen , atque id genus alia , quibus hoſtes armari alive poſſunt . *tit.* 41. *Quæ res exportari non debeant* . 3. *Eunuchi* facti emi vendique non poſſunt : Eunuchi inquam Romani , barbarorum quippe Eunuchorum commercium fuit . *tit.* 42. *de Eunuchis* . 4. *Filios ſuos* patres vendere non poſſunt , niſi forte nimia paupertate adigente ; & hactenus quidem , ut non niſi ſanguinolentos vendant : & hac adhuc conditione tacita , puta ut hujuſmodi liberi venditi ſervi non ideo maneant , verum quandocunque libertatem relegere poſſint , quocunque adſerente ; idque vel vicario (i. alio pro ſe) ſervo dato , vel ſui pretio oblato . *tit.* 43. *de patribus qui filios ſuos diſtraxerunt* .

3. *Tertium* caput eſt , de *Reſcindendæ irritandæque venditionis* cauſis : quænam videl. cauſæ ad id probabiles ſint vel non ſint . Idque vel privata quadam ratione vel publica . *Privata* ſcilicet ratione. 1. Præter vim , metum , dolumve , probabilis hæc cauſa eſt , ſi *juſti pretii* ne dimidium quidem

dem quo res vendita valet, ſolutum fuerit, & ſic dolus in re verſetur. *tit.* 44. *de reſcindenda venditione*. 2. Eſt & probabilis maxime legitimaque irritandæ venditionis ratio, *mutuus contrahentium conſenſus*: etenim quod conſenſu contractum eſt contrariæ voluntatis adminiculo diſſolvitur. *tit.* 45. *Quando liceat ab emptione diſcedere*. 3. *Publica* vero ratione irrita eſt venditio, ſi propter publica tributa bona debitoris, vel nulla Præſidis auctoritate, vel per ambitionem gratiamve, minus juſto pretio venierint: uti contra rata eſt, ſi ſolemniter ea ſinceraque fide ſub haſta facta fuerit, etſi per dominum poſtea pretium offeratur, vel creditor in re vendita jus hypothecæ prætendat. *tit.* 46. *ſi propter publicas penſitationes venditio fuerit celebrata*. Denique irrita eſt venditio contracta ea lege, ſive conventione adjecta, uti ne fundum qui cenſum vel reliqua quædam fiſco vel Reipub. debet, onus cenſus vel reliquorum emptorem ſequatur. *tit.* 47. *ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe*.

4. Quartum caput in tractatu emptionis venditionis eſt, *de effectu* perfectæ venditionis. 1. Ac primum quidem, cujus ſit *periculum* & *commodum* rei venditæ, emptoriſne an venditoris. *tit.* 48. *de periculo*

& com-

jus tamen nomine actio datur. Hujus vero facti nudi duæ ſpecies hic proponuntur: prior eſt, *luſus alearum*: in eo ſcil. deperditi repetitio luſori ejuſque hæredibus competit, imo & his ceſſantibus, publicis perſonis. *titul.* 43. *de aleatoribus & alearum luſu*. Altera eſt ſumptuum in alienum *Funus* erogatio: hi quippe peculiari actione repetuntur. *tit. ult. de religioſis & ſumptibus funerum*.

EX LIB. IV.

Agitur hoc libro.

De OBLIGATIONIBUS *nominatim contractis, ſeu de* REBUS CREDITIS.

Reſpondent huic libro undecim libri Digeſtorum: puta liber 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

QUintus Actionum titulus fonſque, ſeu quintum Controverſiarum genus deſcendit ex *Rebus creditis Negotioque geſto*, ſeu ex *Obligatione*. Quoties videl. re aliqua nominatim contracta interveniente fidem alienam ſequimur, Rebuſque creditis (unde & *Rerum creditarum* nomen,

nomen, quod & hujus libri argumentum eſt) quoties videlicet res aliqua neceſſario ad obligationem, ac proinde & actionem conſtituendam, intervenit. Cui & proxima, atque adeo hic pariter ut in Edicto, ſubjcitur, *Jurisjurandi* delatio: quoties videlicet jurejurando alteri delato vel relato, fidem ejus ſequimur. *tit. 1. de rebus creditis & jurejurando.*

Porro rebus creditis vel certum aliquid formula ſeu actione petitur, vel incertum.

1. *Certum petitur*, & certæ quidem æſtimationis, ex *Mutuo* vel ſtipulatione. *tit. 2. ſi certum petatur.*

2. Item ex ſuffragio. *tit. 3. de ſuffragio;* puta ſi quis alteri quid promiſit pro ſuffragio [i. e. faventia, interceſſione pro re aliqua a Principe impetranda.) Nam ut ipſa interceſſio, ita & res pariter pro ſuffragio promiſſa *ſuffragium* dicitur. Hinc & titulus in Codice Theodoſiano plenius quam in hoc conceptus: *Si certum petetur, de ſuffragiis.*

Porro in *Certæ* pecuniæ petitione illud obſervari oportet, quoties ea petitur, etſi certa ſit, eam tamen lite pendente non ſequeſtrari, quia quantitatis nullum ſubeſt corpus quod interverti facile poſſit. *tit. 4. de prohibita ſequeſtratione pecuniæ*: Certum quoque eadem actione, ſeu conditione

ſcil. modo certum, modo incertum ex ea cauſa petitur. Hactenus de obligationibus & actionibus.

Sequuntur nunc *Adminicula Obligationum ſeu rerum creditarum*: puta probationes legitimæ, de quibus in genere agitur *tit.* 19. *de probationibus*. Mox, in ſpecie de Teſtibus, *tit.* 20. *de teſtib.*; & inſtrumentis: *tit.* 21. *de fide inſtrumentorum & amiſſione eorum & de antapochis faciendis, & de his quæ ſine ſcriptura fieri poſſunt*. Cujus tituli appendix eſt quoque *tit.* 22. *Plus valere quod agitur, quam quod ſimulate concipitur*. Hoc quippe titulo oſtenditur, veritatem rei geſtæ magis obtinere ſeu prævalere, quam inſtrumenta conficta & ſimulata. Nunc e diverticulo in viam.

11. *Incertum* petitur ex ſequentibus ſex obligationum, negotiorum & contractuum generibus. 1. Ex iis, ubi *unius* e contrahentibus *principaliter* negotium geritur, veluti duobus ſequentibus, in Commodato. *tit.* 23. *de commodato*; 2. & Pignore. *tit.* 24. *de pignoratitia actione*.

2. Ex iis contractibus & actibus nonnullis, ubi (reapſe ſeu juris poteſtate, intra certum tamen modum) *Alterius* quam contrahentis negotium geritur. Ad quem tractatum pertinent tres tituli ſequentes. *tit.* 25. *De inſtitoria & exercitoria actione*.

tit. 26.

tit. 26. *Quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt negotium geſtum eſſe dicetur, vel de peculio, ſive quod juſſu, aut de in rem verſo. tit.* 27. *Per quas perſonas nobis adquiratur.* A quibus ſpeciebus ſeparandi ſunt omnino ſequentes caſus duo: 1. Nam neque *Filiusfamilias* mutuam ſumens pecuniam patrem unquam obligat. *tit.* 28. *ad SC. Macedonianum.* 2. Neque *Mulier* intercedendo alterius negotium utiliter gerit. *tit.* 29. *ad SC. Vellejanum.* Contra, non extrajudiciali modo contractu alterius quandoque quam contrahentis negotium geritur, ſed & *quaſi contractu* ſeu judiciali [nam & judicio quaſi contrahitur] vi poteſtateque juris; 1. veluti, ſi tu pecuniam *non numeratam* a me petas, chirographi repetitionem mihi adquires. *tit.* 30. *de non numerata pecunia.*

2. Item ſi petas quod compenſatione elidi poteſt. *tit.* 31. *de compenſationibus.*

3. Incertum petitur, ubi de *Uſuris* & *intereſſe* agitur. *tit.* 32. *de uſuris: & tit.* 33. *de nautico fœnore:* hac enim ratione hic titulus hoc loco poſitus eſt: cum in Digeſtis in eorum titulorum cenſu locatus ſit, qui ad pediſſequas contractuum actiones pertinent.

4. Incertum petitur ex contractu, in quo *Unius tantum* e contrahentibus negotium

que hæc communia ſunt . Ergo generalis primum titulus præmittitur : *titulus* inquam 10. *De obligationibus & actionibus:* Sequentes vero tituli octo ſubjiciuntur , ſpectantes ad trium axiomatum & capitum generalium circa obligationes explicationem . Primum caput ſeu axioma reſpecit *Ortum et Initium* obligationum, & actionum ubi quæritur , a quo tempore actio incipere poſſit , & num ab hærede primum : veluti ſi ſtipulatio aliuſve contractus concepta ſint poſt mortem : quod affirmatur. *tit.* 11. *Ut actiones & ab hæredibus & contra hæredes incipiant* . Secundum axioma reſpicit *Exercitium* obligationis & actionis ; ubi per varias ſpecies demonſtratur , *ex alterius obligatione* (qui ſcil. alterius negotium vel reapſe , vel juris poteſtate , vel expreſſa conventione non geſſit) *neminem alterum obligari* : eo ſolo obtentu quod arctiſſime alteri cohæreat , nexuſve ſit, vel beneficio alteri teneatur . Scil. non tenetur 1. Conjux pro conjuge . *tit.* 12. *Ne uxor pro marito , vel maritus pro uxore , vel mater pro filio conveniatur* . 2. Non liberi pro parente . 3. Non libertus pro patrono. 4. Non ſervus pro domino. *tit.* 13. *Ne filius pro patre vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono conveniatur* . 5. Imo neque ſervus olim ,

tium geritur, ut in Depoſito. *tit.*34. *Depoſiti vel contra*.

5. Incertum petitur ex contractu *Mixto*, puta mandato. *tit.*35 *Mandati*, *vel contra*, *& tit.*36. *ſi ſervus extero ſe emi mandaverit*.

6. Incertum petitur ex contractibus, in quibus *utriuſque ſemper* contrahentium utilitas vertitur : quandoque tamen inæqualiter, ut in Societate. *tit.* 37. *pro Socio*. Æqualiter vero ſemper, ut in ſequentibus quatuor contractibus; 1. puta, in *Emptione venditione* : Ad quem tractatum pertinent tituli 26. Qui ad ſequentia capita referri debent. 1. Primum caput eſt, de *ſubſtantia* emptionis venditionis. *tit.*8. *de contrahenda empt. & venditione*. 2. *Secundum* caput eſt de *Materia* emptionis & venditionis. Scil. non corporalis ſeu rei corporalis tantum emptio eſt, ſed & juris, veluti hæreditatis aut actionis; *hæreditas* enim nomen juris eſt, etiam ſine corpore juris intellectum habens : ut & *actio* pariter juris nomen eſt : eſt enim actio jus perſequendi ejus quod nobis debetur. *tit.* 39. *de hæreditate vel actione vendita*. Viciſſim quædam res ſunt, quæ emi vendi non poſſunt : & eæ quidem quatuor generum : ſunt enim quædam 1. *Reſervata* Principis uſibus, puta purpura, vel exercitus uſibus, ut frumentum ei deſtina-

ſtinatum, quæ utique emi ; vendi non poſſunt . *tit.* 40. *quæ res venire non poſſunt & qui vendere vel emere vetantur* . 2. Res quædam ſeu ſpecies in *Barbaricum* (i. ad hoſtes) etiam induciarum tempore exportari iiſque vendi non poſſunt , veluti arma , ferrum , vinum , oleum , liquamen , atque id genus alia , quibus hoſtes armari alive poſſunt . *tit.* 41. *Quæ res exportari non debeant* . 3. *Eunuchi* facti emi vendique non poſſunt : Eunuchi inquam Romani , barbarorum quippe Eunuchorum commercium fuit . *tit.* 42. *de Eunuchis* . 4. *Filios ſuos* patres vendere non poſſunt , niſi forte nimia paupertate adigente ; & hactenus quidem , ut non niſi ſanguinolentos vendant : & hac adhuc conditione tacita , puta ut hujuſmodi liberi venditi ſervi non ideo maneant , verum quandocunque libertatem relegere poſſint , quocunque adſerente ; idque vel vicario (i. alio pro ſe) ſervo dato , vel ſui pretio oblato . *tit.* 43. *de patribus qui filios ſuos diſtraxerunt* .

3. *Tertium* caput eſt , de *Reſcindendæ irritandæque venditionis* cauſis : quænam videl. cauſæ ad id probabiles ſint vel non ſint . Idque vel privata quadam ratione vel publica . *Privata* ſcilicet ratione. 1. Præter vim , metum , dolumve , probabilis hæc cauſa eſt , ſi *juſti pretii* ne dimidium quidem

dem quo res vendita valet, ſolutum fuerit, & ſic dolus in re verſetur. *tit.* 44. *de reſcindenda venditione*. 2. Eſt & probabilis maxime legitimaque irritandæ venditionis ratio, *mutuus contrahentium conſenſus*: etenim quod conſenſu contractum eſt contrariæ voluntatis adminiculo diſſolvitur. *tit.* 45. *Quando liceat ab emptione diſcedere*. 3. *Publica* vero ratione irrita eſt venditio, ſi propter publica tributa bona debitoris, vel nulla Præſidis auctoritate, vel per ambitionem gratiamve, minus juſto pretio venierint: uti contra rata eſt, ſi ſolemniter ea ſinceraque fide ſub haſta facta fuerit, etſi per dominum poſtea pretium offeratur, vel creditor in re vendita jus hypothecæ prætendat. *tit.* 46. *ſi propter publicas penſitationes venditio fuerit celebrata*. Denique irrita eſt venditio contracta ea lege, ſive conventione adjecta, uti ne fundum qui cenſum vel reliqua quædam fiſco vel Reipub. debet, onus cenſus vel reliquorum emptorem ſequatur. *tit.* 47. *ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe*.

4. Quartum caput in tractatu emptionis venditionis eſt, *de effectu* perfectæ venditionis. 1. Ac primum quidem, cujus ſit *periculum* & *commodum* rei venditæ, emptoriſne an venditoris. *tit.* 48. *de periculo*

& com-

& commodo rei venditæ. 2. Quænam *Actiones civiles*, *& ad quid empti-venditi* nomine dentur, de eo ſcil. quod alterum alteri ex æquo & bono præſtare oportet, & ad implendum contractum. *tit.* 49. *de actionibus empti & venditi*. Quæ quidem actiones regulariter inter emptorem & venditorem dantur, ubi 1. res venditoris propria, 2. ab emptore, 3. ſuo nomine, 4. ſuaque pecunia empta fuerit.

Et ſunt tamen quidam caſus ſingulares, in quibus empti-venditi actio inter emptorem & venditorem datur, etiam re aliena, vel alieno nomine, vel aliena pecunia empta. Idque duplici adhuc jure ſeu effectu. 1. Aliquando quidem ſic, ut ſtatim firmo perpetuoque jure res emptoris fiat: veluti ſi res venditoris propria ab emptore alieno nomine pecuniave aliena empta fuerit. *tit.* 50. *ſi quis alteri, vel ſibi ſub alterius nomine, vel aliena pecunia emerit*. 2. Aliquando vero ita, ut etſi inter ementem & vendentem obligatio contrahatur, attamen res emptoris non fiat jure firmo, ut tribus caſibus ſequentibus, 1. puta ſi *aliena* res vendita fuerit. *tit.* 51. *de rebus alienis non alienandis & de prohibita rerum alienarum hypotheca*. 2. Si res communis inter venditorem & alium vendita fuerit: niſi ſi fiſcus rem ſibi cum alio com-

mu-

munem vendiderit, hoc quippe caſu emptor ſtatim ſecurus eſt. *tit.* 52. *de communium rerum alienat.* 3. Si res *Hypothecæ* alii nexa vendita fuerit: veluti ſi rem alienam gerentes res ſuas vendiderint, v. g. Tutores & Curatores: nam etſi rerum ſuarum alienatione non interdicantur: attamen, eas nonniſi cum ſua cauſa alienare poſſunt, i.e. ſic ut in his hypothecæ jus pupillis & adoleſcentulis ſalvum ſit. *tit.* 53. *Rem alienam gerentibus non interdici rerum ſuarum alienatione.*

Et hæc quidem de actionibus, quæ ex ipſo jure deſcendunt danturque inter emptorem & venditorem, ac proinde & de effectu venditionis-emptionis: Sequuntur nunc ea que ex *Conventione* deſcendunt, ac proinde formam & legem exinde accipiunt: Quod quidem *quintum* caput eſt in hoc tractatu emptionis venditionis: de *Pactis* inquam, inter emptorem & venditorem initis, & quatenus ex his actio detur. *tit.* 54. *de pactis inter emptorem & venditorem compoſitis.* Inter cætera vero pacta quædam in mancipiorum venditionibus olim quandoque addi ſolebant: cujuſmodi tria ſingularia hic proponuntur, quorum nonnulla in odium, alia in favorem ſervorum addebantur. Et primum quidem, quod *ſecuritatem* venditoris

toris ipſius ſpectabat, puta, ut ſervus exportaretur, i. e. ne in ea urbe vel provincia moraretur, in qua priſtinus dominus ſeu venditor commoratur, quod Græci vocabant ἐπ' ἐξαγωγῇ *ſervum vendere*. *tit.* 55. *ſi ſervus exportandus veneat.* 2. Secundum ad *pudicitiam* ipſius mancipii venditi tuendam ſpectabat: puta ut ne ancillam emptori proſtituere liceret, & ut ſi proſtituta fuiſſet, venditori in eam manus injectio eſſet. *tit.* 56. *ſi mancipium venierit ne proſtituatur.* 3. Tertium reſpiciebat *ſtatum* ſervi: nam & hæc quandoque conditio ſervi venditioni aliique alienationi addebatur, ne intra hoc vel illud tempus manumitteretur, vel ne unquam manumitteretur, & viciſſim ut manumitteretur intra certum tempus. *tit* 57. *ſi mancipium ita fuerit alienatum ne manumittatur vel contra.*

6. Sextum caput eſt de *pediſſequis* & adminiculis actionis civilis rei emptæ & venditæ: Cujuſmodi ſunt actiones *Ædilitiæ* ſeu redhibitoriæ: veluti ſi ſervus fugitivus venditus ſit, ſi ager peſtibilis (qui peſtibiles herbas vel lethiferas producit) *tit.* 58. *de ædilitiis actionibus.* Et hæc quidem de privata forma venditionis emptionis, & actionibus empti-venditi.

Sequuntur nunc *Publicæ conditiones*; pub-

publicæ inquam, ratione publicæ utilitatis: Et quatuor quidem: Definitur ſci' 1. *Monopolii* jus, i. e. jus a ſe ſolo vendendæ certæ mercis, neminem a Principe quidem concedere poſſe: pariter ut illicitæ pactiones ſunt inter negociatores, de non vendenda merce ſua minore pretio, quam quo inter eos conveniſſet: item inter artifices, puta ne quis forte opus quod alter inchoaverat, abſolvat. *tit.* 59. *de Monopoliis & conventu negociatorum illicito vel artificio ergo laborum, nec non balneorum, prohibitis illicitiſque pactionibus*. 2. *Nundinarum* & Mercatuum jus non eſſe, niſi in hiſce locis, in quibus jus eos habendi datum eſt, vel longa conſuetudine, vel beneficio Principis, vel Senatus, vel Ordinum decreto. *t.*60. *de Nundinis & Mercationibus.* 3. *Vectigal* quoddam, i. e. portorium publico rerum venalium nomine præſtari, atque eo nomine mercem quemque ſuam apud publicanum profiteri oportere, alioquin ob improfeſſas merces ipſas committi, ſeu in commiſſum cadere, i. e. fiſco adquiri. *tit.* 61. *de vectigalibus & commiſſis*: Ut & contra, nova vectigalia ſine præcepto Principis inſtitui non poſſunt. *tit.* 62. *vectigalia nova inſtitui non poſſe*. 4. *Commercii* ſeu mercaturæ jus non omnibus eſſe,

ne-

neque cum omnibus: ut ecce neque cum Barbaris, etiam fæderis tempore, commercium rerum quarundam eſt (de quo ſupra) neque ubique, ſed definitis tantum locis: neque potentioribus mercaturam facere licet, eo quod cum eis difficile ſit commercium. *tit. 63. de commerciis & mercatoribus.*

Poſt contractum emptionis ſequuntur tres alii contractus e quatuor, in quibus æqualiter utriuſque contrahentium utilitas vertitur, & ex quibus incerti petitio competit. 2. puta, Permutatio. *tit. 64. de rerum permutatione.* 3. Locatio-conductio, *tit. 65. de locato & conducto.* 4. Emphyteuticus contractus. *tit. ult. de jure Emphyteutico.*

Et hac quidem ratione hic titulus ultimo loco poſitus eſt, habita ratione ipſiuſmet *Contractus*: cum in Digeſtis ſedem obtineat ratione *finis*, ad quem actio agri Emphyteutici nomine comparata eſt, puta ad Dominium vindicandum.

Ex

Ex Lib. V.

Hoc Libro agitur de duobus:

De Nuptiis, *&* *de* Tutelis.

Reſpondent huic libro quinque Digeſtorum libri, puta liber 23. 24. 25. 26. 27.

§. 1. *De* Nuptiis.

Tituli 27.

Sextus Actionum fons naſcitur ex *Nexu* quodam *Perſonarum*. Et primo quidem liberarum & æqualium inter ſe ratione ſtatus: cujuſmodi nexus duo hoc libro tractantur. Primo *Matrimonium* ſive *Nuptiæ*: Qua parte tria tempora ſpectanda veniunt. Præcurrens eas, Concurrens, ſeu Circumſtans, Poſtcurrens, (dixiſſe liceat) ſeu ſequens.

1. *Præcurrunt* ſeu præcedunt nuptias 1. *Sponſalia* & arræ ſponſalitiæ, & *proxeneticæ* (i.e. præmia quæ dabantur conciliatoribus ſponſalium aut nuptiarum, quorum & certus modus olim definitus fuit.) *tit.* 1. *de ſponſalibus & arris ſponſalitiis & por-*

& proxeneticis . In arris ſponſalitiis ab eo qui officium in Provincia adminiſtrat datis, id ſingulare obſervandum eſt, ut ſi ſponſa poſtea ei qui eas dedit nubere nolit, libera ea ſit, reddendo tantum arras in ſimplum. *tit. 2. ſi Rector provinciæ vel ad eum pertinentes ſponſalitia dederint*. 2. Præcurrebant quoque olim tantum nuptias donationes ante nuptias (quæ videl. in vicem dotis a marito dantur; unde a Græcis ἀντιφέρνη dicitur) quæ tamen poſtea *propter nuptias* dictæ ſunt, quia & poſt nuptias hodie fieri poſſunt. *tit. 3. de donationibus ante nuptias vel propter nuptias*.

2. *Nuptiæ* ipſæ ſequuntur, de quibus earumque ritu, i. e. inter quas perſonas rite nuptiæ contrahi poſſint, tractatur generatim *tit. 4. de nuptiis*. Contra, inter quas nuptiæ prohibitæ ſint, ſive ratione naturali, ſive civili, quæ *inceſtæ* dicuntur & *inutiles*. *tit. 5. de inceſtis & inutilibus nuptiis*. Quo numero ſunt & quæ deprædandi materiam alioquin præberent ſi permitterentur, ut ſunt 1. Nuptiæ inter pupillam & Tutorem ſeu Curatorem. *tit. 6. de interdicto matrimonio inter pupillam & Tutorem ſeu Curatorem.* 2. Item nuptiæ inter provincialem mulierem & eum qui in provincia poteſtatem

ali-

aliquam gerit, vel qui ejus poteſtati ſunt ſuppoſiti. *tit. 7. ſi quacunque præditus poteſtate, vel ad eum pertinentes ad ſuppoſitarum Juriſdictioni ſuæ adſpirare tentaverint nuptias*. In tantum vero omnes hæ nuptiæ inutiles ſunt, ut etſi Reſcripto Principis impetratæ fuerint, contra jura forte, vel partium aut parentum conſenſum, non ideo magis valeant. *tit. 8 ſi nuptiæ ex reſcripto petantur*.

Neque unico tantum matrimonio contenti, verum ad ſecundas multi nuptias feſtinare ſolent: quæ & ipſæ illicitarum nuptiarum vicinitatem ſequuntur, ſi Patrum quorundam ſententiæ ſtamus. Certe, pœnis quibuſdam ſubjicere eas, vel ſaltem frœnis cohibere jus viſum, quia ſcil. mutato concubitu parentes facile depravantur. *tit. 9. de ſecundis nuptiis*; & *tit. 10. ſi ſecundo nupſerit mulier, cui maritus uſumfructum reliquit*.

3. Ad tempus, partim nuptias *præcurrens*, partim vero iis concurrens, pertinet *Dos*, ſeu Dotis promiſſio. *tit. 11. de Dotis promiſſione, et nuda & pollicitatione*. Cujus multa ſingularia ſunt jura & privilegia, de quibus agitur *tit. 12. de jure dotium*.

Ac præſertim ubi de ejus repetitione poſt divortium agitur: quo pertinet *tit.*

13. *de rei Uxoriæ actione in ex ſtipulatu actionem ttansfuſa, & de natura dotibus præſtita*. In quo tamen pactorum conventorum ratio haberi debet. *tit.* 14. *de pactis conventis tam ſuper dote, quam ſuper donatione ante nuptias & paraphernis*. Quod omne tamen de dote revera numerata, non etiam cauta tantum, accipi oportet, alioquin exceptio non numeratæ pecuniæ objici poteſt, intra annum videl. a morte vel remiſſione repudii. *tit.* 15. *de dote cauta non numerata*.

4. *Conſtantis* matrimonii tempus ſequitur: conſtante ſcil. matrimonio donationes inter virum & uxorem prohibitæ ſunt. *tit.* 16. *de donationibus inter virum & uxorem*.

5. *Soluti* tandem matrimonii tempus ſequitur: quo pertinent novem tituli ſequentes: non generales modo: *tit.* 17. *de Repudiis & judicio de moribus ſublato*; verum ſpecialiores de omnibus controverſiis, quæ ſoluto matrimonio naſci ſolent. Ac prima quidem quæſtio eſt ſuper *Dote*: partim inter conjuges ipſos, partim adverſus extraneos. 1. *Inter conjuges* ſcil. ipſos, vel etiam perſonas quæ dotis dationi acceſſerunt, ut ſoluto matrimonio dos petitur a parte uxoris. *tit.* 18. *ſoluto matrimonio quemadmodum dos petatur*: ita

vigiſ

viciſſim, a parte mariti quædam excipi ſolent & poſſunt, adverſus uxorem dotem repetentem: cujuſmodi quatuor exceptiones hic proponuntur.

Prima exceptio eſt, ſi maritus conſtante matrimonio uxori dotem reſtituerit: mortua quippe uxore non tantum dotem, verum etiam dotis fructus ab uxore perceptos, maritus ab ejus hæredibus percipiet. *tit.* 19. *ſi dos conſtante matrimonio ſoluta fuerit*. *Secunda* exceptio eſt, quod fidejuſſores dotium a maritis dati, conveniri non poſſint. *tit.* 20. *ne fidejuſſores vel mandatores dotium dentur*. *Tertia* exceptio eſt, ob res amotas ab uxore. *tit.* 21. *rerum amotarum*. *Quarta* exceptio eſt, ut maritus in quantum facere poſſit, dotis nomine conveniatur. *tit.* 22. *Ne pro dote mulieris bona quondam mariti addicantur*, i. e. in ſolutum dentur. Et hæc quidem de actionibus inter conjuges ipſos, vel etiam perſonas, quæ dotis dationi acceſſerunt ſuper dote ſoluto matrimonio: Sane, cum in fundo dotali inæſtimato illud peculiare ſit, ut nunquam eum alienare marito liceat, alienatus tam ab eo, quam ab extraneo qui eum accepit, evinci poteſt. *titul.* 23. *de fundo Dotali*.

Secunda Quæſtio ſoluto matrimonio

quæ incurrere poteſt, eſt *propter liberos*: ſuper eorum videl. educatione & alimentis. Quo pertinent tituli duo ſequentes: *tit.* 24. *divortio facto apud quem liberi morari vel educari debeant*; & *tit.* 25. *de alendis liberis ac parentib.*

Adfines tandem nuptiarum & uxorum ſunt Concubinæ & Concubinatus inter ſolutos. *tit.* 26. *de concubinis*. Ex quibus ſuſcepti liberi *naturales* ſunt & dicuntur: qui certis tamen modis juſti efficiuntur. *tit.* 27. *de naturalibus liberis & matribus eorum, & ex quibus cauſis juſti efficiantur*.

§. 2. *De* TUTELIS.

Reſpondet liber 26. 27. *Digeſtorum*.

Secundum perſonarum nexus, unde actiones enaſcuntur, genus, eſt *Tutela & Cura*: Qui tractatus a *tit.* 28. ad finem libri per 48. titulos decurrit. Ac primum de *Tutela*, & conjunctim mox deinceps de *Cura* agitur: In qua eadem tempora ſpectanda ſunt, quæ in nuptiis.

1. *Præcurrens* tutelam tempus continet ſpecies tutelæ, ſeu modos ejus deferendæ. Tutela ſcilicet defertur, 1. vel Teſtamento: *tit.* 28. *de Teſtamentaria tutela* (Quæ tamen ſæpe etſi non jure Teſtamento data

ta fuerit, confirmanda nihilominus venit. *tit.* 29. *de confirmando tutore*.) 2. vel lege: *tit.* 30. *de legitima tutela*. 3. vel denique datur a Magiſtratu. Qua parte ſequentia ſpectanda ſunt. Quinam videlicet tutores & curatores ex Teſtamento, vel a lege non habentibus *petere* partim poſſint (nempe amici, imo & adverſarii & creditores in litem) partim vero ex officio pietatis petere teneantur, puta libertus liberis patroni, & mater, ut & avus & avia, liberis ſuis quibuſcunque. *tit.* 31. *qui petant tutores vel curatores*. Secundo, Quo loco peti debeant tutores & curatores: nempe ubi pupillus vel minor originem a patre ducit, vel ubi patrimonium is habet. *tit.* 32. *ubi petantur tutores vel curatores*. Tertio, *Quibus*, *a quibus & qui dari* debeant: ſpeciatim ſcil. Illuſtribus vel Clariſſimis Perſonis a Præfecto urbis, adhibitis in conſilium decem Senatoribus & Prætore tutelari, ex quocunque ordine; non tamen Curiales dari debent. *tit.* 33. *de tutoribus vel curatoribus illuſtrium vel clariſſimarum perſonarum*; Cæteris vero perſonis, quibus inquam, & a quibus, & qui dari poſſint, definitur *tit.* 34. *qui dari tutores vel curatores poſſunt*. Inter alia vero tenendum, neque Mulierem dari tutricem poſſe, neque tutorem

habenti alium regulariter dari posse. Et ab utroque tamen excipiuntur hi duo casus. 1. Nam & mater & avia, si id velint, tutrices esse darive possunt, certis tamen adhuc sub conditionibus. *tit. 36. Quando mulier tutelæ officio fungi potest.* 2. Et certis casibus tutorem jam vel curatorem habenti, alius dari potest. *titul. 36. In quibus casibus tutorem vel curatorem habenti tutor vel curator dari potest.*

11. Secundum in Tutelis tempus, est *Delatæ* jam sive *Constantis* tutelæ. Qua parte tria in considerationem veniunt: 1. *Administratio* rerum pupillarium. 2. Pupillorum *educatio*. 3. *Alimentorum* præbitio.

De *Administratione* primum. Officium scil. Tutoris est, ut fideliter res pupilli administret. *tit. 37. de administratione tutorum vel Curatorum & pecunia pupillari fœneranda vel deponenda:* suo scilicet periculo. *tit. 38. de periculo Tutorum & Curatorum.* Cujus administrationis pars quoque est 1. ut *Actiones* pupilli & minoris nomine exerceat & excipiat. Qua parte tenendum est, regulariter Ipsos Tutores & Curatores pupillorum nomine actiones exercere & excipere, & omnes quidem tutores seu Curatores. Et separantur tamen ab hac regula duo casus: 1. Nam & ex

fa-

facto Tutoris vel Curatoris, puta condemnatione ejus, & mutuo in rem pupilli verſo, pupillus utili actione conveniri poteſt, & ipſe viciſſim agere de pecunia ſua credita, reque ſua locata. *tit.* 39. *quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere vel conveniri poſſint*. Item unus tutor, ſeu curator & agere & conveniri poteſt, ſi diviſa ſit tutela a teſtatore vel Magiſtratu: item ſi indiviſa ſit defendi ab uno pupillus poteſt. *tit.* 40. *ſi ex plurib. tutorib. vel curatorib. omnes vel unus agere pro minore vel conveniri poſſint.* 2. Ut ab his abſtineat, quibus officii tutorii & curatorii adminiſtratio conturbaretur: v. g. Tutor vel Curator *Vectigalia* conducere prohibetur, priuſquam minoribus ſuis paria fecerit (i.e. rationes adminiſtrationis reddiderit.) *tit.* 41. *ne Tutor vel Curator vectigalia conducat.*

3. Imo & ut ab adminiſtratione ipſa abſtineat, neque ad adminiſtrationem admittatur, priuſquam ſatiſdederit *rem pupilli ſalvam fore*: geſta a tutore & curatore alioquin qui non ſatiſdedit in præjudicium minoris, ſunt ipſo jure nulla. *tit.* 42. *de tutore vel curatore qui ſatis non dedit*. 4. Ut ſuſpicione omni pravæ adminiſtrationis vacet: ne alioquin tanquam ſuſpectus removeatur. *tit.* 43. *de ſuſpectis*

tutoribus vel curatoribus. 5. Ut ſi durante tutela vel cura inter eum & pupillum lis intercedat, Tutor vel Curator ſpecialis in litem detur. *tit.* 44. *de in litem dando Tutore vel Curatore*.

Diximus ſupra, periculum adminiſtrationis ad tutorem & curatorem pertinere, quandoque tamen periculum adminiſtrationis & ad alios quoque pertinet, quam ad Tutores & Curatores. 1. Nam & qui pro tutore negotia gerit, etiam mulier, etſi non juſtus tutor, ad ratiocinia tenetur. *tit.* 45. *de eo qui pro tutore negotia geſſit*. 2. Imo & periculum adminiſtrationis quandoque ad matrem pertinet, ſi ſecuritatem pupillo vel tutori promiſerit. *titul.* 46. *ſi mater indemnitatem promiſit*: uti retro contra matris ultimam voluntatem tutor datus, a tutelæ adminiſtratione citra damnum exiſtimationis removendus eſt. *tit.* 47. *ſi contra matris voluntatem tutor datus ſit*.

Diximus quoque ſupra, *Conſtante tutela* adminiſtrationis periculum ad tutorem pertinere. Imo, non ideo ſtatim ut finita tutela eſt, etiam periculum adminiſtrationis ſemper finitur, ſed tutela adhuc durare creditur: Antequam enim rationes tutor reddiderit, defenſioni cauſarum pupillarium adſiſtere tenetur. *titul.* 48. *ut cauſæ poſt pubertatem adſit tutor*.

2. Et hæc de adminiſtratione. Cum ad-

administratione vero tutoris nil commune habet *Educatio pupilli*. Apud alium quippe sæpe pupilli educandi veniunt, penes alium est administratio, veluti apud matrem, eumve de quo Præses cognoverit. *tit.* 49. *ubi pupilli educari debeant*. Denique *Alimentorum* pupillo præstandorum modus pro modo facultatum a Judice sæpe decernendus venit. *tit.* 50. *de alimentis pupillo præstandis*.

Sequitur jam *Actio tutelæ*, quæ quidem duplex est, directa & contraria: *Directa*, quæ pupillo adversus tutorem competit. *titul.* 51. *arbitrium tutelæ*. Circa quam actionem sequentia notari oportet. 1. *Dividi* sæpe actionem inter tutores, si videlicet divisa fuerit administratio a testatore vel a Judice in certas partes, regiones, sive provincias. *tit.* 52. *de dividenda tutela, & pro qua parte quisque tutorum conveniatur*. Secundo *Jusjurandum in litem* sæpe interponi oportere in arbitrio seu actione tutelæ. *tit.* 53. *de in litem jurando*. Tertio, *Hæredes* tutorum & curatorum quomodo conveniri possint hac actione, tractatur *tit.* 54. *de hæredibus tutorum vel curatorum*. Quarto, etiam adversus *Cessatorem*, id est Tutorem qui tutelam non gessit, hæc actio nihilominus competit. *tit.* 55. *si tutor vel curator*

non gesserit. Quinto, *Usuræ* quoque in tutelæ actionem veniunt, si videlicet tutor pecuniam in usus suos vertit, vel otiosam habuit. *tit.* 56. *de usuris pupillaribus.* Postremo & adversus *Fidejussores* tutorum vel curatorum quomodo agi possit, definitur *titul.* 57. *de fidejussoribus tutorum vel curatorum.*

Contraria actio tutelæ quoque ex tutelæ gestione nascitur, quæ videlicet tutori adversus pupillum competit, si quid in rem pupilli probabiliter impendit. *tit.* 58. *de contrario judicio tutelæ.* Atque hæc de administratione tutelæ & actionibus ejus nomine proditis. Neque tamen eo fine statutoris officium: Nam & ejus pars est *Auctoritatis* interpositio. Quæ omnino necessaria est sese obliganti. *titul.* 59. *de auctoritate præstanda.*

111. Postremum Tutelæ tempus est, Tutelæ *finiendæ vel finitæ*. Certis videlicet modis tutela finitur, de quibus agitur *tit.* 60. *quando tutores vel curatores esse desinant.* Inter quos non est legitima causa tutoris absentia: In absentis quippe locum datur actor. *tit.* 61. *de Actore a tutore seu curatore dando.* Legitima vero causa est, si tutor causis legitimis a tutela excusari meruerit. *tit.* 62. *de excusationibus tutorum & curatorum.* Non etiam

si

ſi falſis allegationibus excuſatus fuerit: nihilominus enim tutor manet, & periculum tutelæ ad eum pertinet. *tit. 63. ſi tutor vel curator falſis allegationibus excuſatus ſit.*

Cæterum de ſex excuſationum cauſis ſpeciatim ſex titulis ſequentibus agitur. Nempe a tutela & cura excuſationem præſtat 1. Abſentia Reipub. cauſa. *tit. 64. ſi tutor vel curator Reipub. cauſa aberit.* 2. Emerita militia. *tit. 65. de excuſationibus Veteranorum.* 3. Liberorum numerus. *tit. 66. qui numero liberorum ſe excuſant.* 4. Morbus. *tit. 67. Qui morbo.* 5. Mala ætas. *tit. 68. Qui ætate.* 6. Numerus tutelarum. *tit. 69. Qui numero tutelarum.* Et hæc quidem de pupillorum tutela & minorum cura, atque adeo de tutoribus & curatoribus.

Cura furioſorum & prodigorum ſuccedit *tit. 70. de curatore furioſi & prodigi.* Superioribus omnibus id commune eſt, ut prædia pupillorum, eorumque qui ſub cura agunt ſine decreto Prætoris vel Præſidis alienari vel obligari non poſſint. *tit. 71. De prædiis & aliis rebus minorum ſine decreto non alienandis vel obligandis.* Exceptis certis caſibus, puta ex voluntate teſtatoris, vel Principis conceſſione. *tit. 72. quando decreto opus non eſt.* 2. Si

ignorans, ſeu bona fide quis rem minoris ſine decreto emerit, moxque legitimo tempore præſcripſerit. *tit. 73. Si quis ignorans rem minoris eſſe ſine decreto comparaverit.* 3. Si major factus, facto aliquo alienationem antea factam firmaverit. *tit. 74. ſi major factus alienationem factam ſine decreto firmaverit.*

Ultimo hujus libri titulo ultimum quoque ſeu ſubſidiarium remedium ſive auxilium proponitur, quo minoribus ſuccurritur, qui alia ratione ſervari indemnes non poſſunt. *tit. ult. de Magiſtratibus conveniendis.*

Ex

Ex Lib. VI.

Agitur hoc libro de duobus :

1. *De Actionibus ſeu Judiciis ex inæquali* Personarum *inter ſe conjunctarum nexu.*

2. *&* *de* Successionibus.

Reſpondent huic libro undecim libri Digeſt., nempe a libro 28. *ad* 38. *incluſ.*

HActenus de Actionibus , quæ enaſcuntur ex nexu perſonarum liberarum , interque ſe æqualium , ratione ſtatus .

Nunc de perſonis , quæ nexu inæquali conjunguntur , ſic ut unus ab altero majore pendeat : puta Servi & Liberti : deque actionibus , eo nomine publico competentibus .

Sic enim nova jam hac ratione tractatum hunc hoc loco poſitum deprehendo , qui & Edicti perpetui ordo fuit , & a Paulo quoque in ſententiis ſervatus . Quem qui non tenent , varia admodum comminiſcuntur , ut ordinis rationem aliquam reperiant . Igi-

Igitur agitur hic primo de *Vitiis* duobus ſervorum & libertorum, puta de Fugitivis, tum ſervis, tum libertis, ſive privatorum, ſive Civitatum. *tit. 1. de ſervis fugitivis & libertis mancipiiſque Civitatum*: Et de *furtis* ſervorum uſque ab alio corruptis. *tit. 2. de furtis & ſervo corrupto*. Et ſic recte hic titulus ſuperiori cohæret tanquam vicinus; ſunt enim hæc cognata crimina, fuga, furtumque. Secundo agitur de omni *Patronatus* jure circa perſonas, reſque libertorum, quod quidem conſiſtit primum in *Operis* libertorum. *tit. 3. de operis libertorum*.

Secundo in jure *ſuccedendi* in bonis libertorum, quod & per eminentiam *jus patronatus* vocari ſolet. *tit. 4. de bonis libertorum & jure patronatus*.

Tertio in *revocandis* iis, quæ in necem, i.e. in fraudem patronorum, a libertis alienata ſunt, ad legitimam uſque partem ſeu portionem. *tit. 5. ſi in fraudem patroni a libertis alienatio facta ſit*.

Quarto conſiſtit jus patronatus in *Obſequiis* quibuſdam, quæ patrono a libertis debentur, veluti ut ne libertus adverſus patronum famoſam actionem inſtituere poſſit, ut ne protinus ad litigandum cum patrono procedere debeat: adeo quidem, ut hæc obſequia, & ſimilia, etiam patronæ,

tronæ, etiam liberis Patroni damnati debeantur, *tit. 6. de obsequiis patrono præstandis*.

Quinto jus patronatus consistit in actione *Ingrati*, seu actione impietatis, qua liberti probatis ingratitudinis causis, in servitutem revocantur. *tit. 7. de libertis & eorum liberis*. Et hæc quidem ita demum, nisi liberti jus aureorum annulorum impetraverint, vel natalibus restituti sint. *tit. 8. de Jure aureorum Annulorum, & de Natalibus restituendis*.

VII. *Septimus* Actionum titulus, seu Judiciorum & controversiarum fons nascitur ex *Occasione Mortis alicujus*, jure successionis vel aliter, ad vindicanda videlicet ejus bona, eorumve partem quandam: qui & Edicti perpetui ordo fuit. Idque primum vel jure successionis Prætoriæ, vel Civilis.

Ad *Prætorias successiones* (quæ bonorum possessiones dicuntur) de quibus hic primo loco agitur, pariter ut in Edicto perpetuo, aliter atque in Digestis, pertinent 12. tituli sequentes: ubi primum tractatur de *Personis* & de Tempore petendæ bonorum possessionis. *tit. 9. Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus*: Quo tempore elapso, si videl. intra id quidam ex his

qui

qui eodem jure & gradu vacantur non petant, cæteris qui petierunt non petentium partes adcreſcunt. *tit.* 10. *Quando non petentium partes petentibus adcreſcant.*

Secundo loco ſequuntur *ſpecies* earum: Bonorum ſcil. poſſeſſiones, vel dantur ex teſtamento, vel ab inteſtato. Ex teſtamento, i. e. teſtamento condito: idque dupliciter, vel ſecundum tabulas teſtamenti. *tit.* 11. *de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas: vel* contra tabulas; idque vel contra parentum tabulas, quæ liberis dantur. *tit.* 12. *de bonorum poſſeſſione contra tabulas, quam Prætor liberis pollicetur:* vel retro liberorum, quæ parentibus. *tit.* 13. *de bonor. poſſeſ. cont. tabul. liberti.* Ab inteſtato bonorum poſſeſſiones ſequuntur. Ac primum quidem bonorum poſſeſſio *Unde liberi*, quæ ſcilicet liberis competit in bonis parentum. *tit.* 14. *Unde liberi.* Secundo, quæ legitimis agnatis, ut & quæ cognatis competit. *tit.* 15. *Unde legitimi & unde cognati.* In his porro duabus prætoriæ ſucceſſionis ſpeciebus duo obſervanda ſunt. Primo, *ſucceſſorio* Edicto locum eſſe, i. e. liberos, agnatos, & cognatos prioris gradus, ſi omittant vel repudient ſucceſſionem, eam ad inſequentem gradum tranſmittere. *tit.* 16. *de ſucceſſorio Edicto.* 2. *Edicto Carboniano* hic

locum

locum esse. Nam etsi impuberibus status controversia moveatur, nihilominus eis bonorum possessio interim datur, dilata status quæstione in tempus pubertatis. *tit.* 17. *de Carboniano Edicto*.

Post superiores bonorum possessionis gradus, sequitur alius, quo mutuæ successionis jus inter conjuges superioribus deficientibus tribuitur. *tit.* 18. *unde vir & uxor*. Atque hæc de iis, quibus bonorum possessio ab intestato defertur, earumque speciebus. Nunc de agnoscenda, vel repudianda bonorum possessione. De repudiatione est *titul.* 19. *de repudianda bonorum possessione*. Contra, agnita bonorum possessione emancipati ad collationem tenentur. *tit.* 20. *de collationibus*.

2. *Civilis* successio sequitur, & quidem secundum ordinem Edicti perpetui: Ac primum ea, quæ ex *testamento* defertur: quo pertinent tituli 33. hujus libri. In testamentaria successione sequentia capita spectentur. Primo loco præmittitur tractatus de singulari quodam testandi jure, quod militibus concessum est, non observatis juris solennibus. *titul.* 21. *de testamento militis*. Secundum caput est de *causa efficiente* testamenti, i. e. quibus liceat testari, vel non liceat. *tit.* 22. *Qui testamenta facere possint vel non*. Tertium

est

eſt de *forma* & ordinatione, ſeu ſolennibus teſtamentorum. *tit.* 23. *de teſtamentis & quemadmodum teſtamenta ordinentur*. Quartum occupatum eſt circa *Materiam* teſtamentorum intrinſecam. Materia hæc triplex eſt: vel enim hæreditas teſtamento defertur, ſeu hæredes inſtituuntur, vel legatum, vel fideicommiſſum teſtamento relinquitur. Circa hæredes & hæredum inſtitutionem quatuor hæc notanda ſunt:

Hæredis inſtitutionem eſſe vel primam vel ſecundam: de prima agitur *tit.* 24. *de hæredibus inſtituendis, & quæ perſonæ hæredes inſtitui non poſſunt*.

Secundo hæredis inſtitutio, ut & ſubſtitutio, ſub certis ſæpe conditionibus defertur. *tit.* 25. *de inſtitutionib. & ſubſtitutionibus & reſtitutionib. ſub conditione factis*.

Tertio, de ſecunda hæredis inſtitutione, quæ vulgo *ſubſtitutio* dicitur, eſt *tit.* 26. *de impuberum & aliis ſubſtitutionibus*.

Quartum caput eſt de Qualitate hæredum. Ea ſcil. varia eſt. Alii quippe neceſſarii ſunt *tit.* 27. *de neceſſariis ſervis hæredibus inſtituendis*; alii vero ſui & neceſſarii, ut ſunt liberi, quos inſtitui neceſſe eſt, ac non etiam præteriti, vel im-

immerentes exhæredati. *tit.* 28. *de liberis præteritis vel exhæredatis*. Neque tantum natorum, ſed & naſciturorum, i.e. poſthumorum ratio habenda. *tit.* 29. *de poſthumis hæredibus inſtituendis*.

Poſt ſpecies hæredum, ſequitur Adquiſitio hæreditatis, quo pertinent 4. ſequentes tituli. Ac primo quidem de Jure & tempore adeundæ & adquirendæ hæreditatis agitur *tit.* 30. *de jure deliberandi, & de adeunda vel adquirenda hæreditate*. Et retro de Jure repudiandæ vel abſtinendæ. *tit.* 31. *de repudianda vel abſtinenda hæredit*. In id vero ferme aperiuntur teſtamenta: de quo *titul.* 32. *Quemadmodum teſtamenta aperiantur, inſpiciantur & deſcribantur*. Poſt aperturam tandem & recitationem teſtamenti, hæres mittitur in poſſeſſionem: de quo *tit.* 33. *de Edicto D. Hadriani tollendo, & quemadmodum ſcriptus hæres in poſſeſſionem mittatur*.

Vice verſa certis caſibus hæreditas alicui *aufertur & eripitur*: ut duobus caſibus ſequentibus. Primo, ſi quis defunctum teſtari coëgerit, vel impediverit. *tit.* 34. *Si quis aliquem teſtari prohibuerit vel coëgerit*. Secundo velut indigno quandoque hæreditas aufertur: veluti, ſi necem defuncti inultam reliquit. *tit.* 35. *de*

his

his quibus ut indignis hæreditates auferuntur, & ad ſenatuſconſultum Syllanianum.

Superioribus omnibus colophonis loco velut in confinio ſubjungitur *tit. 36. de Codicillis*: quïa ſcil. Codicillis *hæreditas*, de qua ſupra, relinqui non poteſt: cætera, de quibus mox, relinqui poſſunt.

2. *Legata* ad materiam teſtamentorum quoque pertinent, de quibus ſpeciatim agitur titulis quinque ſequentibus: Nempe de Legatis primum in genere agitur *tit. 37. de legatis*.

Secundo agitur de verborum ſignificatione ad legata pertinentium. *tit. 38. de verborum & rerum ſignificatione*.

Tertium eſt de legatorum *validitate*, adverſus fraudes hæredum, & teſtatorum, ut tribus caſibus ſequentibus: Conſiſtunt ſcil. legata, & ſi quis in fraudem legatariorum ab inteſtato ſuccedere maluerit. *tit. 39. ſi omiſſa ſit cauſa teſtamenti*. 2. Item legata nihilominus valent, etiamſi aliquando quis conditioni a teſtatore appoſitæ non paruerit, veluti ſi ſub conditione viduitatis relictum aliquid fuerit. *tit. 40. de indicta viduitate, & l. Julia Miſcella tollenda*. 3. Item ſi pœnæ nomine relictum quid fuerit, legatum nihilominus valet. *tit. 41. de his quæ pœnæ nomine in teſtamento ſcribuntur*. Et hæc de Legatis in ſpecie.

3. *Fi-*

3. *Fideicommissa* ad materiam testamentorum quoque spectant, de quibus agitur *tit.* 42. *de fideicommissis*.

Posteaquam de Legatis & de Fideicommissis sigillatim actum fuit, *Communia* complurima legatis & fideicommissis subjiciuntur titulis 11. sequentibus. Et quidem in genere *titul.* 43. *communia de legatis & fideicommissis*. Speciatim vero, ratione 1. Modi, 2. Incrementi, 3. Personarum, 4. Imminutionis, 5. Caducitatis, 6. Diei cedendi, 7. Tuitionis. Quoad *modum* his adjectum, definitur 1. Falsam causam adjectam legato vel fideicommisso, neque legato, neque fideicommisso obesse. *tit.* 44. *de falsa causa adjecta legata vel fideicom.* 2. Modum legato vel fideicommisso adjectum omnino explendum esse. *tit.* 45. *de his quæ sub modo legata vel fideicommissa relinquuntur*: 3. Ut & Conditionem legato vel fideicommisso insertam. *tit.* 46. *de conditionibus insertis tam legatis quam fideicommissis*.

Ratione *Incrementi* commune & illud habent legata & fideicommissa, ut post litem contestatam, atque adeo post moram, usuræ & fructus legatorum & fideicommissorum præstari debeant. *tit.* 47. *de usuris & fructibus Legatorum seu fideicommiss.*

3. Ratione *Personarum* commune & illud

lud habent legata & fideicommiſſa, ut etiam incertis perſonis relinqui poſſint. *tit.* 48. *de incertis perſonis*.

4. Ratione *Imminutionis* : fideicommiſſa ſcil. & legata quandoque falci & Falcidiæ ſubjacent : quo pertinet *tit.* 49. *ad SC. Trebellianum* . & *tit.* 50. *ad legem Falcidiam* .

5. Ratione *Caducitatis* ſunt caducorum leges, quæ in his hodie locum amplius non obtinent. *tit.* 51. *de caducis tollendis*.

6. Ratione *diei cedentis* : quando dies legatorum & fideicommiſſorum cedat. Nempe liberis, etiam ante apertas tabulas. *tit.* 52. *de his qui ante apertas tabulas hæreditatem tranſmittunt*. Quibuſcunque vero aliis quando dies cedat, definitur *tit.* 53. *Quando dies legati vel fideicommiſſi cedit* .

7. Poſtremo *ſervandis* legatis & fideicommiſſis niſi ſatisdet hæres de his recte præſtandis, legatarii & fideicommiſſarii in poſſeſſionem bonorum pignoris jure mittuntur . *tit.* 54. *Ut in poſſeſſionem legatorum vel fiedeicommiſſorum ſervandorum cauſa mittatur, & quando ſatiſdari debeat.*

III. Hactenus de Prætoriis & Teſtamentariis ſucceſſionibus : LEGITIMÆ, ſeu ab inteſtato ſucceſſiones, nunc eodem or-

ordine quo in Edicto perpetuo ſequuntur. Ac primo quidem de ordinariis ſucceſſionibus legitimis, earumque gradibus. Primus gradus ſucceſſionis Legitimæ eſt ſuorum & liberorum. *tit.* 55. *de ſuis & legitim. liberis*, & vice verſa parentum, etiam matrum: de quo eſt SC. Tertullianum. *tit.* 56. *ad SC. Tertul.*, quibus retro ſuccedunt liberi ex SC. Orficiano. *tit.* 57. *ad SC. Orfic.*

Tertius gradus eſt legitimorum hæredum, i. e. agnatorum & cognatorum. *tit.* 58. *de legitimis hæredibus*.

IV. Hactenus de Civilibus & Prætoriis ſucceſſionibus: utriuſque vero communia quædam proponuntur *tit.* 59. *Communia de ſucceſſionibus*.

V. *Extraordinariæ* & qualificatæ tandem ſucceſſiones quædam ſequuntur.

Primo quidem peculiaris quædam ratio eſt bonorum maternorum & materni generis: de quo *tit.* 60. *de bonis maternis & materni generis:* ut & bonorum, quæ liberis ex matrimonio vel alias adquiruntur. *titul.* 61. *de bonis quæ liberis in poteſtate patris conſtitutis ex matrimonio vel alias adquiruntur, & eorum adminiſtratione*.

Secundo, extraordinariæ quædam ſucceſſiones, deficientibus ſuperioribus, certis corporibus deferuntur; quæ deſignantur

tit.

tit. ult. de hæreditatibus decurionum, naviculariorum, cohortalium, militum & fabricenſium.

EX LIB. VII.

Hoc libro agitur de tribus:

1. *De Cauſis* STATUS.
2. *De* POSSESSORIA ACTIONE, *ſeu judicio.*
3. *De Actionibus ad obtinendam* EXECUTIONEM *in bonis ex triplici fonte, ſeu vi* REI JUDICATÆ, CESSIONIS *bonorum, &* BONORUM *poſſeſſionis.*

Reſpondent huic libro Libri 40. 41. 42. *Digeſtorum.*

VIII. OCtavus Actionum fons, ſeu octavum Controverſiarum genus eſt ſuper *ſtatu perſonarum:* Cujus cauſa duplex eſt. Prima cauſa eſt *Libertinitatis*, ubi quæritur, ſervuſne ſit quis an libertinus, quove jure. Quo pertinet tractatus de *Manumiſſionibus*. Ubi primo loco tractantur *ſpecies* manumiſſionum. Puta vindicta manumiſſio. *tit.* 1. *de vindicta libertate, & apud Concilium manumiſſione.*

sione. Deinde manumissio, quæ fit testamento. *tit.* 2. *de testamentaria manumissione*. Circa quam duo adhuc notanda. Primo, fibulam quandam seu modum huic manumissioni impositum per Legem Caniniam, quam sustulit Justinianus velut caninam. *tit.* 3. *de Lege Fusia Caninia tollenda*: Secundo, eam non directo tantum, sed & per fideicommissum relinqui solitam verbis directis, de qua *tit.* 4. *de fideicommissariis libertatibus*.

Erant & aliæ manumissionum species, quibus non Civitas Romana, verum aliud genus libertatis inferius & deterius conferebatur, quæ a Justiniano sublatæ fuerunt: puta Dedititia. *tit.* 5. *de Dedititia libertate tollenda*: Et Latina. *tit.* 6. *de Latina libertate tollenda*. Et hæc de speciebus manumissionum & Libertatis.

Secunda in manumissionibus materia seu inspectio est de *statu Servorum* quorundam: de quibus speciatim quæritur, an & quomodo manumitti possint; puta de servo communi inter plures. *titul.* 7. *de communi servo manumisso*: de servo pignori dato. *tit.* 8. *de servo pignori dato manumisso*: de servo Reipublicæ. *tit.* 9. *de servis Reipublicæ manumittendis*: de servo denique alieno. *titul.* 10. *de his qui a non domino manumissi sunt*.

Tertia in manumissionibus inspectio est

de Dominis manumittentibus: Neque enim omnibus manumittere licet. *tit.* 11. *Qui manumittere non poſſunt, & ne in fraudem creditorum manumittatur.*

Quarta, circa ſervos manumittendos. Quidam ſcil. ſervi manumitti non poſſunt, veluti qui in perpetua vincula damnati ſunt: Item qui in teſtamento vetiti ſunt manumitti propter pœnam. *tit.* 12. *qui non poſſunt ad libertatem pervenire.*

Quinto obſervandum, ſingulares quoſdam caſus eſſe, quibus ſervi non a domino, ſed pro præmio publice ſeu lege manumittuntur, liberique fiunt; veluti ſi cædem domini vindicaverint, vel ut alii legere malunt, *indicaverint*: ſi publicorum criminum reos quoſdam detulerint, veluti monetæ adulteratores, virginum raptores, militiæ deſertores. *tit.* 13. *Pro quibus cauſis ſervi pro præmio libertatem accipiunt.*

Sexto obſervandum, quoad *Effectum* manumiſſionis, cum regulariter manumiſſio libertinos faciat, quoſdam manumiſſos non ideo tamen libertinos fieri: veluti ſi qui ingenui ſunt, per errorem manumiſſi fuerint. *tit.* 14. *de Ingenuis manumiſſis.*

Tandem ſubjicitur titulus, quo communia quædam manumiſſionibus continentur. *tit.* 15. *Communia de manumiſſionibus.*

Et

Et hæc de prima cauſa ſtatus, puta Libertinitatis: ſequitur ſecunda cauſa ſtatus: *Cauſa* inquam *liberalis*, qua quæritur, liber quis ſit, nec ne. *titul. 16. de liberali cauſa.*

Circa hanc vero liberalem cauſam ſequentes inſpectiones occurrunt.

Prima, *Adſertore.* olim opus fuiſſe in liberali cauſa, i. e. eum, de cujus ſtatu quærebatur, ſive e ſervitute in libertatem proclamaret, ſive e libertate ad ſervitutem ab alio peteretur, non potuiſſe per ſe litigare, verum alioqui eum adſereret in libertatem judicium peragente, liberalem cauſam actam: Quod Juſtiniano diſplicuit. *tit. 17. de adſertione tollenda.*

Secundo, non omnibus ad libertatem proclamare licuit, veluti majoribus 20. annis, qui ad pretium participandum venundari ſe paſſi eſſent: Item ex latronum familia deſcendentes, qui Principis auctoritate ſervi facti fuerant: his enim libertatem relegere non licuit. *titul. 18. quibus ad libertatem proclamare non licet.*

Tertia inſpectio reſpicit ipſum *Judicium*; ubi duo notanda: Primo *Ordo* cognitionis liberalis. Status ſcil. quæſtio prius decidenda eſt, quam ulla alia cum qua concurrit. *tit. 19. de ordine cognitionum.* Secundo, colluſioni occurſum inter

ſervum & dominum, ut ſervus liber pronuncietur. *tit.* 20. *de colluſione detegenda.*

Quarta inſpectio eſt de *Tempore*, intra quod de ſtatu alicujus quærere licet, vel non. Ac primum *de ſtatu mortui*, nempe poſt quinquennium de ſtatu defuncti quærere non licet in pejorem partem; in meliorem vero ſic. *tit.* 21. *ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur*. De ſtatu ſuperſtitis ſi quæratur quænam præſcriptio locum habeat, definitur *tit.* 22. *de longi temporis præſcriptione, quæ pro libertate & non adverſus libertatem opponitur*.

Subjiciuntur tres tituli ſingulares. Primus qui ad ſuperiorem cauſam ſtatus libertinitatis ſcil. pertinet, de peculio manumiſſi: ubi quæritur, quando peculium manumiſſum ſequatur. *titul.* 23. *ne peculio ejus qui libertatem meruit*.

Secundus, (contrarius titulo 11.) quo ſingularis admittendæ libertatis modus proponitur & aboletur. Olim ſcil. ex Senatuſconſulto Claudiano mulier libera, quæ alieno ſeſe ſervo contra domini denunciationem junxerat, ancilla fiebat ejus domini; idque a Juſtiniano ſublatum fuit. *tit.* 24. *de Senatuſconſulto Claudiano tollendo*.

Tertius, quo nudum jus Quiritium,

quod

quod spectabatur olim in dominis manumittentibus, tollitur. *tit.* 25. *de nudo jure Quiritium tollendo.*

Concordat liber 41. *Digestorum.*

11. *Nonum* Actionum seu Controversiarum genus est, in quibus agitur de *Possessione*, eaque firma; & sic Judicium possessorium: Quo pertinet tractatus de usucapionibus & præscriptionibus. Qua parte primo loco Tituli usucapionum speciatim pertractantur. Et quidem Onerosi. 1. Pro emptore vel transactione. *tit.* 26. *pro emptore vel transactione*: 2. de usucapione pro Donato. *tit.* 27. *de usucapione pro Donato*. 3. Pro dote. *tit.* 28. *de usucapione pro dote*. 4. Pro hærede. *titul.* 29. *de usucapione pro hærede*.

Secundo, *communia* quædam omnibus usucapionibus pertractantur *titul.* 30. *communia de usucapionibus*.

Tertio agitur de *Rebus*, quæ in usucapionem cadunt. Nempe magna olim erat differentia rerum quoad usucapionem, quæ sublata est a Justiniano, *titul.* 31. *de usucapione tranformanda, & de sublata differentia rerum mancipi & nec mancipi*.

Quarto agitur de *Medio* usucapionis: nempe de Possessione, sine qua usucapio

non procedit. *titul.* 32. *de adquirenda & retinenda poſſeſſione*.

Quinta inſpectio eſt, de *Temporibus* præſcriptionum: quo pertinent octo tituli ſequentes. Ac primo quidem agitur de præſcriptione longi temporis 10. vel 20. annorum: Deque ea agitur in genere *tit.* 33. *de præſcriptione longi temporis* 10. *vel* 20. *annorum*. Speciatim vero de Cauſis, in quibus, & de perſonis, quibus ea opponitur. Quod prius attinet, ſunt cauſæ, in quibus ceſſat longi temporis præſcriptio, quo pertinet *titul.* 34. *In quibus cauſis ceſſat longi temporis præſcriptio*. Quod poſterius attinet, ſunt quoquæ perſonæ, quibus objici non poteſt longi temporis præſcriptio. *tit.* 35. *quibus non objicitur longi temporis præſcriptio*. Contra creditori hypothecario ea recte opponitur ab extraneo bonæ fidei poſſeſſore. *tit.* 36. *ſi adverſus creditorem præſcriptio opponatur*.

Imo & citeriore ſpatio ſeu breviore quidam excluduntur: puta Quadriennii præſcriptione, ea ſcilicet datur fiſco, & adverſus fiſcum. *titul.* 37. *de quadriennii præſcriptione*.

Contra alia ratio eſt rei Dominicæ, vel Templorum. Nam horum vindicationi temporis præſcriptio non obeſt. *titul.* 38. *ne rei Dominicæ vel Templorum vindicatio tem-*

temporis præscriptione submoveatur. Et hæc de præscriptione decem vel 20. annorum, vel quadriennii. Alia est præscriptio longissima 30. vel 40. annorum. *tit.* 39. *de præscriptione* 30. *vel* 40. *annorum*. Erant & peculiares quædam præscriptiones, de quibus *tit.* 40. *de Annali exceptione Italici contractus tollenda, & de diversis temporibus & exceptionibus, vel præscriptionibus & interruptionibus*.

Postremo tandem titulo definitur, quid servandum sit circa alluviones, paludes & pascua alium in statum translata. *tit.* 41. *de Alluvionibus & paludibus & pascuis ad alium statum translatis*.

Concordat liber 42. *Digestorum*.

111. *Decimum* Actionum genus est, ad obtinendam *Executionem* in bonis. Quæ ex triplici fonte tituloque & vi profluit. Primus est *Res judicata* judicio legitimo. Judicium porro est vel primæ, vel secundæ instantiæ. Ad judicium primæ instantiæ pertinent *tituli.* 19. proximi: ubi sequentes occurrunt tractatus. Primus est de summorum Judicum sententiis, a quibus appellare non licet: puta Præfectorum Prætorio. *tit.* 42. *de sententiis Præfectorum Prætorio*.

Secundus est de *forma* & substantia sententiæ proferendæ, ut legitima sit, & executionem pariat: atque adeo Judicis animus his informatur: quæ quidem sex sunt.

Primo regulariter partium præsentia requiritur. *tit.* 43. *quomodo & quando Judex sententiam proferre debeat præsentibus partibus, vel una parte absente.*

Secundo requiritur, ut sententia ex periculo recitetur, i.e. ex scripto. *titul.* 44. *de sententiis ex periculo recitandis.*

Tertio requiritur, ut condemnationem vel absolutionem contineat, alioquin sententia non est: quod de sententia definitiva accipiendum est, non de Interlocutoria. *tit.* 45. *de sententiis & Interlocutionibus Judicum.*

Quarto, sententiam certam esse oportet, pecuniæ reivæ certæ, alioquin sententia non est. *titul.* 46. *de sententia, quæ sine certa quantitate profertur.* Ac maxime certam esse oportet, ubi incerta actoris petitio est, veluti cum id quod interest petitur: de cujus æstimatione agitur *tit.* 47. *de sententiis, quæ pro eo quod interest proferuntur.*

Quinto, sententiam a competente Judice latã esse oportet, alioquin sententia non est. *tit.* 48. *si a non competente Judice judica-*

dicatum esse dicatur: ut & si a corrupto Judice: de cujus, ut & corruptoris ejus, vel adversarii, pœna est *titul.* 49. *de pœna Judicis, qui male judicavit, vel ejus, qui judicem vel adversarium corrumpere curavit:* Item si decessoris sui sententiam posterior Judex, quod non licet, retractet. *tit.* 50. *sententiam rescindi non posse.*

Sexto, Judicem fructuum quoque & expensarum rationem habere oportet. *tit.* 51. *de fructibus & litium expensis.*

Postremus tractatus & potissimus, quo præstruebatur superioribus titulis, est *Auctoritas rei judicatæ*, ejusque *Executio:* Quo pertinent tituli sequentes.

Et in genere primum agitur de re judicata *titul.* 52. *de re judicata:* de executione rei judicatæ. *tit.* 53. *de execut. rei judicatæ.* Tertio de usuris rei judicatæ. *tit.* 54. *de usuris rei judicatæ.* Quarto agitur de personis, adversus quas executio rei judicatæ fieri potest, vel non, & quomodo. Quo pertinent duo tituli, nempe *titul.* 55. *si plures una sententia condemnati sunt: & tit.* 56. *quibus res judicata non nocet.*

Quinto a re judicata removentur seu distinguuntur, & sic rei judicatæ vim & auctoritatem non obtinere definiuntur sequentia. Primum, Commonitiones & Epi-

ſtolæ, &c. *tit.* 57. *Commonitiones, Epiſtolas, programmata, ſubſcriptiones auctoritatem rei judicatæ non habere*. Secundo, res judicata ex falſis inſtrumentis, vel teſtimoniis. *tit.* 58. *ſi ex falſis inſtrumentis vel teſtimoniis judicatum ſit*. Contra rei Judicatæ auctoritatem obtinet propria confeſſio in jure facta: confeſſi quippe pro judicatis habentur. *tit.* 59. *de confeſſis*.

Poſtremum inter alios judicata, pariter ut acta, aliis non nocent. *titul.* 60. *Inter alios acta vel judicata aliis non nocere*.

Secundæ inſtantiæ judicium fit vel per relationem, vel per appellationem. Per relationem, i.e. cum Judex incertus quid inter partes pronuntiandum habeat, ad Principem ea de re refert. *tit.* 61. *de relationibus*. Per *Appellationem*, quoties ipſæmet partes ad majorem Judicem provocant: Ad quem Tituli 9. ſequentes. Ac primum in genere agitur de appelationibus. *tit.* 62. *de appellation.* Speciatim vero, intra quæ tempora appellandum ſit, *tit* 63. *de temporibus & reparationibus appellationum*. Secundo, quando appellatio ſuperflua ſit. *titul.* 64. *Quando provocare non eſt neceſſe*. Tertio vice verſa, quorum appellationibus nihil deferatur, atque adeo ſententia, non obſtante appellatione executioni mandetur. *tit.* 65. *Quorum appella-*

pellationes non recipiantur. Quarto, morte appellantis non extingui appellationem, ſed ad hæredem tranſmitti. *tit. 66. Si pendente appellatione mors intervenerit*. Quinto, omiſſam appellationem non reperi quocunque prætextu, etiam metus, niſi vis adhibita fuit. *titul. 67. de his qui per metum Judicis non appellarunt*. Item, niſi una eademque cauſa ſit inter plures, & unus tantum appellaverit, & obtinuerit in cauſa appellationis, ejus victoria correo non appellanti prodeſt. *titul. 68. Si unus ex pluribus non appellaverit*. Sexto, non licere appellare in caſu momenti, id eſt momentaneæ poſſeſſionis & interdicti. *tit. 69. ſi de momentanea poſſeſſione fuerit appellatum*. Denique non licere ter provocare in una & eadem cauſa. *tit. 70. ne liceat in una eademque cauſa tertio provocare*.

Secundum actionis genus ad obtinendam Executionem in bonis, eſt ob Ceſſionem bonorum a debitore factam, ſeu vi ceſſionis factæ. *titul. 71. qui bonis cedere poſſunt*.

Tertium eſt petitio *Miſſionis in poſſeſſionem bonorum*. Quo genere pignus Prætorium conſtituitur: poſſeſſionemque ſequitur proſcriptio & diſtractio ſub haſta. *tit. 72. de bonis auctoritate Judicis poſſidendis*.

Porro hac parte, poſſeſſis ex Edicto Prætoris judicati bonis & venditis, habenda eſt in primis ratio eorum creditorum, qui privilegiati ſunt: qualis eſt Fiſcus. *tit. 73. de privilegio fiſci*: Itemque Mulier, dotis cauſa. *tit. 74. de privilegio dotis*.

Neque bona tantum poſſeſſa & diſtracta creditoribus ſolvendis cedunt, verum etiam illa, quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, actione Pauliana revocantur. *tit. ult. de revocandis his quæ in fraudem creditorum alienata ſunt*.

Ex Lib. VIII.

Cujus quinque ſunt partes.

1. *De* Interdictis, *ſeu de* Possessione *momentanea*.
2. *De* Pignoribus & Hypothecis.
3. *De* Exceptionibus.
4. *De* Obligationum *vinculis & diſſolutione*.
5. *De* Singularibus *quibuſdam juribus*. 1 *de Patria poteſtate*. 2. *de Statu quarundam liberarum perſonarum in ſuſpenſo*. 3. *de Conſuetudine*. 4. *de Donationibus*. 5. *de Jure maritorum & parentum*.

Reſpondet liber 43. *Digeſtorum*.

UNdecimum Actionum genus conſtituunt *Interdicta*, ad momentaneam poſſeſſionem obtinendam. Interdicta quippe nihil aliud ſunt, quam formulæ, quibus Prætor poſſeſſionem interim dum de proprietate litigatur, apud alterutrum litigatorem momenti beneficio collocari jubet. Interdicta, quaſi interim dicta, non ut Cujacio placebat, inter duos dicta. De Interdictis porro agitur

in

in genere *tit.* 1. *de Interdictis*. Mox ſequuntur ſpeciales tituli de ſingulis Interdictis. Ac primo quidem duo Interdicta *adipiſcendæ* poſſeſſionis: Interdictum *Quorum bonorum*, quod datur ei, cui Prætor dedit bonorum poſſeſſionem ex teſtamento vel ab inteſtato, ad perſequendum patrimonium, quod cujuſque cum moreretur fuit. *tit.* 2. *Quorum bonorum*. 2. Interdictum *Quod legatorum*: quod competit hæredi, vel bonorum poſſeſſori ad adipiſcendam poſſeſſionem eorum, quæ a legatariis propria auctoritate occupata ſunt. *tit.* 3. *Quod legatorum*. Et hæc quidem, ut dixi, duo interdicta ſunt adipiſcendæ poſſeſſionis. Quod ſequitur, eſt *recuperandæ* poſſeſſionis: Interdictum ſcilicet *unde vi*: cum quis vi de poſſeſſione fundi vel ædium dejectus fuit. *titul.* 4. *unde vi*. Ac nominatim ſi abſentis poſſeſſio turbata fuit per vim aliove modo. *tit.* 5. *ſi per vim, vel alio modo abſentis perturbata ſit poſſeſſio*; ut proinde hic titulus ſuperioris ſit quædam appendix. *Retinendæ* poſſeſſionis interdictum eſt *uti poſſidetis*: Quod quidem interdictum pertinet ad res immobiles, & datur ei qui tempore redditi interdicti nec vi, nec clam, nec precario poſſidet. (uti rerum mobilium aut ſe moventium nomine *utrubi* interdictum datur.

tur.) *tit. 6. uti poſſidetis. Exhibitoria* Interdicta duo ſequuntur, ad Tabulas exhibendas. *tit. 7. de Tabulis exhibendis*: ad Liberos exhibendos. *tit. 8. de liberis exhibendis*. Poſtremo loco ſubjiciuntur duo Interdicta, quæ & ipſa reſtitutoria ſunt, *Precarium* & *Salvianum*. *Precarium* eſt, quo ſcil. res petenti precibus conceſſa, ei qui conceſſit, reſtituitur. *Salvianum* vero, quod datur locatori ad perſequendam poſſeſſionem rerum conductoris, pro mercede ſeu penſione pignori obligatarum tacite vel ſpecialiter. *tit. 9. de Precario & Salviano interdicto*.

Sunt & interdicta, quæ ædificiorum operumque nomine competunt: idque vel privatorum vel publicorum. Privatorum, de quo *tit.* 10 *de ædificiis privatis*: quo titulo potiſſimum tractatur de modo & forma privatorum ædificiorum, deque refectione & demolitione eorum. Eodemque pertinet *tit.* 11. *de operis novi nunciatione*: ſi quis videlic. contra veterem formam novum aliquod opus faciat, in fraudem vicini. Publicorum itidem operum nomine interdicta quædam ſunt: *tit.* 12. *de operib. publicis*: cui ſubjicitur, etſi extra rem ceu appendix, *tit.* 13. *de ratociniis operum publicorum*.

Reſpondet lib. 20. *Digeſt.*

XII.

XII. *Duodecimum* actionum genus eſt, quod *Pignora & hypothecas* reſpicit. Ac primo quidem in genere agitur de his *tit.* 14. *de pignorib. & hypothecis*. Mox ſigillatim de pignorum ſpeciebus: quæ quidem quatuor ſunt: Tacitum pignus, de quo *tit.* 15. *in quibus cauſis pignus vel hypotheca tacite contrahitur*. 2. Conventionale: ubi circa res pignori datas varii tractatus incurrunt. 1. Quando ſcil. res aliena pignori dari poſſit. *tit.* 16. *ſi aliena res pignori data ſit*. 2. Quæ res pignori dari non poſſint, veluti monumenta, ſervi, boves aratorii & ſimilia. *tit.* 17. *Quæ res pignori obligari poſſunt vel non*. 3. De re eadem pluribus creditoribus pignori data, nexave: Qua parte hæc regula tenenda eſt, priorem tempore poſteriori præferri, atque adeo poſteriores excludi: niſi privilegiati ſint. *tit.* 18. *qui potiores in pignore habeantur*: Item niſi in priorum creditorum locum poſteriores ſucceſſerint, oblata videl. eis ſolutaque pecunia debita cum uſuris. *tit.* 19. *de his qui in priorum creditorum locum ſuccedunt*. Dixi oblata & ſoluta pecunia: aliud enim fuerit, ſi antiquior creditor extraneo pignus vendiderit: hujusmodi enim pignus poſterior creditor oblata pecunia evincere non poteſt: ſera eſt hoc caſu creditoris oblatio. *tit.* 20. *ſi antiquior*

tiquior pignus vendiderit extraneo. 4. Res communis quoque pro parte collegæ non consentientis non obligantis, obligari non potest. *tit.* 21. *Si communis res pignori data sit*. Et hactenus quidem de duabus pignorum speciebus. 3. Sequitur tertia species pignoris, quæ est pignus *Prætorium*, quod quidem est missio in possessionem rerum debitoris, ut interea dum solvitur., in tuto sit ei creditum. *tit.* 22. *de Prætorio pignore, & ut in actionibus debitorum missio pignoris procedat*. 4. Postrema species pignoris est, pignus *Judiciale*, quod ex causa judicati ex bonis condemnati capit executor rei judicatæ jussu Magistratus. *tit.* 23. *Si in causa judicati pignus captum sit*: Tertius circa pignora tractatus est, de vi & effectu pignoris, deque jure, quod creditor habet in pignore ipso jure. Nempe primum in ipso pignore id jus habet, ut alii pignori id dare possit, cum sua tamen causa, i.e. ut tamdiu secundum pignus duret, donec primus debitor debitum luerit. *tit.* 24. *si pignus pignori datum sit*. Secundo in accessionibus pignoris, non minus juris habet creditor, quam in ipsomet pignore: veluti in partu ancillæ pignoratæ: in fructibus & operis, sic quidem ut hæc duo postrema in usuras, primum mox in sortem imputentur. *tit.* 25. *de*

25. *de partu pignoris & omni causa*. Tertio, tamdiu jus habet in pignore creditor, quamdiu remissum non est pignus: remittitur autem pignus non modo expresse, sed & quandoque remissum creditur. *tit.* 26. *de remissione pignoris*. Quarto, etsi pignus ex alia causa datum sit, tamen adhuc ob chirographariam pecuniam sine pignore mutuo datam, revocari potest. *titul.* 27. *etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri posse*. Quinto, præcipuum est jus creditoris in pignore, ut cessante debitore in solutione, pignus distrahere possit. *tit.* 28. *de distractione pignorum*. Neque id debitor ullo modo impedire potest: veluti si quis cum prædia quædam oppignorasset, testamento caverit, ne qua prædia sua extra nomen vel familiam suam vendantur: hæc enim prohibitio jus creditoris non lædit, neque venditionem impedit. *titul.* 29. *debitorem venditionem pignoris impedire non posse*. Et hæc quidem ita, si modo pignus jure vendatur & solemnibus juris observatis. *tit.* 30. *si vendito pignore agatur*. In tantum vero hoc jus creditori competit, ut nisi integrum debitum ei solutum fuerit, pignus a se dimittere non cogatur, idque nihilominus distrahere quoque possit, & in eo jus duret. *tit.* 31. *de Luitione pignoris*: pariter ut durat, si

unus

unus ex pluribus hæredibus creditoris partem ſuam tantum acceperit, vel unus ex pluribus hæredibus partem ſuam tantum debiti ſolverit. *tit.* 32. *ſi unus ex pluribus hæredibus creditoris & debitoris partem ſuam debiti ſolverit vel acceperit.* Et hæc quidem omnia, niſi pignoris conventionem numeratio pecuniæ ſecuta non fuerit. *tit.* 33. *ſi pignoris conventionem numeratio pecuniæ ſecuta non fuerit.*

Imo & ſubſidiario jure creditor, non reperto extraneo emptore, a Principe pro modo debiti dominium ejus impetrare poteſt. *tit.* 34. *de jure dominii impetrando.* Et hæc quidem de jure: At enim pacta quædam quandoque pignorum dationi adjiciuntur, quæ jus creditoris informant, ſi modo juſta ſint: injuſta enim non valent, ut eſt commiſſoria lex ſeu conventio in pignoribus, i. e. ut non ſoluta ad diem pecunia, pignus creditori committatur, i. e. pleno dominii jure adquiratur: id eſt enim lex commiſſoria in pignoribus. *tit.* 35. *de pactis pignorum, & de lege commiſſoria in pignoribus reſcindenda.*

Reſpondet lib. 44. *Digeſtorum.*

Exhauſtis actionum fontibus, ſequuntur nunc *Exceptiones*, ſeu reorum defenſiones:

ſiones : & hac quoque parte Edicti perpetui ordine ſervato . De his vero agitur in genere *titul.* 36. *de exceptionibus & præſcriptionibus* ; ſpeciatim autem de exceptione litigioſi *tit.* 37. *de litigioſis*.

Sequitur tractatus, velut actionum omnium & obligationum pandectes : De obligationum ſcil. vinculis & ſolutione : qui & ipſe eodem ſitu poſitus eſt in Digeſtis.

Reſpondet lib. 45. & 46. *Digeſtorum*.

Ibi porro primo agitur , quibus modis ſtipulatio contrahatur . *tit.* 38. *de contrahenda & committenda ſtipulatione* . Secundo , quænam inutiles ſtipulationes ſint. *tit.* 39. *de inutilibus ſtipulationib.* Tertio agitur de duobus reis ſtipulandi & promittendi, quatenus conveniri vel agere poſſint. *tit.* 40. *de duob. reis ſtipulandi & promittendi*. Et hæc quidem de his, qui ſuo nomine principaliter promittunt . Quarto igitur loco agitur de his , qui pro altero aliquid ſtipulanti promittunt , ſalva manente priore obligatione rei principalis : qui fidejuſſores dicuntur , ut & mandatores. *tit.* 41. *de fidejuſſoribus & mandatoribus* . Nunc de modis ſolvendæ obligationis : qui quatuor hic pertractantur . 1. Novatio ſcil. 2. & delegatio. *titul.* 42. *de nova-*

novationibus & delegationib. 3. Solutio. *tit.* 43. *de ſolutionibus*. 4. Acceptilatio, quæ eſt imaginaria ſolutio. *titul.* 44. *de Acceptilationib.*

Ad ſtipulationum quoque materiam pertinet *Evictio*, pro qua ſtipulationes ferme interveniebant, quibus venditor emptori cavebat in caſum quo res emptori evinceretur. *tit.* 45. *de Evictionibus*. Creditoris alia ratio hac parte eſt: nam ſi rem jure pignoris vendiderit, de evictione non tenetur. *titul.* 46. *Creditorem evictionem pignoris non debere*.

Subjiciuntur tandem hoc loco Jura quædam ſingularia, Legeſque ſingulares quædam civiles, quinque numero: quorum tractatus omnes nullo ſatis nexu ſibi invicem cohærent: verum, ceu ſpicilegium quoddam poſt meſſem, antequam ad Criminalia tranſitus fiat, in unum congeruntur; nos non ſine aliquo interea Codicis Theodoſiani imitamento.

1. Primus tractatus eſt de *Patria poteſtate:* ubi primum de ea ejuſque vi in genere agitur *titul.* 47. *de patria poteſtate*. Tum deinde de modo civili adquirendæ ejus, puta Adoptione. *tit.* 48. *de adoptionibus:* & retro de modis amittendæ ejus, veluti emancipatione. *tit.* 49. *de emancipationibus liberorum:* inſtaurandæ

deni-

denique ſeu revocandæ propter ingratitudinem : in emancipationem ſcil. ingrati actio datur patri, per quam reſciſſa emancipatione ingratus in poteſtatem patris revocatur. *tit.* 50. *de ingratis liberis*.

11. Subjiciuntur duo tituli pertinentes ad tractatum de *ſtatu & conditione* quarundam perſonarum liberarum, quæ ob calamitatem aliquam in ſuſpenſo eſt; mox tamen convaleſcit, ut ſunt 1. *Captivi*, quibus utique poſtliminii jus competit, & inter alia patria quoque poteſtas, de qua proxime ſupra integratur: 2. ut & *Redempti* ab hoſtibus, de quibus utriſque agitur *tit.* 51. *de poſtliminio reverſis & redemtis ab hoſtibus*. 3. Item *Expoſiti* vel ſanguinolenti empti. *tit.* 52. *de infantib. expoſitis liberis & ſervis, & de his qui ſanguinolentos emptos vel nutriendos acceperunt*.

111. His cohæret proxime tractatus de longa *Conſuetudine*, cujuſque ſcil. municipii, ejuſque vi. *tit.* 53. *quæ ſit longa conſuetudo*. Et hi quidem duo tractatus poſtremi ita quoque ſibi invicem cohærent in Codice Theodoſiano lib. 5. proxime antequam ad jus publicum ibi tranſeatur.

Re-

Reſpondet lib. 39. Digeſt.

iv. Mox de *Donationibus* agitur : de quibus fuit olim lex Cincia : quo pertinent quatuor tituli, ubi agitur primo de donationibus in genere . *tit.* 54. *de donationibus* . In ſpecie vero de donationibus modalibus & conditionalibus . *tit.* 55. *de donationibus quæ ſub modo vel conditione.* Tertio, de revocandis donationibus, quibus ex cauſis ſcil. donatio revocari poſſit . *tit.* 56. *de revocandis donationibus* . Et hæc de donationibus inter vivos. Quarto loco agitur de mortis cauſa donationibus . *tit.* 57. *de donationibus cauſa mortis.*

v. Hujus libri agmen claudunt duo tituli ad l. Jul. & Papiam pertinentes. Primus de *pœnis cælibum & orborum* , quæ tandem ſublatæ fuerunt. *titul. penul. de infirmandis pœnis cælibatus :* alter retro, de privilegiis parentum : quæ quidem omnibus ſimul & ſemel indulta tandem fuerunt : conceſſo omnibus *jure liberorum* , quod antea ſpeciatim peti ſolebat . *titul. ult. de Jure liberorum*. Et hi quidem duo tractatus poſtremi de Donationibus , deque juribus maritorum & parentum ſeu liberorum , ita quoque ſibi invicem cohærent, lib. 8. Codicis Theodoſiani .

Hacte-

Hactenus Judicia Civilia, seu causæ Civiles.

EX LIB. IX.

De causis CRIMINALIBUS, *seu Delictorum.*

Respondent libri 47. 48. *Digest.*

CRiminalia Judicia sequuntur: quorum tractatum ad tria capita referri oportet. Primum caput pertinet ad Accusationes & delationes criminum. Secundo capite continentur singulæ criminum species. Tertium continet Processum criminalem, pænasque criminum.

Ad primum caput pertinent sex priores Tituli. Qua parte primum agitur de *Personis*: Quibusnam liceat accusationem instituere. *tit.* 1. *de his qui accusare non possunt*. Secunda *forma* accusationis pertractatur: veluti an absentes accusari possint, an qui semel absolutus est: Item inscriptionis necessitas in crimen ab accusatore requiritur, priusquam ad accusationem admittatur. *tit.* 2. *de accusationibus & inscriptionibus*. 2. Post accusationem sequitur reorum absentium exhibitio & transmissio. *tit.* 3. *de exhibendis & transmittendis*

tendis reis; 3. eorumque exhibitorum custodia. *tit.* 4. *de custodia reorum*. Custodia inquam publica: privata quippe illicita est, & graviter puniuntur qui privati carceris custodiam exercent. *tit.* 5. *de privatis carceribus inhibendis*. 4. Accusatio autem instituta morte rei, vel accusatoris extinguitur, excepto perduellionis crimine. *tit.* 6. *Si reus vel accusator mortuus fuerit*.

Secundum caput, ut dixi, complectitur criminum species; 1. ac primum ea, quæ Principem vel majestatem Principis, aut imperii, vel etiam securitatem attentant: sive verbo. *tit.* 7. *Si quis Imperatori maledixerit*: sive facto. *titul.* 8. *ad l. Juliam majestatis*.

2. Crimen adulterii & stupri. *tit.* 9. *ad leg. Juliam de adulteriis & stupro*. Ac speciatim stuprum commissum a tutore cū pupilla. *tit.* 10. *Si quis eam, cujus tutor fuerit, corruperit*. Item stuprum, quod mulier libera committit cum servo proprio: cujus pæna est in muliere capitis amputatio; in ipso verberone sive servo vivicomburium. *tit.* 11. *de mulieribus, quæ se propriis servis junxerunt*.

3. Tertia species est *Vis*, partim publica, quæ fit cum armis, partim privata,

quæ ſine armis. *tit.* 12. *ad l. Juliam de vi publica & privata*. Cui affinis eſt raptus in ſp. *tit.* 13. *de raptu virginum ſeu viduarum, nec non Sanctimonialium*.

Quartum crimen eſt immodicæ ſævitiæ, quo pertinent duo Tituli: in ſervos ſcil. *tit.* 14. *de emendatione ſervorum*; in propinquos. *titul.* 15. *de emendatione propinquorum*.

Quintum crimen eſt homicidii. *tit.* 16. *ad l. Cornel. de ſicariis*. Cujus ſpecies atrociſſima parricidium. *tit.* 17. *de his qui parentes vel liberos occiderunt*.

Sextum crimen eſt, quod proprie *maleficii* crimen vocatur, quo magiæ crimen & veneficii comprehenditur. *titul.* 18. *de maleficis & mathematicis*.

Septima ſpecies eſt læſæ ſepulcrorum religionis crimen: de quo *tit.* 19. *de ſepulcro violato*.

Octava ſpecies eſt Uſurpationis flagitioſæ crimen. Quale eſt primum crimen *plagii*, quod contrahunt qui liberos alienos ſupprimunt, & uſurpant, vel etiam ſervos. *tit.* 20. *ad l. Fabiam de plagiariis*. Alterum flagitioſæ uſurpationis exemplum eſt in libertinis, qui ingenuorum dignitatem privilegia temere uſurpant & gerunt; quod crimen vindicatur lege Viſcellia. *tit.* 21. *ad l. Viſcelliam*.

No-

Nonum crimen eſt falſi crimen. Quo pertinent quatuor ſequentes tituli. Primus generalis. *titul.* 22. *ad l. Cornel. de falſis*. Tres ſequentes de tribus ſingularibus falſis ſpeciebus admiſſis. 1. in teſtamentis. *tit.* 23. *de his qui ſibi adſcribunt in teſtamento*. 2. circa Monetam. *tit.* 24. *de falſa moneta*. 3. circa nominis uſum. *tit.* 25. *de mutatione nominis*. Quod ultimum crimen contrahitur, cum quis dolo malo novum ſibi nomen imponit, vel alienæ familiæ ſeſe inſerit.

Decimo loco proponuntur crimina peculiaria eorum, qui in officio publico conſtituti ſunt. Nempe honorum ambitus. *tit.* 26. *ad l. Juliam de ambitu*. Et furti crimen, quo ſeſe obligant Magiſtratus; idque duplex: 1. ratione provincialium & privatorum, dum Provinciales ſuæ adminiſtrationi commiſſos depopulantur, quod crimen repetundarum dicitur. *tit.* 27. *ad l. Juliam Repetundar*. Vel ratione rei publicæ, dum publicam pecuniam intervertunt; quod crimen peculatus dicitur. *tit.* 28. *de crimine peculatus*.

Undecimum crimen eſt ſacrilegii. *tit.* 29. *de crimine ſacrilegii*.

Duodecimum eſt, pacis turbatæ. *titul.* 30. *de ſeditioſis, & de his qui plebem contra Rempubl. audent colligere*.

Tandem ut claudatur tractatus de publicis judiciis criminalibus, ſubjicitur Regula, Civilem actionem criminali præjudicare non poſſe. *tit.* 31. *Quando civilis actio criminali præjudicet.*

Sequuntur ſpecies *privatorum judiciorum*, quæ ex maleficiis oriuntur: Cujus generis eſt 1. *Expilata* hæreditas. *titul.* 32. *de crimine expilatæ hæreditatis*. 2. *Rapina*. *titul.* 33. *Vi bonorum raptorum*. 3. *Stellionatus*, quod admittitur, cum quis vel rem jam alii pignoratam, vel alienam ſciens pignori obligavit, & ſimilibus hujuſmodi fraudibus, impoſturis, & diſſimulationibus, veluti ſi quis gemmas vitreas vendiderit pro veris. *titul.* 34. *de crimine ſtellionatus*. 4. Injuria. *tit.* 35. *de injuriis*. Cujus ſpecies atrociſſima famoſi libelli. *tit.* 36. *de famoſis libellis*.

Extraordinariorum criminum ſpecies poſtremum occupant locum, quæ videlicet extraordinaria pœna pro admiſſi ratione vindicantur: cujuſmodi tria ſequuntur. 1. *Abigeatus* ſeu pecorum latrocinium, veluti ſi grex ovium abductus ſit. *tit.* 37. *de abigeis*. 2. *Aggerum* Niloticorum ruptura. In Ægypto quippe certis aggeribus Nilus continebatur. *tit.* 38. *de Nili aggeribus non rumpendis*. 3. *Occultatio* latronum, vel receptatio aliorum reorum. *tit.*

39. *de*

39. *de his qui latrones, vel aliis criminibus reos occultaverint.*

Tertium seu postremum caput pertinet ad processum criminalem, & pœnas reorum: In processu criminali hæc incurrunt. 1. citatorium edictum contra latitantes. *tit.* 40. *de requirendis reis.* 2. Tormenta ad eruendam veritatem. *tit.* 41. *de quæstionib.* 3. Criminis & accusationis institutæ persecutio, qua in re tria notanda. Primo, accusationem deferere non licet citra abolitionem: quæ vel specialis est: *tit.* 42. *de abolitionib.*: vel generalis. *tit.* 43. *de generali abolitione.* Secundo, intra biennium causæ criminales terminandæ sunt: alioquin accusator negligens in peragendo reo intra tempus constitutum punitur. *tit.* 44. *ut intra certum tempus criminalis quæstio terminetur.* Tertio, longe majore adhuc pœna plectitur accusator, si non tantum ex negligentia ab accusatione destiterit, sed prævaricatorio animo: quo pertinet Senatusconsultum Turpilianum. *tit.* 45. *ad SC. Turpilianum.* Contra Calumniatores gravissime puniuntur. *tit.* 46. *de calumniatoribus.*

Postremo loco *pœnæ* criminum sequuntur. Ac primum de pœnis in genere agitur *tit.* 47. *de pœnis.* In specie vero de bonorum confiscatione, seu proscriptione.

Quo pertinent tres tituli. Primus de *Judicibus*, seu de his, quibus confiscare licet. *titul.* 48. *Ne sine jussu Principis certis Judicibus liceat confiscare*. Secundus, de ipsamet in genere bonorum proscriptione. *titul.* 49. *de bonis proscriptorum seu damnatorum*. Tertius specialis de eorum bonis, qui sibi vitam adimunt. *titul.* 50. *de bonis eorum qui mortem sibi consciverunt*.

Vice versa ex Principis quandoque beneficio sententiam passi damnatique restituuntur: de cujus restitutionis effectu agitur *titul. postremo de sententiam passis & restitut.*

Hactenus de jure Sacro, deque Privato.

EX LIB. X.

DE JURE FISCALI, 2. & MUNICIPALI.

Respondent huic libro pars ultima libri 40., *& pars prima libri* 50. *Digestorum*.

PUBLICUM Jus sequitur libris tribus postremis: quod consistit in jure fisci, in jure Civitatum & municipiorum: de quibus agitur *lib.* 10. In speciebus fiscalibus, & Corporatis, qui his serviebant in rebus Urbanis & Rusticis: de quibus

lib.

lib. 11. In Dignitatibus, re Militari, Curſu publico, Apparitoribus, ſeu officialibus Magiſtratuum, de quo *libro* 12.

De *Jure fiſci* in univerſum agitur *tit.* 1. *de Jure fiſci*. Quo quidem titulo quædam delibantur fiſco ſingularia, vel cum privatis communia: In ſpecie vero, quodnam jus fiſci ſit titulis ſex ſequentibus tractatur. 1. In *debitoribus* ſuis conveniendis. 2. in *contractibus* celebrandis. 3. in pœnis exigendis. 4. in Sententiis retractandis. 5. in *vacantibus* & caducis bonis vindicandis ſeu confiſcandis: Denique in functionibus, ſeu *tributis* publicis.

1. In *Debitoribus* ſuis conveniendis jura quædam ſingularia fiſcus habet, de quibus *titul.* 2. *de conveniendis fiſci debitoribus*.

Secundo, In *Contractibus* quoque, de quibus ſunt quatuor tituli, celebrandis a fiſco peculiaris quædam ratio eſt. Primo notentur Subhaſtationes publicæ, quarum peculiaris forma, vis, & effectus, *titul.* 3. *de fide & jure haſtæ fiſcalis, & adjectionib.* 2. Id peculiare fiſco eſt, ut ſocio invito quantumvis partem minimam in communi fiſcus habeat, vendere poſſit, pretio tamen ſocio pro parte dominii reſervato. *tit.* 4. *de venditione rerum fiſcalium cum privatis communium*. 3. Contra,

nec fiſcus ipſe retractare, ſeu evincere rem quam rite vendidit, poteſt. *tit.* 5. *Ne fiſcus rem quam vendidit evincat*. 4. Pecuniam ex publicis rationibus fœnebrem accipere, contractu habito cum his, qui res fiſcales accurant, non licet, alioquin contrahens bonis omnibus ablatis perpetuo deportatur. *titul.* 6. *de iis qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperint*.

Tertio, quod *Pœnas* attinet, in pœnis exigendis creditores fiſco præferuntur. *tit.* 7. *penis fiſcalibus creditores præferri*. Sed nec uſuræ pœnæ inflictæ exiguntur. *tit.* 8. *de fiſcalibus uſuris*. Quarto, cauſæ contra fiſcum judicatæ ex cauſa legitima intra triennium tantum retractari poſſunt. *tit.* 9. *de ſententiis adverſus fiſcum latis retractandis*.

Quinto, *Vacantia & caduca* bona fiſco vindicantur: ſed & theſauri.

Vacantia bona ſunt, veluti ſi quis defunctus nullum hæredem reliquerit ex teſtamento, vel ab inteſtato, ex quacunque ſanguinis linea, vel juris titulo: quæ fiſco acquiruntur, mox fiſco incorporantur certo ordine ſervato, *tit.* 10. *de bonis vacantibus, & de incorporatione*. Ac ſæpe ad privatorum quorundam delationem, qui ſcil. bona vacantia ſicubi noſſent fiſco deferebant, cum aliquo delatoris præmio.

tit.

tit. 11. *de delatoribus*. Vicissim hujusmodi bona vacantia sæpe Palatini, id est, in aula Principis constituti, petebant & impetrabant. Verum hujusmodi mos, petendi videlicet proscriptorum bona vel vacantia, prohibitus fuit, ultro datis non prohibitis, i. e. ea a Principe ultro dari poterant. *titul.* 12. *de petitionibus bonorum sublatis*. Certis tamen casibus caduca & vacantia bona non in totum fisco adquirebantur, verum quandoque in tributum veniebat fiscus cum aliis, id est, caduca bona dividebantur inter fiscum & alium: veluti si quis se ipsum detulisset. Nam si hæres, cujus in fraudem legum tacitæ fideicommissum aliquid fuisset, id detulisset, tertiam partem pro præmio ferebat. *tit.* 13. *de his qui se deferunt*. Imo casus quidam est, quo ab extraneo fiscus penitus excluditur: ut ecce, si duobus Princeps communiter rem aliquam donaverit, & horum alter sine hærede decesserit, socius ejus fiscum excludet. *titul.* 14. *Si liberalitatis Imperialis socius sine hærede decesserit*.

Thesauri vacantibus bonis tempus fuit cum connumerarentur: Thesauros quippe inventos a privatis fiscus vel in totum, vel pro parte olim occupabat, ut docet *lex* 1. *Cod. Theod. de thesauris*. Verum

id abrogatur *tit.* 5. *de thesauris*.

Postremo, jus fisci consistit in functionibus publicis, i. e. *Tributis* & annonis. De quibus agitur titulis quindecim sequentibus, a *titul.* 16. ad 30. inclusive. Tributa hujusmodi vel sunt necessaria, vel sunt voluntaria. *Necessaria*, quæ necessario solvenda erant fisco: de quibus agitur in genere *titul.* 16. *de annonis & tributis*. In specie de his tribus, de indictione tributorum, de exactione, deque condendis iis in publicis horreis. 1. De *Indictione* tributorum agitur *tit.* 17. *de indictionibus, & titul.* 18. *de superindicto*.

2. Ad *Exactionem* Tributorum pertinent Tit. 7. sequentes: Quibus agitur primum de exactorum ipsorum officio, nominibus, & numero. *tit.* 19. *de exactoribus tributorum*. 1. Contra de superexactorum, i. e. ultra debitum exigentium, & provinciales concutientium pœna. *tit.* 20. *de superexactionibus*. Tertio, de *Efficacia*, id est, instantia in tributis exigendis adhibenda: Quo pertinet pignorum capio tributorum non solutorum causa. *tit.* 21. *de capiendis & distrahendis pignoribus tributorum causa*. Quarto, de *Apochis*, & securitate provincialium, postea quam tributa solverunt: *tit.* 22. *de apochis*

chis publicis. Quinto, de integri canonis exactione, relatione in thesauros, & tractatione. *tit.* 23. *de canone* (id est, de solenni intributione) *largitionalium titulor*. Sexto, quænam a provincialibus exigi non possint. Operarum scilicet præbitio a rusticis prohibita est, ne tristis rusticorum abductio ab opere rustico ipsas quoque urbes perdat. *titul.* 24. *Ne operæ a collatoribus exigantur*. Postremo ab omnibus exigenda esse tributa, & immunitatem nemini esse concedendam, ne alioquin vel paucorum immunitas cæteros prægravet. *tit.* 25. *de immunitate nemini concedenda*.

Tertio, de *condendis* in publicis horreis tributis, & quemadmodum expendi debeant, custodiri & mensurari, sartaque tecta conservari, agitur *tit.* 26. *de conditis in publicis horreis*.

Hactenus ordinaria tributa. Sequuntur *Extraordinaria*, eaque triplicis generis. Extraordinaria sunt, quæ præter ordinaria exiguntur, ut est *coemptio specierum*, i. e. ut urgente necessitate privati cogantur fisco vendere species sibi superfluas. *tit.* 27. *Ut nemini liceat in emptione specierum se excusare*.

Secunda species extraordinariorum tributorum est, cum non omnibus, sed cer-

to tantum generi poſſeſſionum, neceſſitate eadem urgente, tributa extra ordinem imponuntur. Veluti, *donatis* olim a Principe poſſeſſionibus, item *relevatis* poſſeſſionibus, i. e. quæ a tributis olim immunes factæ fuerant a Principe, extra ordinem tributa indicta. *tit.* 28. *de collatione donatorum vel relevatorum*. Tertia extraordinariorum tributorum ſpecies eſt, quoties videlicet extra ordinem *alia ſpecies pro alia* exigitur: veluti aurum in ſpecie pro ære. *tit.* 29. *de collatione æris*. Sequitur tandem commune utriſque tributis ordinariis & extraordinariis: nempe & Diſcuſſores per provincias mittebantur, ut rationes tributorum diſcuterent, indagarent, examinarent, quidque quisque pro rata poſſeſſionum conferre debuerit, quidve contuliſſet: idque ob prædam exactorum, vel moram tributariorum. *tit.* 30. *de diſcuſſorib.*

II. MUNICIPALE *Jus* ſequitur, quod ſequentibus conſiſtit. 1. in Senatu, ſeu Curia. 2. in Municipibus. 3. in Muneribus & Honoribus.

Primum agitur de *Senatu* municipali, id eſt de decuriis & Decurionibus: quo pertinent *tituli* 7. Ac primum in genere de iis. *tit.* 31. *de Decurionibus*. Secundo, *de perſonis* Decurionum. Servi ſcilicet & liber-

liberti Curia arcentur. *tit.* 32. *Si ſervus aut libertus ad decurionatum adſpiraverit.* Tertio de *Rebus* ad Decuriones pertinentibus: Ubi tria notanda. 1. Prædia Decurionum ſine decreto alienari non potuiſſe. *tit.* 33. *de prædiis decurionum ſine decreto non alienandis*. Item ſi extraneus curiali ſuccederet, quartam partem bonorum penes Curiam remanere oportuit. *tit.* 34. *Quando & quibus quarta pars debetur ex bonis decurionum*. 3. His bonis, quæ ex cauſa lucrativa Decuriones nacti fuerant, deſcriptio, id eſt collatio quædam indicebatur. *tit.* 35. *de imponenda lucrativis deſcriptione*.

Quarto, duobus *actibus* in fraudem Reipub. & Decurionum occurritur duobus ſequentibus titulis. Primum prohibentur Decuriones ſalarium alicui conſtituere ex viribus, id eſt reditibus Reipubl. ſeu municipii, niſi cui Princeps ſpeciatim julſerit. *tit.* 36. *de præbendo ſalario*. Deinde adverſus fugam Decurionum conſulitur. *tit.* 37. *Si Curialis relicta civitate rus habitare maluerit*.

Secundum caput ad Jus municipale pertinens conſiſtit in *Municipibus*: de quibus *tit.* 38. *de municipibus & originariis*: & municipii incolis. *tit.* 39. *de incolis, & ubi quis domicilium habere videatur*.

Ter-

Tertium caput ad Jus municipale pertinens, eſt *de Muneribus & honoribus* municipalibus ſuſtinendis: quo pertinent reliqui tituli omnes hujus libri ad ultimum uſque. Ac primum in genere de his agitur *titul.* 40. *de munerib. & honorib. non continuandis inter patrem & filium, & de intervallis*. Deinde de ſpeciebus munerum. Sunt enim quædam munera perſonalia, alia vero patrimonialia, quæ pro modo fortunarum & patrimonio indicuntur & ſuſtinentur, quæ etiam mulieres ſuſtinere coguntur: *titul.* 41. *de muneribus patrimoniorum*. Tertio, indictionis munerum forma: Neque enim promiſcue omnibus omnia munera indici poſſunt. *titul.* 42. *quemadmodum civilia munera indicuntur*. Quarto, de immunitate a muneribus publicis. Sunt enim quidam, qui inviti cogi non poſſunt publica munera ſubire, atque adeo excuſationem habent: ſponte tamen ea ſubire poſſunt. *tit.* 43. *de his qui ſponte munera publica ſubeunt*. Cæterum immunitas hæc a muneribus publicis ex triplici fonte promanat. Primum ex Principis beneficio. *tit.* 44. *de his qui a Principe vacationem acceperunt*. Quod non niſi ex cauſa fieri ſolet; quæ tamen ipſa non ordinariorum munerum, ſed extraordinario-

rum

rum tantum vacationem præſtat. *tit.* 45. *de vacatione publici muneris*. Secundo, ex decreto Decurionum: quam non aliis Decuriones tribuere poſſunt, quam liberalium artium Profeſſoribus & Medicis. *tit.* 46. *de decr. Decurionum ſuper immunitate quibuſdam concedenda*. Tertio ex communi jure juſtis de cauſis immunitatem munera nonnulla habent. *tit.* 47. *de excuſationibus munerum*. Quæ tamen ipſa ad certa munera reſtringitur: a nonnullis enim nemo excuſatur. *tit.* 48. *De quibus muneribus vel præſtationib. nemini liceat ſe excuſare*. Excuſationis autem hujus, ſive immunitatis cauſæ ſunt iſtæ: 1. *Ætas*, eaque vel legitima minor, (veluti ſi Studioſus quis ſit liberalium artium) vel major 55. annis. *titul.* 49. *Qui ætate ſe excuſant*. 2. Morbus. *tit.* 50. *Qui morbo ſe excuſant*. 3. Numerus liberorum, 4. vel Paupertas. *tit.* 51. *de his qui numero liberorum vel paupertate excuſationem meruerunt*. 5. Profeſſio triplex: literarum. *tit.* 52. *de Profeſſioribus & Medicis*: Athletica: Athleta quippe ſi ter vicerit & coronatus fuerit, a civilibus muneribus excuſatur. *tit.* 53. *de athletis*. Militaris denique, etiam non expletis ſtipendiis, ſi honeſta neceſſariaque miſſione dimiſſus

miles

miles ſit. *tit.* 54. *de his qui non impletis ſtipendiis ſacramento ſoluti ſunt*: & multo magis qui expletis. *tit.* 55. *Quibus muneribus excuſantur hi qui poſt impletam militiam vel advocationem per provincias, ſuis commodis vacantes commorantur, & de privilegiis eorum*. 6. *Status* quoque perſonæ excuſationi, vel repulſioni a muneribus publicis locum facit. Nempe honorum aditus ferme præcluſus eſt Libertinis. *tit.* 56. *de libertinis*. Infamibus. *tit.* 57. *de infamibus*: Reis. *tit.* 58. *de reis poſtulatis*. In exilium datis, vel ab ordine motis. *tit.* 59. *de his qui in exilium dati vel ab ordine moti ſunt*. Filii quoque non recte vocantur, niſi conſentiente patre: quo caſu quo modo pater teneatur, definitur. *tit.* 60. *de filiisfamilias, quomodo & quemadmodum pro his pater teneatur*; ut & hæredes ejus. *titul.* 61. *de periculo ſucceſſorum parentis*. 7. Sexus quoque præſtat excuſationem quandoque in certo loco. *tit.* 62. *de mulieribus, in quo loco munera ſexui congruentia vel honores agnoſcant*. 8. Legatio item obita: nam & hæc pro loci ratione temporalem præſtat vacationem. *tit.* 63. *de legationibus*. 9. Artificium: nam & Artifices quidam inſignes a muneribus excuſantur. *tit.* 64. *de excuſationibus*

bus artificum. 10. Potioris alterius nominatio: Nam qui ad munus nominatus potiorem alium seu ditiorem ostenderit, & subeundis muneribus aptiorem, auditur & excusatur. *tit. 65. de potioribus ad munera nominandis*. 11. Inimicitiæ nominatorum: Nam si quis nominatus fuerit ut sumptu, vel molestia afficeretur, nominatio non tenet: Neque enim ex amicitia aut inimicitia nominationes fieri debent, sed æstimatione vera & commodo Reipublicæ. *titul. 66. Si propter inimicitias creatio facta sit*. Quo etiam casu is qui sumptus in lite fecit, eos recuperat ab iis, qui ipsum ad munus fatigandi ipsius causa devocarunt. *tit. 67. de sumptuum recuperatione*. 12. Mors denique muneribus solvit. Nam si post creationem quis decesserit, ante subeundi muneris vel honoris diem, hæredes ejus nomine non tenentur. *tit. 68. Si post creationem quis decesserit*.

Sequuntur quædam munera publica circa Tributa occupata: de quibus speciatim tractatur Titulis sequentibus; Ac primum *Tabularii*, *scribæ*, *logographi*, id est ii, qui tributorum rationes scribebant, & *Censuales*. *tit. 69. de Tabulariis, scribis. Logographis, & Censualibus.* Secundo Susceptores, Præpositi & Arcarii:

carii : *Susceptores* sunt qui annonas & tributa utriusque ærarii suscipiebant : *Præpositi* vero, qui præfecti erant horreis, in quibus species fiscales deponebantur : *Ærarii* vero, qui suscipiendis iis, quæ ad arcam Præfecti prætorio pertinebant . *tit. 70. de susceptoribus præpositis & arcariis.* Tertio ponderatores . *tit. 71. de ponderatoribus* . Quarto Prosecutores auri publici *tit. 72. de auri publici prosecutoribus.* Quibus omnibus, ut & Judicibus, commune præceptum subjungitur, ut ex publicis tributis nihil usurpent . *tit. 73. de his quæ ex publica collatione illata sunt, non usurpandis.* Et hæc quidem de muneribus & honoribus municipalibus. His addatur Auri coronarii oblatio, quod videl. civitates & Decuriones, quasi vice coronæ aureæ Principi donabant & mittebant. *titul. 74. de aureo coronario* . Item Irenarcharum munus, id est eorum, qui paci ac quieti provinciæ præsunt . *tit. 75. de Irenarchis* . His additur *Tit. ult. De argenti precio, quod thesauris infertur* ; nempe ut cuique liceat si velit, aurum pro argento inferre. Qui titulus alieno plane loco positus est.

Ex Lib. XI.

1. *De* Speciebus Fiscalibus *& Imperatoriis, deque corporatis, qui his serviebant.*
2. *De rebus* Urbanis.
3. *De* Rusticis.

De tribus hoc libro agitur: Primum est de Speciebus & de *Corporibus* seu corporatis fiscalibus, & Imperitoriis. Secundum est de rebus Urbanis seu Urbicis: Tertium est de rebus Rusticis.

Ad primum caput pertinent Tituli 12. priores: Ad secundum Tituli sequentes ad 46. inclusive: Ad tertium, quod superest ad finem libri.

1. Species *fiscales* seu Imperatorias voco, appellatione hujus ævi, species, in quibus tributa solvebantur. Item species, quarum usus Principi reservatus erat: quæque ad Principem pertinebant.

Hujusmodi species & corporati sex hic pertractantur. Primum *Species annonariæ*, id est, quæ in annonis, veluti in tritico, vino, id genus aliis tributorum nomine pendebantur, & in horrea Romana ex omnibus orbis Romani Provinciis transferebantur, & *Corporati* eis servientes.

Eam

Eam ſane in rem certum erat *Corpus naviculariorum* ad ſpecies illas transferendas: De quibus in genere agitur *titul.* 2. *de navicularis ſeu naucleris publicas ſpecies tranſportantibus*. In ſpecie vero hæc quatuor circa eos definiuntur. Prædia, resque naviculariorum hujuſmodi ad quemcunque pervenirent, functioni huic navicularis ſubjectæ manebant. *titul.* 2. *de prædiis & omnibus rebus naviculariorum.* 2. Nulla navis navicularii ab hujuſmodi functione immunis eſſe poterat. *titul.* 3. *de navibus non excuſandis*. 3. Naviculariis interdictum erat, ſarcinas privatorum oneri publico imponere, i. e. una cum ſpeciebus fiſcalibus res & merces privatorum tranſvehere. *titul.* 4. *ne quid oneri publico imponatur*. 4. ſi naufragium paſſi eſſent navicularii, apud Præſidem Provinciæ id conteſtari ſolemni more debebant. *tit.* 5. *de naufragiis*.

Secunda ſpecies ſpecierum & corporum fiſcalium ſunt *Metalla*, & *Metallarii*: nam certum corpus metallariorum deſtinatum erat & adſtrictum metallis eruendis, ſic quidem, ut in iis lociis manere eos oporteret, quibus eſſent adſtricti: & ſi aufugerent, reducerentur. *tit.* 6. *de metallariis & metallis & procuratoribus metallorum*.

Ter-

Tertia ſpecies fiſcalium ſpecierum ſunt *Veſtes*: Nam & certarum veſtium uſus Principi reſervatus erat, vel ad Principis domum pertinentibus veſtibusque illis partim tingendis, partim texendis & ornandis, certa quædam corpora deſtinata erant. 1. Nam & *murileguli* erant, qui muri-ces, i. e. conchas ad purpuram tingendam piſcabantur & legebant. 2. Erant & *gynæciarii*, qui veſtibus & aliis ornamentis accurandis in aula præerant. *tit.* 7. *de murilegulis & gynæciariis & procuratoribus gynæcii, & de monetariis & & baſtagiariis*: quo etiam pertinet *tit.* 8. *de veſtibus holoberis* (id eſt holoſericis) *& auratis, & de intinctione ſacri muricis*.

Quarta ſpecies fiſcalis ſunt *Arma*: Quibus frabricandis præerat certum corpus, eorum qui inde *fabricenſes* dicebantur. *tit.* 9. *de fabricenſibus*.

Quinta ſpecies eſt *Moneta*: quo pertinet *titul.* 10. *de veteris numiſmatis poteſtate*.

Sexta ſpecies fiſcalium ſunt *Ornamenta Regia* Principi reſervata, quibus conficiendis artifices Palatini quidam præerant. *tit.* 11. *Nulli licere in frenis & equeſtribus ſellis, & in balteis, margaritas & ſmaragdos & hyacinthos aptare*: *& de artificibus Palatinis*.

Sub-

Subjicitur tandem *Tit.* 12. *de classicis:* qui pertinent ad classes, id est, ad *Naves* destinatas ad flumina purganda, aliasque necessitates, veluti ad species, de quibus supra, transferendas.

2. URBANA seu URBICA sequuntur, a titulis 14. ad Titulum 26. inclusive, & quidem urbica seu urbana ad urbem Romam & Constantinopol. pertinentia, ut & ad Berytum. Quæ de Urbicis hic tractantur, sex capitibus absolvuntur. Primum caput est de *Corporibus urbicis*, Senatui & *politiæ*, ut vocant hodie, servientibus. Hujusmodi erant 1. *Decuriales* urbis Romæ, qui scil. actis Senatus conficiendis serviebant. *tit.* 13. *de decurialibus Urbis Romæ.* 2. *Corporati*, ita proprie dicti urbis Romæ, de quorum privilegiis agitur *titul.* 14. *de privilegiis corporatorum urbis Romæ*: ut erant 1. Pistores, qui videlicet panibus civilibus (id est panibus, qui a fisco atque a Principe populo dabantur) coquendis præpositi erant. *tit.* 15. *de pistoribus.* 2. *Suarii* seu porcinarii, qui pariter ex liberalitate Principis porcinam carnem populo præstabant. 3. ut & *Vini susceptores*, qui vinum. *tit.* 16. *de suariis & susceptoribus vini & cæteris Corporatis.* 4. *Collegiati*, qui, ut vulgo creditur, incendiis arcendis

dis præerant. 5. & *Chartopratæ*. 6. & *Nummularii*, qui nummorum permutationem tractabant. *tit.* 17. *de collegiatis & chartopratis & nummulariis*.

Secundum caput est de *studiis & studiosis*, Academiisque urbis Romæ: de quibus *titul.* 18. *de studiis liberalibus urbis Romæ & Constantinopolitanæ*.

Tertium caput ad majestatem harum urbium pertinens, est de *Honoratis*, quibus vehiculis dignitatis suæ intra urbem uti licebat: *tit.* 19. *de honoratorum vehiculis*.

Quartum Urbicorum caput est, de *Privilegiis* quarundam Civitatum: veluti urbis Constantinopolitanæ: Eædem certe illi prærogativæ tributæ, quæ veteri Romæ competebant. *tit.* 20. *de privilegiis urbis Constantinopol.* Item Beryto, quæ civitas erat in Phænicia, hoc privilegium tributum fuit, ut cum alioquin in una provincia unica tantum esset metropolis, & quidem in Phænicia Tyrus ab antiquo metropolis esset, nihilominus quoque Berytus metropolis foret. *tit.* 21. *de metropoli Beryto*.

Quintum Urbicorum seu Urbanorum caput spectat *Annonam Urbium* præcipuarum: veluti urbis Romæ, Constantinopolitanæ, & Alexandrinæ: Ad annonam Romæ & Constantinopoleos pertinent Tituli

li quinque ſequentes: ubi agitur primum de ipſo frumenti canone, urbis ſcil. Romæ. *tit.* 22. *de Canone frumentario Urb. Rom.* Urbis Conſtantinopolitanæ. *tit.* 23. *de frumento urbis Conſtantinopol.* Secundo agitur de annonis, quæ exinde publice diſtribuebantur. *tit.* 24. *de annonis civilibus.* (Quæ annonæ civiles de publico mendicantibus invalidis præſtabantur, non etiam validis. *tit.* 25. *de mendicantibus validis.*) Tertio de frumenti ſubvectione per Tyberim. *tit.* 26. *de nautis Tyberinis.* (i. e. qui in Tyberi operam navabant ſubvehendæ annonæ urbis Romæ.) Et hæc de Annona utriuſque Urbis Romæ. De Alexandrina eſt *tit.* 27. *de frumento Alexandrino*, cui ſociatur *titul.* 28. *de Alexandriæ primatibus*.

Sextum Urbanorum ſeu Urbicorum caput ſunt *Jura civitatum*, circa res & debitores earum. Singulari ſcil. privilegio jureque fruebantur hac parte Reipublicæ & Civitates, ſive ex lege civitatis, ſive ex beneficio ſibi conceſſo. Inter alia tanquam pupilli, extra ordinem juvantur. *titul.* 29. *de jure Reip.* Sed & in adminiſtrandis rebus civitatum ſua & peculiaria quædam jura ſunt. *tit.* 30. *de adminiſtratione rerum publicarum*: ut & in vendendis. *tit.* 31. *de vendendis rebus Civitatis*.

vitatis. De *debitoribus* Civitatum ſunt ſequentes octo Tituli. Ac primum de debitoribus privatis eſt *tit.* 32. *de debitoribus Civitatum:* Sequentes Tituli ſex ſunt de debitoribus, qui actum publicum geſſerunt: Ac primo quidem quatenus teneantur civitatibus 1. eorum Nominatores. *tit.* 33. *de periculo nominatorum*. 2. Fidejuſſores. *titul.* 34. *de periculo eorum, qui pro Magiſtratibus intervenerunt*. 3. Collegæ. *tit.* 35. *quo quiſque ordine conveniatur*. Secundo agitur de Actu Reipublicæ: ubi cavetur, liberum invitum eum gerere non cogi. *tit.* 36. *ne quis liber invitus actum Reipublicæ gerere cogatur*. Tertio, de ſumptibus muneris injuncti, nempe eos ad omnes pertinere. *titul.* 37. *ſumptus injuncti muneris ad omnes collegas pertinere*. Quarto, de uſuris, an in eas quoque teneatur qui fœnus Reipubl. adminiſtravit, pecuniamque fœnori locavit. *tit.* 38. *de his, qui ex officio, quod adminiſtrarunt conveniuntur*.

Poſtremo quomodo debitores civitatis ſolvendo liberentur. *tit.* 39. *de ſolutionibus & liberationib. debitorum civitatis*.

Septimum Urbanorum ſeu Urbicorum caput ſpectat *Voluptates, Amœnitates publicas*: quo pertinent ſex tituli ſequentes. 1. Spectacula ſcil., & in his ſcenicæ

voluptates, (Lenociniis improbatis) *tit.* 40. *de ſpectaculis ſcenicis & lenonibus*. Qua parte tenendum, expenſas ſeu pecuniam his deſtinatam quandam fuiſſe, quæ tamen urgente neceſſitate in murorum conſtructionem converti potuit. *tit.* 41. *de expenſis publicorum ludorum*. 2. Aquæductus: de quorum tutela legitimoque uſu eſt *tit.* 42. *de Aquæductu*. 3. *Gladiatores*, ſeu gladiatorum ludi, qui penitus ſublati. *tit.* 43. *de gladiatoribus penitus tollendis*. 4. Venatio ferarum: Quæ privatis quantum ad leones cædendos permiſſa fuit. *tit.* 44. *de venatione ferarum*. 5. *Majumæ* ſpectaculum. *tit.* 45. *de Majuma*.

Poſtremo loco ad publicam *ſecuritatem* armorum uſus inſcio Principe vetitus. *tit.* 46. *Ut armorum uſus inſcio Principe interdictus ſit*: qui hoc loco poſitus eſt in confinio Urbanorum & Ruſticorum, ad quod utrumque pertinet.

3. RUSTICA ſequuntur, & quidem ſecundum tria Juris objecta, Perſonas, Res, & Actiones.

1. De *Perſonis* agitur a *titul.* 46. ad 56. atque adeo decem Titulis.

Ac primum in genere de his *titul.* 47. *de agricolis & cenſitis ac colonis*; Inter cenſitos autem & colonos hoc diſcrimen

ſcrimen eſt, quod cenſiti ſint capite cenſi, & fundi dominum pro domino agnoſcunt: coloni vero liberi ſint, & res proprias ſeu peculium habeant, terram tamen dimittere non poſſint, & terram pro domino habeant. Quo pertinet etiam *Tit.* 48. *de capitatione civium cenſib. eximenda*: quo titulo prohibentur cives, qui in urbibus degunt capitis cenſum præſtare, ſeu cenſiti fieri. Et quidem adeo cenſiti agricolæ fundorum dominos pro dominis agnoſcebant, ut quemadmodum veri ſervi dominos ſuos accuſare non poterant, ita neque hi ſuos accuſare poſſent. *tit.* 49. *in quibus cauſis coloni cenſiti dominos accuſare poſſint*. Et hæc de cenſitis.

De colonis ruſticanis ſunt ſequentes Tituli quinque. De his vero tria hic caventur.

1. Etſi capite cenſiti non ſint, attamen originario jure eos terræ alligatos eſſe, neque eam deſerere poſſe: id quod pro re nata ſpeciatim cautum circa colonos Paleſtinæ. *tit.* 50. *de colonis Paleſtinæ*: Thraciæ. *tit.* 51. *de colonis Thracenſibus*: Illyrici. *tit.* 52. *de colonis Illyricianis*. 2. Ne cui liceat eos in ſuum patrocinium ſuſcipere. *titul.* 53. *Ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos*.

3. Ut ne ad ullum aliud obsequium sub quocunque prætextu vocari possint. *titul.* 54. *Ne rusticani ad ullum obsequium devocentur*. Et hæc de rusticanis.

Sequuntur *Vicanei*, id est, qui in vicis habitabant: In quibus quædam singularia observabantur. Vicanei enim metrocomiæ, id est, primarii vici, seu principis, loca sua transferre non poterant ad extraneum, id est, qui non esset ejusdem metrocomiæ vicaneus. *tit.* 55. *Non licere habitatoribus metrocomiæ loca sua ad extraneum transferre*. Item vicanei pro alienis vicaneorum debitis non magis quam alii conveniri possunt. *tit.* 56. *Ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur*. Et hæc de personis rusticis. Sequuntur actiones quædam.

2. *Actiones*, seu actus hic voco Descriptiones jugerum & capitum, qui census vocantur. Cui censui peragendo qui præerant, *Censitores* dicebantur; quandoque vero extra ordinem mittebantur alii, qui dicebantur *Peræquatores*, id est, qui æquarent census, ita ut si quis prægravatus esset, exoneraretur: contra si quis levius quam oportet censitus, gravaretur. *titul.* 57. *de censibus & censitoribus & peræquatoribus*.

3. *Res* denique sequuntur rusticæ, quæque

que ruri rem conſtitutæ. Hujus generis ſunt fundi, domus, greges, palatia, loci.

De *Fundis*, ſeu agris & paſcuis agitur a *tit.* 58. *ad* 73. *Fundi* ſunt 1. vel privatorum, 2. vel militum, 3. vel publici, 4. vel Principis. 1. De *Privatis* fundis eſt *tit.* 58. In his id obſervatur, ut ſi aliquis ager deſertus ſit, ager ille ordini Decurionum civitatis adſignetur, vel etiam ei, qui optimos habet agros ſeu fertiles, ſteriles illi adjungantur, per ἐπιβολὴν. *tit.* 58. *de omni agro deſerto, & quando ſteriles fertilibus imponuntur*. De *militum* fundis *tit.* 59. & quidem de fundis militum limitaneorum, unde videlicet milites limitanei alerentur, qui fundi *limitotrophi*, vel *limitrophi* (unde *feudorum quoque origo*) dicebantur: adeo ut ab omni munere omnique tributo immunes eſſent. *tit.* 59. *de fundis limitrophis, &c.*

2. *Publici* fundi erant quoque quidam, cujus generis erant paſcua. *titul.* 60. *de paſcuis publicis & privatis*.

3. *Principis* tandem fundi ſequuntur, qui fundi *patrimoniales* dicuntur. Inter quos fundos erant & *Saltuenſes*, qui pecoribus per ſaltus ſeu nemora paſcendis ſerviebant. Erant & *Emphyteutici* quidam

dam Principis fundi, qui in emphyteuſin aliis dabantur. *titul. 61. de fundis patrimonialibus & ſaltuenſibus, & emphyteuticis, & eorum conductoribus*. Horum fundorum mancipia quædam, & coloni erant, de quibus agitur *tit. 62. de mancipiis & colonis patrimonialium, ſaltuenſium, & emphyteuticorum fundorum*. Qui & ipſi his fundis adſcripti eos deſerere non poterant. *tit. 63. de fugitivis colonis patrimonialibus, ſaltuenſibus & emphyteuticis*. Collationi denique ordinariæ fundi hujuſmodi ſubjacebant, non autem extraordinariæ. *tit. 64. de collatione fundorum patrimonialium & emphyteuticorum*.

Ad Principem pertinentium fundorum altera ſpecies erat, qui ſcilicet *rei privatæ* ſeu *dominicæ* dicebantur. Inter rem privatam & patrimonialem hoc diſcrimen (quantum equidem teneo) conſtituo, quod illi ex proprio Principis patrimonio ſint, hi vero publici quidem ſint, ſed Principi deſtinati. Hinc diſtincta illa officia Comitis patrimonii, & Comitis rei privatæ. Et pertinent Tituli quatuor ſequentes. *tit. 65. de fundis rei privatæ & ſaltibus divinæ domus. tit. 66. de fundis & ſaltibus rei dominicæ: & titul. 67. de agricolis & mancipiis dominicis, vel fiſcalibus Reipubl. vel privatæ*. Inter hæc præ-

prædia, erant quædam, quæ vocabantur *Tamiaca*, id eſt, quæ ad cellarium Principis erant deputata. *tit. 68. de prædiis Tamiacis, &c.* Erant & prædia Templorum, id eſt, quæ olim paganæ religioni deſtinata, confiſcata fuerant. Itemque ex his quidam fundi civitatum reditibus deſtinati, & hi fundi dicuntur civiles. *tit. 69. de diverſis prædiis urbanis & ruſticis templorum & civitatum, & omni reditu civili.*

Sequuntur quinque tituli ſuperioribus fundis omnibus communes. Ac primum agitur de eorum fundorum locatione. *tit. 70. de locatione prædiorum civilium, ſive templorum, ſive rei privatæ vel dominicæ.* Secundo, conductorum & hominum ad hujuſmodi fundos pertinentium, obtentu Principis, injuriis occurritur. *titul. 71. de conductoribus, & procuratoribus ſive actoribus prædiorum fiſcalium & domus Auguſtæ.* Tertio, eodem etiam fine quidam a conductione horum fundorum arcebantur. *tit. 72. Quibus ad conductionem prædiorum fiſcalium accedere non licet.* Quarto de collatione, quæ his quoque fundis incumbebat, agitur *tit. 73. de collatione fundorum fiſcalium, vel rei privatæ, vel dominicæ, vel civitatis, vel templi.* Poſtremo, varia privilegia his

competebant, & quidem etiam quoad collationes; a quarum nonnullis immunes erant. *tit. 74. de privilegiis domus Augustæ vel rei privatæ, & quarum collationum excusationem habent.*

Et hæc de fundis. Sequuntur res aliæ rusticæ. 1. Ac primum *Græges*, & in his equorum, quos habebant Principes per diversas provincias. *tit. 75. de grege dominico*. 2. *Palatia & domus* itidem per varia prædia & loca sparsa, quæ principes habebant. *titul. 76. de palatiis & domibus dominicis*. 3. Habebant & *lucos*, qualis erat lucus Daphnensis prope Antiochiam, qui quidem cupressis erat insignibus obsitus, unde privato cupressos excidere, vendere, emere nefas erat: Pariter ut arbores Perseas (quarum etiam mentio apud Strabonem *lib.* 17. p. 565. 566. Diodorum lib. 1. p. 21.) in Ægypto. *tit. ult. de cupressis ex loco Daphnensi, vel Perseis per Ægyptum non excidendis, vel vendendis.*

Ex

Ex Lib. XII.

1. *De* Dignitatibus.
2. *De Re* Militari.
3. *De Curſu* Publico.
4. *De Officialibus* Magistratuum.

De quatuor hoc libro agitur: De Dignitatibus: De Re Militari: De Curſu Publico: Denique de Officialibus & Apparitionibus Magiſtratuum.

1. De Dignitatibus in genere agitur *tit.* 1. *de Dignitatibus*.

Dignitatum ſpecies ſunt tres: Senatores, Equeſtris, & Perfectiſſimatus.

Ad Senatoriam Dignitatem pertinent Tit. 30. ſequentes. Senatoribus olim omnibus commune erat, quod certam collationem agnoſcere tenebantur, quæ *glebalis* vocabatur, Item Prætura oneri ſubjacebant & ludis edendis. *tit.* 2. *de Prætoribus & honore Prætura, & collatione glebæ & follis, & ſeptem ſolidorum functione ſublata*. Cæterum Senatorii vel ſunt Illuſtres, vel Spectabiles, vel Clariſſimi.

Illuſtres ſunt ſequentes: Conſules. *tit.* 3. *de Conſulibus, & non ſpargendis ab his*

his pecuniis. Præfecti prætorio, Præfecti urbi, & Magiſtri militum. *tit.* 4. *de Præfecto prætorio, ſive urbis, & Magiſtri militum in Dignitatibus exæquandis*. Præpoſiti ſacri cubiculi. *titul.* 5. *de Præpoſitis ſacri cubiculi*. Denique Quæſtores (id eſt, Cancellarii) & Magiſtri Officiorum & Comites ſacrarum largitionum, & rei privatæ. *titul.* 6. *de Quæſtoribus & Magiſtris Officiorum*.

Spectabiles ſequuntur, quales erant ſequentes, Primicerius & Secundicerius Notariorum. *tit.* 7. *de Primicerio, Secundicerio & Notariis*. Sub cujus Primicerii diſpoſitione fuit notitia omnium dignitatum & adminiſtrationum: Quo pertinet *tit.* 8. *Ut dignitatum ordo ſervetur*. Item Magiſtri ſacrorum ſcriniorum. *tit.* 9. *de Magiſtris S. ſcriniorum*.

Denique Comites ſequentes. *tit.* 10. *de Comitibus conſiſtorianis*: Comites & Tribuni ſcholarum. *tit.* 11. *de Comitibus & Tribunis Scholarum*. Comites rei militaris: *tit.* 12. *de Comitibus rei militaris*. Comites Archiatri S. Palatii. *titul.* 13. *de Comitibus archiatris S. Palatii*, Comites provincias regentes. *tit.* 14. *de Comitib. qui provincias regunt*. Comites qui Profeſſores, & quidem Juriſperiti, in urbe Con-

Conſtantinop. docebant . *tit.* 15. *de Profeſſoribus, qui in urbe Conſtant. docentes ex lege meruerunt Comitivam .*

Clariſſimi , & Palatini quidem , ſunt ſequentes . 1. *Silentiarii* , qui inde dicti , quia nocte ſilente excubiis Principis præerant : qui quidem etiam ſuos habebant quoſdam Decuriones . *titul.* 16. *de Silentiariis & Decurionibus eorum* . 2. *Domeſtici & Protectores* , qui partim equites , partim pedites , Principi protegendo inſerviebant . *tit.* 17. *de domeſticis & protectoribus* . 3. *Præpoſiti laborum*: qui creduntur, præpoſiti laborum , id eſt , vexillorum , quæ ante Principem geri ſolebant. *tit.* 18. *de præpoſitis laborum* . 4. *Proximi ſacrorum ſcriniorum* , id eſt , qui proximi ſunt a Magiſtris . *tit.* 19. *de proximis ſacrorum ſcriniorum* . 5. *Agentes in rebus* , qui videlicet rebus , negotiis , mandatis Principis peragendis huc inde diſcurrebant & mittebantur . *tit.* 20. *de agentibus in rebus* . Qui quidem etiam agentes in rebus ſuos habebant Præpoſitos & Principes. *tit.* 21. *de Præpoſitis agentium in rebus* , & *tit.* 22. *de Principibus agentium in rebus.* 6. Ex his Agentibus in rebus quidam in Provincias mittebantur , qui curioſe obſervabant , quid in quaque Provincia gere-

retur ,

retur, idque ad Principem referrent, qui & inde *Curiosi* dicebantur. *tit.* 23. *de curiosis & stationariis.* 7. *Palatini* S. largitionum, & rerum privatarum, id est, qui sub dispositione erant Comitis S. largitionum & rerum privatarum. *titul.* 24. *de Palatinis S.L. & R. P.* 8. *Stratores*, id est, qui equis probandis, quos Provinciales conferebant præerant. *tit.* 25. *de Stratoribus.* 9. *Castrenſiani & Miniſteriani*, qui Principi in aula miniſtrabant, quales erant Prægustatores, Pincernæ, pueri pedagogiani. *tit.* 26. *de Castrenſianis & miniſterianis: & Decani. t.* 27. *de Decanis* 10. *Menſores*, qui hospitia Principi præparabant. *tit.* 28. *de Menſoribus*. Sequuntur tres Tituli communes omnibus Palatinis, duo quidem de privilegiis eorum. *tit.* 29. *de privilegiis eorum, qui in S. Palatio militant. tit.* 30. *de privilegiis Scholarum*. Tertius de castrensi nominatim eorum peculio. *titul.* 31. *de castrensi omnium palatinorum peculio.*

Hactenus de Dignitatibus Illustrium, Spectabilium, Clarissimorum.

Sequuntur inferiores his Dignitates duæ.

1. *Equestris* dignitas, scilicet de qua agitur *tit.* 32. *de Equestri dignitate*: &

Per-

Perfectiſſimatus, de qua *titul.* 33. *de perfectiſſimatus dignitate*.

2. Res Militaris ſecundum hujus libri argumentum eſt. Ubi primum agitur de perſonis, quæ militare poſſint vel non. *tit* 34. *Qui militare poſſunt vel non*. In quibus poſtremis ſunt negotiatores. *titul.* 35. *Negotiatores ne militent*. Tum de re ipſa militari. Ac primum, in genere, de ea *tit.* 36. *de re militari*. Speciatim vero 1. *De Peculio* militum. *titul.* 37. *de caſtrenſi peculio militum*. 2. de *Stipendiis* & commodis militum: Nempe de annona militari, de cujus erogatione eſt *tit.* 38. *de erogatione militaris annonæ:* de excoctione & translatione, *tit.* 39. *de excoctione & translatione militarium annonarum*. 3. *De Veſte* militum. *tit.* 40. *de militari veſte*. 4. *De hoſpitiis* militum. *tit.* 41. *de metatis* & *epidemeticis*; ubi notandum, milites Salgamum a provincialibus hoſpitibus ſuis exigere prohibitos, veluti ſal, lignum, oleum, culcitras. *tit.* 42. *de ſalgamo hoſpitibus non præſtando*. 5. *de Commeatu* militum. *titul.* 43. *de commeatu*: 6. De gradibus quibuſdam & *ſpeciebus* militiæ, puta de Tironibus. *titul.* 44. *de tironibus*: de cuſtodibus littorum & itinerum. *tit.* 45. *de lit-*

littorum & itinerum custodia . 7. de *Fine* militiæ, & militia exuenda, illicito primum more . *tit.* 46. *de desertoribus & occultatoribus eorum :* Tum legitimo more, post expleta stipendia . *tit.* 47. *de veteranis* . 8. *de Filis* militum. *titul.* 48. *de filiis officialium militarium, qui in bello moriuntur*. De sequentis Tituli connexione ita censeo, omnium dignitatum civilium & militarium communem eum videri: Singulæ quippe dignitates, ineunte anno Principi vota, id est, strenas mittebant . *tit.* 49. *de oblatione votorum*. Sed & sequens Titulus non alia ratione hic subjicitur, quam quia & hic communis est dignitatum tam militarium, quam civilium : *Titulus*, inquam, 50. *de Numerariis, actuariis & adjutoribus, scriniariis & exceptoribus sedis excelsæ, cæterorumque Judicum, tam militarium, quam civilium* .

3. CURSUS PUBLICUS tertium hujus libri argumentum constituit . Quo pertinent duo tituli : *titul.* 51. *de cursu publico, & tit.* 52. *de tractatoriis & stativis* : ubi *Tractatoriæ* sunt diplomata Principis, quæ dabantur missis a Principe, vel evocatis ad Principem, ad utendum cursu publico, & adscriptis *stativis*, id est mansionibus

sionibus, in quibus eis necessaria præbebantur.

4. Postremum argumentum hujus li- est de Officialibus, i. e. *Apparitoribus Magistratuum*. De quibus singillatim agitur septem titt. 53. *de Apparitoribus Præfectorum prætorio. tit.* 54. *de apparitoribus Præfecti urbis. titul.* 55. *de apparitoribus Magistrorum militum. titul.* 56. *de apparitoribus Proconsulis & Legati. tit.* 57. *de apparitoribus Comitis Orientis. Tit.* 58. *de Cohortalibus. Tit.* 59. *de apparitoribus Præfecti annonæ.* 2. In commune vero de omnibus, qui diversis Magistratibus apparebant, ut ab his ad aliquid destinabantur, agitur. *titul.* 60. *de diversis officiis & apparitoribus Judicum*: veluti ad executiones: Executores quippe a variis Magistratibus missi. *tit.* 61. *de Executoribus*. 3. *de Lucris & Concussionibus eorum. tit.* 62. *de lucris Advocatorum & concussionibus officiorum seu apparitorum*. 4. de horum *Decurionibus* seu *Primipilo*. *tit.* 63. *de primipilo, id est, de Decurione primæ cohortis Officialium*. 5. Apparitorum denique numero sunt nuntii, geruli, Indices publicæ alicujus lætitiæ, qui in id emittebantur per provincias & civitates: quorum avaritiæ,

& con-

& concussioni modus imponitur *titulo ultim. Publicæ lætitiæ vel Consulum nuntiatores, vel insinuatores constitutionum & aliarum sacrarum, vel Judicialium literarum, ex descriptione, vel ab invitis accipiant immodicum.*

FINIS.

00565056S